S. Bau

PHOENIX GRÆCIÆ.
S. BASILIVS Magnus &c.

Authore

Rndmo. Dno. & P. DIDACO NYSSENO,
Monacho & Abbate Basiliano, &c.

Interprete

R.P.F. IOANNE FREYLINCK REIMBACENSI
Ord. Prædicatorum SS. Theologiæ Magistro.

PHOENIX GRÆCIÆ.
S. BASILIVS MAGNVS
DOCTOR ECCLESIÆ, POST CHRISTVM ET APOSTOLOS PRIMVS LEGISLATOR, FACILE PRINCEPS, ET ILLVSTRIS PATRIARCHA OMNIVM MONACHORVM,

Authore

REVERENDISSIMO DOMINO,

ET

P. DIDACO NYSSENO

Ordinis Basiliani per castellam Prouinciali, Abbate Matritensi &c.

Tomus Quintus.

Interprete

R.P.F. IOANNE FREILINCK REIMBACENSI Ord. Prædicatorum SS. Theologiæ Magistro.

Cum variis Indicibus

Thematum, quæ hic Tomus stylo concionatorio exequitur, Scripturæ, & Rerum memorabiliorum.

Opus literatorum Ecclesiastarum vsibus adornatum.

Excusum

CRACOVIÆ,

In Officinâ Viduæ Lucæ Kupisz, S. R. M. Typ.

Anno Domini. M. DC. LIX.

BENEVOLO LECTORI S. P.

ADfero tandem, & offero literato Lectori Tomum, eheu, postremum Operum Reuerendissimi Domini, & Patris Didaci Nysseni, Abbatis Matritensis, & Monachorum suorum per Castellanam Prouinciam quondam Moderatoris supremi, cuius immaturam mortem totus meritò Catholicus orbis collachrymet. Et quid ni deploret tanti Viri ante diem mortui inopinatum, nimisque acceleratum obitum, cum quo plurima, eaq; præclarissima, hoc est priorum simillima, interierunt opera, quæ sub incude habebat, & ecclesiasticis apostolicis iam dudum inhianter expectantibus, ac vehementer expetentibus adornabat? Vis dicam, quæ & qualia illa? Nunquàm lego, quin pœnalissimè crucier animo, neque hîc absque nouâ cordis exulceratione commemorauero. Dicam tamen, vt videas quantorum bonorum iacturam inimica & inuida mors nobis attulit, cum vni viro isti vitæ vsuram abstulit. Adscribam autem Nysseni ipsiusmet verbis ex Præfatione ad Sermones Aduentuales &c. vbi sic habet. *Quæ nunc cum beneuolentiâ Dei auxilio scribere deliberatum habeo, sunt vitæ trium celeberrimorum Patriarcharum Abraham, Isaac & Iacob, trium fortissimorum Ducum, Moysis, Iosuæ, Samsonis, trium pientissimorum Regum, Dauidis, Ezechiæ, Iosiæ, trium dilectissimorum Apostolorum, Petri, Iacobi, Ioannis, & post literalem eorum, quæ tractanda occurrent, sensum declaratum, multa dabo moralia, & mystica, aliaque ad mysteria vitæ Christi, illiusque Matris, & ad præclarissimorum Ecclesiæ Sanctorum singulares virtutes, atque principales excellentias accommodata.* Hæc ille ibi, ex quibus sola Patriarcharum istorum præclara facinora iusto volumine explicata habemus, cætera desideramus. Ampliora

ſunt, & inſignitiora quæ in Præfatione ad hunc Tomum, quem voluit eſſe primum de laudibus Baſilij Magni, promittit dicens *Mox prodibit ſecundus Tomus, eumque tertius propediem excipiet. Poſt hæc Dei gratia opitulante peruulgabo tribus tomis Trinitatem terræ, Ieſum, Mariam, Ioſeph hoc eſt, acta Chriſti, Mariæ, & Sponſi illius, idque diſſertationibus encomiaſticis, & moralibus aptatis ad feſta eorum celebriora, & Scripturæ loca, in quibus talium perſonarum, honorificam, ac ſingularem ſacra hiſtoria facit mentionem. Deindè tribus item Tomis expreſſas dabo excellentias Sanctorum, quos ſpeciali cultu pia veneratur Mater Eccleſia. Et poſtquàm per hæc omnia idiomate Caſtellano prouectus fuero, vt plurimorum, qui lucubrationes meas lingua magis & communi, & vſu vulgata redditas optant, expectationi acquieſcam, & ſatisfaciam, latine conſcribam commentationes literales, & morales varia eruditione collocupletatas in librum Ruth, quæ inter, Sapientiæ incarnatæ, Maiores ſingulari gloria eluxit, ac tametſi gentilis, catholicis Hebræis nihilominùs ſtupendum quoddam prodigium fuit, & ſpeculum eſſe poteſt eorum etiam, qui aſperiorem philoſophiam, & arctiorem in euangelica lege ſectantur vitæ conſuetudinem.* Horum nihil videre hactenùs contigit, nec conſequendi ſpes aliqua, niſi fortè poſt humos tam fœcundi ingenij liberos, libros dico, Monaſterium S. Baſilij Matritanum Orbi illos ſuſpiranti ſubmittat. Sed ô latinè deinceps ſcribere propoſitum habuit! Habuiſſet vtinam, habuiſſet primulis ſtatim cœptæ ſcriptionis ſuæ horis, magno Interpretem ſuum labore, maiore alios animi liuore leuaſſet, qui alienas lucubrationes, quas exæquare non potuerunt, rodendas, ridendaſque putarunt. Ii dormientem canem excitarunt, qui ſi latret, ſibi adſcribant, ſi etiam non mordeat, alijs acceptum ferant, quorum vt plurimùm defero iudicio, ita ceſſi hortatibus, & conceſſi rogatibus, vt edentularem acrem apologiam, cuius ſale perfricare decretum erat quorundam ſanioſam maledicendi libidinem, qui indignè vellicare auſi ſunt hominem, à quo læſi, laceſſitique nunquàm fuerunt, niſi quantum inuidos virtus aliena offendere ſolet. Ex his vnus quidam alium

(scit ipsus quem illum) in scenam producit personatum fidicinem, qui ex auro, *eburêque* (si Rudimentarijs placet) confectæ, & gemmis, annulisque ornatæ, tum Apollinis, ac Musarum figuris depictæ cytharæ disruperit chordas, *vt dissono sono absonam adeò cantillando immiscuerit vocem, vt totius theatri non duntaxat euaserit risus, sed etiam verborum receptaculum* sic enim verberalissimus flagrio loquacitat. Parum illi visum, quod alium tam probroso schemate traduxit, nisi se de cytharizandi peritiâ magnificæ prèdicaret, quâ suæ ex rudi ligno fabrefactæ cytharæ tam artificiosè prætentarit arguto pollice chordas, vt omnes rapuerit in admirationem, & plausum meruerit communem. Non inuideo plausum, gloriam etiam multò ampliorem, copiosioremq; illi opto. Verùm si de tono, quem illius odæ edunt, æstimari cythara ipsius potest, vel multo plures ducentis, vel nullas integras habet chordas reliquas, adeo mihi dubitare in mentem venit, verùmne sit, an secùs habeat, quod tantam sui admirationem, solutâ per ruptas chordas harmoniâ, excitârit. Durum videbitur, si dicam, habere aliquas fides, quas cum fide non admodùm consonare suspicari quis fortè absq; temeritate possit. Postremum hoc primo loco ostendam, dein chordas fractas, quia omnes non possum, plusculas oculis subijciam, demùm cytharœdum ipsum sistam, qui se suis verbis damnet, ac nec auledam, ne fidicinem quidem esse ipsus dicat. Oda illius quædam sic habet: *Quod Christus patiatur tormenta, & pœnas tanquàm Deus omninò possibile est.* Sancti Thomæ cythara 3. p. q. 46. art. 12. longe diuersum ex Concilijs, & SS. Patribus edit sonum, nempe quod Deus æquè impassibilis sit, ac immortalis. Alium S. Augustinus, qui ait: *Dei Verbum* Christus *videns quia non habebat vnde flagellaretur, ad hoc carnem indutus est, vt sine flagello non esset.* Otiose carnem induit Christus, vt sine flagello non esset, si tanquàm Deus, hoc est, sine carne pati tormenta & flagella omninò potuit. Et quomodo cytharædi illius oda, quàm dixi, consonat cum illo Dauidico: *Et flagellum non appropinquabit tabernaculo eius,* quod ipsusmet alibi aliud sonare affirmat?

Oda alia Cytharædi: *Ieremias prophetauit, quod septem annis & non amplius durare debebat captiuitas Babylonica.* Non consonat cum fidibus fidei, quæ septuaginta annorum captiuitatem prædictam cantant, Ierem. 25.11. Alia oda: *Dauid adiuit templum aliquod, vbi conueniens sacerdotem Melchisedech, rogauit, vt dignaretur sibi præbere cibum.* Et Paulo post: *Protestor, ait Melchisedech ad Dauid.* Multis seculis, & generationibus prior fuit Melchisedech Dauide, nec ille huic visus, nisi fortè secundùm animã in Limbo Patrum, & Panes Dauid non à Melchisedech, sed ab Achimelech 1. Reg. 21. petijt, vbi templi nulla memoria. Alia: *Ne existimetis morẽ abradendi capillos in ingressu religionis non esse meram hominum inuentionem.* Hæreticùm citius audias talia ad suam cytharam canentem, quàm Orthodoxum. Dedi absonas chordas, conchordet, qui citharizandi solertiam iactat. Nunc do factas de ducentis, ac pluribus sequentes. *Ohime, ohime, Olà, Olà. Christus præscribere voluit methodum, secundùm quod recipere debeamus sacramentum. Indignitalibus epulibus. Præmuniendus erat clypeo, vt sic refutisset telum. Quando Christus cum discipulis processit, eosq; doceret. Angelus non potest decidi, & prolabi. An nescis officium diaboli esse non tentandi? Deus cusit monetam pulchram in paradiso. Fumatus chymista dæmon in despectum Dei cusit aliam monetam. Conquatere terram, capita. Nondum consecuto regnum totum illum donauit. Poma aurea vnum post alium proiecit. Animæ, quæ ex hac vita discesserunt ingressuri cœlestem Ierusalem, & fruituri visione. Cursus animalium erat adeò continuus, vt reuersi non fuerint. Iudas à Christo creatus est expenditor. Videmus adolescentem, qui omni octiduo se communicat. Remediare voluit proprio incommodo. Misericordiosum flumen. Pasquillæ, perlæ, capella. Animam militibus prouidere.* &c. In his chorda integra nulla. Redintegret, qui artis peritiâ tam insolenter est gloriatus, & â seipso fractas, si potest, solidet. Vereor autem vt possit, nam cui philautia persuasit, se philarodum, & harmonifarantem nablistam (ita Osci, Volschi, Attellani festiuum cantorem, dexterumq; fidicinem casco sermone vocant) esse, is posthæc suum

errorē nō agnouit quidē, nesciens tamē confessus est se nec rasorē esse, nec flatorem, cùm ait, *vsum fuisse stylo simplici, & communi, ne non destituerentur energia, & succo doctissimi Autoris conceptus*, hoc est, vt destituerentur, hoc enim habent duæ negationes (quod Grammaticorum *feriales* pueri non nesciunt) vt affirmantem faciant orationem, quàm vna negantem facit. Hoc ille ignoranter quidem (nam & alibi minimū quater geminâ negatione pro vna vtitur) ex verò tamen affirmauit, qui præclarissimi Autoris commentationes viuidas delumbauit, splendidas obscurauit, nitidas collutulauit, succulentas exhausit, & pumice magis siccas reddidit, neq; alio, quàm suo, vt ille quidem vocat, simplici, & communi, vt verò res habet, proletario, plebeio, mucido, rancido, è compitis, vel tonstrinis, vel sutrinis, aut veteramentariorum officinis sublecto stylo, quod exemplis, præter superiora, plurimis contestatum darem, ni aliorum stomacho, & meo calamo à pœdore, & illuuie tot sordidorum verborum timerem. Hoc demùm infelicem cytharædum rogaro, ne suam nescientiam obseruantiâ S. Hieronymi, venustatem eloquij dissimulare suadentis, obnubere velit, quia dissimulare venustatem eloquij non est idem, quod sordido stylo fœdare pulchros Autores, neq; Hieronymus ita venustatem omnem neglexit, etiam cum mulieribus scripsit, vt squalidis verbis suas literas fœdarit, & aliud est amusis, analphabetis, rudibus (quos *gentem ferialem* cytharædus vocat (è vulgo hominibus pro concione loqui, aliud mundo præsenti latinè perquàm docto scribere.

Aliud in Nysseni interprete quendam illi cognatum offendit. Quid illud? Sesquipedalium congeries verborum. Et nulla quidem ille designat, si quæ tamen sunt verba sesquipedalia, miror tam vehementer ea displicere potuisse in homine ipsi arctâ necessitudine coniuncto, qui & ipse tricubito maiora scripsit, & in extraneo quadrupedalia, saxea, portentosa, tenebris Ægyptiis obscuriora sic probauit: vt toti mundo tanquàm sua propinanda existimarit. Introducit nonnullibi Christum dicentem: *Petre, tu* GEREBIS *vices meas*, Annon tricubito maius in his

 illud,

illud, *Gerebis*? Minus enormia sunt, quæ sesquipedalia, Alibi scribit de quodam viro sancto Hispano rogasse Deum, vt *ei* dignaretur *docere* viam, S. Hieronymus de opt. interp. genere ad Pammachium vocat *putidam, rusticanamq́; versionem* eam, quâ verbum ex verbo transfertur. Videat amicus noster, an sua non sit talis, qui alibi de alio dicit, fuisse *compassum lassitudinis, & famis* amici ad se de nocte appulsi: alibi, quod *ros, & aqua fructificant terram*, id est, fructiferam reddunt &c. Sed accipe deteriora in vno cumulo plura. *Dauid vnico*, Peccaui, *consecutus fuit, interprete Samuele 2. Reg. 12. delicti veniam.* Amice quis ille interpres Samuel? An fortè quædam illum denuò ab inferis pythonissa euocauit, vt Dauidi interpres esset. *Elias famem minabatur Angelo.* Famem Angelo! Venisset is Abrahæ hospes Angelus, opissimo vitulo famem illius repulisset. *Angeli per dominicæ resurrectionis festiuitatem, & cum illa animam suam reparatam lætantur.* Ergo Angeli habent animam? Id simplicibus illis fortè persuaserit amicus, qui alam ex S. Michaëlis corpore reliquam alicubi asseruari putant. *Angeli sic veterem exuerunt consuetudinem, vt se pro hominibus perdant.* Hîc putide, & rusticane redditus Hispanismus: *Se pierden por los hombres* Testis S. Hieronymus suprà productus. *Quid nobis suggessit infans Ioannes, quod saltus ederit?* Edisse Ioannem locustas, & mel syluestre, Euangelistæ aiunt, edidisse saltus, hoc est, exultasse in vtero mater dixit, quæ gestauit, etiam edisse saltus, amicus asseuerat, vrbanus siem, si creduam. *Infirmus est iniquitas.* Curet amicus, si medicus est. *Vos culpam accuso, quod modò sim meticulosus.* Excusare hoc amici erratum velim, si possim, apud Prisciani tribunal certè non ausim. *Præses audiuit, se Imperatoris gratia excidendum.* Excidio dignus calamus, quamuis amici, cui talis verbi saxum excidit. *Pareant omnia temporalia, & fausto Deo multiplicatur flagella, non modò tua mihi non eripiatur amicitia, lucrum tale mihi metitur, quale nemo pot st imaginari, modò te non offendam, & sicut placuerit, manum super me extende flagellorum.* Veni Daniel serue Dei, & obscurissimorum horum ver-

rum verborum sensum aperi, vt enim amicus suæ ipsius orationis interpres sit, rogare non audeo, quia vereor vt esse possit. *Ita solem cuncti semper intuentur velut virum animosum, generosum, & fortem, in sua pulchritudine, & vigore se gigantem ostendens, nec attendens, quàm longum debeat iter perficere.* Quid sunt buttæ battæ, nisi hæ sunt? *Fulco, postquàm Deo seruire militasset, ad veterem delapsus est tepiditatem.* Putas, intelligis, amice, quæ legis? Qui potest capere, capiat. Vel Heraclitus, ille ad lachrymas obstinatus, rideat, si quæ nunc ex amici translatione adscribam, audiat. *Solemus pueris appendere Verpum, id est, manum ex nigro marmore compositam.* Verpum, id est manum! Verpus his, qui latinè sciunt, Apellam, recutitum, Iudæum significat, non manum. Et Verpum pueris suis Hispani appendant, qui pyræ imponere, & viuos exurere Christi iuratos hostes Hebræos, ni perfidiam suam relinquant, solent? Sed quadrupedalia amici verba nondum dedi. Dabo pauca de multis. *Supertolerat* iniurias. *Lucidabiliter.* Pompa *maiestuosa.* Verba *proposito miraculosa.* Credisne, amice, hæc verborum monstra in his, quæ vel ipsus scripsisti, vel tibi adscripsisti, & nomine tuo vulgasti, reperiri? Si non credis, paginas, columnas, lineas intento digito demonstrabo, vt videas. Si credis, *quomodo dicis fratri tuo, Sine ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo?* Matth. 7 4. Da magis operam, vt teterrimorum, putentissimorumque verborum tuorum sentinam exhaurias, ita vellicandi aliorum sesquipedalia, vt blattis, verba nec otium habebis, nec animum. Noli in cognato fingere hostem quem ferias, qui dissimulas in extraneo, immò probas, & mundo toti obtrudis, quod configendum fuerat. Noli rogare, vt nequis flosculorum ornatum, aut phaleratas quærat in tua versione periodos, sed hoc magis obsecra, vt ne quenquam tam multæ offendant sordes. Noli iactare, maluisse humili, & minime affectato stylo prodesse, quàm benè comptis sententijs oblectare, ne magnus Theologus Nazianzenus dicat quod *tumorem sub obtrita veste ostentes.* Noli alienæ versioni timere, ne vel aurum

obſcuret, vel minùs intelligatur, qui tota plauſtra tenebricoſorum verborum habes in propriâ, quæ indicabo, ſi non ſunt ſatis ſuperiora. Noli naui tuâ corruptâ, & inutili ſubmerſionem intentare meliori. Denique *el que tiene ſu teiado de vidrio, no tire piedras al del ageno.* Nyſſeni interpres dentatis aliorum lacerari ſemper mauolet calamis, quâm illorum ſimili ſordidâ ſcriptione obſcurare illuſtrium ſplendorem Autorum, quos transferendos ſuſcipiet. Apoſtolorum princeps non tortos crines quidem, habitum tamen ornatum permiſit mulieribus Talis eſt, eritque ergà orationem ſuam interpres Nyſſeni. Odit ciniflones, non vult cincinnatulam, non calamiſtratam, nec meretricio fuco, vel exoticis, adulteriniſq; pigmentis illitam, ſed nec prorsùs inornatam, ſqualidam, ſordidã, impexam. In ſancto parente ſuo Nazianzenus dilaudat, quod *in veſtitu nequaquàm fuit ſumptuoſus, ita vt faſtum pariter, ac nimiam effugeret humilitatem.* Sic Nyſſeni interpres luxum, ſqualoremque orationis æquè deuitare ſtuduit, vt neque nimis opulenter culta, neque ſitu nidoris, ac pædore horrida eſſet, ſed talis, cui vel obtrectare, atque æmulari literatores poſſent, ſi parem adornare fortè non poſſent. Salem habet iſta Præfatio, ſi nimium quantum, cogitent, quod pluſculo conſpergi, & perfricari meruerunt, qui ſine iudicio culpitant, quæ ſine interprete non intelligere affirmant, ſi fortè acriore id genus malagmate purulentum maledicentiæ illorum vlcus molleſcat, & curari queat. Vale Lector literate, & literatores matæologos, ſi potes, compeſce, ſin, meliora cudere iube, & dic, vt nauſeam bibant, qui nolunt lympham, aut fæcutinas, quibus meracum non ſapit.

NATA-

NATALES, MAIORES, EDVCATIO, ET STVDIA SACRI PHÆNICIS BASILII.

Basilij varia elogia.

MAgnus *a* quaquà illum aſpicias, rutilans lampas, & illuſtris Doctor Eccleſiæ, ardens *b* radius, coruſcum fulmé, ſonorus *c*, & ſalutaris præco doctrinæ euangelicæ, legitimus, & verus miniſter, liber *d* elogiorum, effigies virtutum, cuius tota vita prodigium, dux *e* & anteſignanus catholici gregis, diuinæ fidei magiſter inclytus, inſignis, & celebris toto mundo, exquiſitus *f* & præclarus interpretandi artifex, nouum & omni laude ſuperius miraculum, fax *g* Eccleſiæ, lumen ſacræ theologiæ, plenitudo ſcientiæ, ignis *h* effulgens, thus ardens in igne, conſecratus *i* ſolicitis ſtudiis diuini Spiritus, qui ſuis ſcriptis per totum ſe latè diffundit terræ ambitum, publicus *k* ſolicitator, & impiger procurator boni communis, arcæ myſticæ ingenioſus architectus, ſtrenuus imperator militum Chriſti, fortis *l* pugil, ambidexter pugnator, intrepidus athleta, inuictus antagoniſta, Comminiſter *m* Angelorum, inexpugnabilis turris, arx inacceſſa, ſplendidum *n* luminare orbis, laudibus, & plauſibus celebratus, diuinus, omni laude dignus, ſui *o* ſeculi eloquentiſſimus, columna *p* veritatis, patronus *q* puritatis, honor, & decus virginitatis, qui *r* ſuam metropolitanam Cæſaream fecit ſpeculum, in quo conſtituendarum catholicarum eccleſiarum formam videre licebat, ſacrum doctrinarum horreum, coadiutor Verbi æterni, ſchola *s*, & gymnaſium, ſiue lyceum eruditionis Chriſtianæ, conſummatus in literis ſacris, & profanis, omnium virtutum genere perfectus, & abſolutus, vox *t* quæ omnia complectitur, religioſæ perfectionis exemplar, diuinorum oraculorum fidelis axpoſitor, magnum *u* & amplum vas electionis, dilectus *x* paſtor gregis dominici, dulcis *y* ſtupor cælorum plectrum citharæ myſticæ, expreſſa *z* Dei imago, vox Deitatis, in virtutum *a* diſciplinâ ſanctiſſimus, ſummè ab omnibus de prædicatus, reconditorum *b* myſteriorum ſcrutator, acutum *c* ferrum, quod damnoſa radicitùs ſuccidit zizania, gratum *d* holocauſtum, canus intellectu ante canitiem etiam, extirpator *e* Arrianæ ſuperſtitionis, vir *f* deſideriorum, depictus in manibus

omnipotentis, lux, quæ verbum vitæ ſuſtentat, ſecundus Deus Pharaonis, comprædicator cæleſtium virtutum, qui locutus fuit *k* linguâ igneâ, & voce angelica, fictus *i* & formatus ad perpendiculum virtutis, ſapiens *k* diſputationum, & quæſtionum fabricator, virgo *l* paranymphus virginum, medicus omnium ſpiritualium ægritudinum, vigilans ſalutis cuſtos, ab infantiâ *m* perfectus ſapiens, opimorum *n* fructuum abundans campus, ſublimis collis ornatus floribus, theologicæ *o* militiæ ſacer ſignifer, diuinæ *p* ſcholæ prædicabilis magiſter, canora *q* veræ doctrinæ philomela, inexpugnabilis agger, & inacceſſum propugnaculum potentiæ Chriſti, nobilis hortulanus amæni viridarij Sponſæ, & fertilis racemus vitis cœleſtis, facultas *s* & calor veritatis, & Eccleſiæ, caſtum *t* SpiritûsSancti domicilium, ſacer illius interpres, aula chriſtianæ doctrinæ, Sol inter ſtellas, inter tempora ver, firmamentum inter cœlos, partus *u* ſapientiæ, actione inimitabilis, inſuperabilis contemplatione, buccina caſtrorum Domini, materia *x* ſplendida laudantibus, ſoluſque ſermonis viribus dignus, philoſophus *y* Chriſtianorum, & Chriſtianiſſimus philoſophorum, gloria *z* & ſplendor Eccleſiæ, paſtor qualem omnes habere cuperent, pacis *a* vinculum decoræ, & glorioſum patriarum ſuarum ornamentum, membrana *b* ad conſcribēdas literas, in omnibus ſcriptis ſuis eminentiſſimus, immobilis *c* ſcopulus inter omnes perſecutionum inſultus, præliator bellorum Domini, perpetuus ad extremum vitæ ſpiritum vſque triumphator, homo *d* portentoſus, fons eloquentiæ os aureum, Rhetor *e* in ſilentio maximus, in omni genere certaminum, & perſecutionum exercitatus, ſequeſter *f* Deum inter, & homines, magnus Pontifex, qui humanos longè tranſgreſſus eſt limites, qui *g* ab apoſtatâ Principe, & Ariano Imperatore immortalia reportauit trophæa, eloquentium *h* copioſiſſimus, & aureorum verborum nuntius, qui *i* nunquâm verbo vel opere offendit, princeps *k* in arte dicendi, & faciendi exemplo, qui *l* ſolus æquè oſtendit & ſermone vitam, & vitâ ſermonem, qui *m* ſapientiæ ſuæ radijs totam terram perfundit, & illuminat, qui magnitudine vocis ſuæ in extremis terræ finibus perſonat ipſis cœlis excelſior, & ſublimior, conſolator *n* afflictorum, baculus ſenum, pædagogus iuuenum, patronus viduarum, defenſor pupillorum, amator pauperum, peregrinorum gratum hoſpitium, ornamentum *o* & decus hierarchiæ, animoſus impugnator, & malleus hæreticorum, tutelaris eorum, qui in procelloſo, ignorantiæ mari oberrant, acuta *p* ſagitta pharetræ Domini, qui *q* in carne extra carnem vixit, ſonora

Euangelij tuba, Homerus, *r* Plato, Aristoteles, Susarius, qui nihil ignorauit, quia sciuit omnia, arx *s* sacra Sacerdotum, Sacerdotalis victima Domini, qui abstrusissima philisophiæ secreta peruidit, qui *t* ardenti spiritu flagrantis prædicationis euangelicæ resuscitauit in Oriente flammam fidei ad occasum tendẽtis, magni *u* & sublimis nominis, præceptor omnibus commodus, & vtilis, acuta falx, & securis omnis venenosæ hæresum radicis, & robustus Hercules, qui sui calami acie Lernææ Hydræ errorum iugulum desecuit, qui *x* omni virium contentione, & ingenio, & virtute, & solicitudine, arte, vigilantiâ scribẽdo, docendo, monendo, præcipiendo, arguendo, confutando, reprehendendo Imperatores, Reges, Principes, Magistratus, belli duces, cleros, populos, virgines, coniugatos, solitarios, viros, mulieres, Regiones, ciuitates, iam scriptor, iam philosophus, iam theologus, fuit nobilis æmulator, & riualis Doctoris Gentium, homo *y* veracissimus, Patris acerrimus Filii legatus, fidus æconomus, & Secretarius Spiritûs Sancti, sacri & intimi consilii, qui suis verbis & scriptis confudit peruicacem Arium, dissipauit perfidiosum Eunomium, subegit sacrilegium Sabellium, elinguem fecit proteruum Apollinarem, contumacem calcauit, & pessumdedit Macedonium. Secundus *z* Adam, dilectus Deo Abel, nouus Noê, Abraham & magnus pater credentium, Isaac Domino sacrificatus, luctator Iacob, castus Ioseph, euangelicus Moyses, dux Monachorum, Aaron Sacerdos summus, nouæ terræ Iosue, Zelator Phinees, patientiâ Iob, Isaias, Ezechiel Daniel inter ignes, lucem, & flammas, Petrus monitis, Paulus prædicationibus, Præcursor austeræ vitæ usu, & imitatione. Hæc tantarum laudum ornamenta, hæc tam illustria epitheta, & insignia, hæc tam varia, & memorabilia, atque incomparabilia encomia ad quem pertinere, in quem dicta, scripta, & tam magnâ summorum virorum consensione, & contentione congesta dicemus? In quem verò æquè quadrant, & pari pondere cadunt, ac in sacrum Græciæ Phœnicem Basilium Magnum, Doctorum Ecclesiæ, Archiepiscopum, & Metropolitanum Cæsariensem, & post Christum, eiusque Apostolos primum partem, ducem, antesignanum, legislatorem vitæ monasticæ, qui tanquàm radians, & refulgens Sol.

a. *Concil. VII. General. act. 4.* b. *S. Gregorius Nazianz. orat. 20. Baronius an. 369. n. 4. to 4.* c. *S. Greg. Nyss Orat. in laud. Basilij.* d. *S. Ephræm. in laud. Basilii.* e *S. Amphilochius Prol. in vit. S. Basilii.* g. *Simeon Metaphrastes*

i. Ian. apud Surium. h. S. Anton. 2. p. histor. tit. 10 c. 4. i. n. Concil. Nicæn. act. 4. k. S. Greg. Nazianz. vbi supra. l. S. Greg. Nyss. vbi sup. m. S. Amphilech. vbi sup. n. Theodoretus lib. 4. histor. c. 17. Concil. VIII. generale act. 6. o. Sozomenus lib. 3. c. 15. p. Socrates l. 4. c. 18. q. Ambrosius Camaldulensis in prol. translat. libri de virginit. S. Basilii. r. Philotheus patriarcha. s. Simeon. Metaphr. t. S. Greg. Naz. vbi sup. u. S. Greg. Nyss. vbi sup. x. S. Amphil. vbi sup. y. S. Ephr. vbi sup. z S. Greg. Nyss. præfat. in lib. de Opif. hominis. a. Sozom. l. 6. c. 16. b. S. Ephr. vbi sup. c. Philotheus. d. S. Greg. Naz. vbi sup. e. Concil. 11. Nicæn. f. S. Greg. Naz. vbi sup. g. S. Amphil. vbi sup. h. Philotheus. i. S. Greg. Naz. epist. 23. k. idem epist. 19. l. Idem Orat. 20 n. S. Greg. Nyss. Orat. in laud. Basilii o. Philotheus. p. S. Amphil. vbi sup. q. S. Greg. Nyss. in vit. Basilii. r. S. Ephræm. vbi supra. s. Naz. epist. 26. & Orat. 20. t. Idem Orat. 19. & epist. 26. u. Sim. Metaphr. vbi sup. x. Naz. orat. 20. y. Sixtus Senensis l. 4. Biblioth. Sanctæ. z. S. Athanas. epist. ad Pallad. a. Naz. in epitaphio. b. Philoth. patriar. Blibl. Codic. 14. 1. 143. c. Andreas Scotus in epist. ad Mutium Vitellesc. ad opera Basilii. d. Libanius Sophista epist. 2. 7. & 9. e. Greg. Nyss. orat. panegyr. Basilii. f. Naz. epist. 38. g. Amphiloch vbi sup. h. Suidas Verbo Basilius, & Iulianus Imperator epist. 1. ad Basil. i. Sixtus Sen. vbi sup. k. Andreas Scotus vbi sup. l. Naz. in epitaph. m. Sim. Metaphr. vbi sup. n. Naz. orat. paneg. in Basil. o. Sim. Metaphr. vbi sup. p. Baron. to. 4. Annal. anno 366. num. 5. Baptista. Mant. in Fastis, Nyss. vbi sup. q. Naz. epist. 6. & 10. r. Liban. Soph vbi sup. s. Naz. in epitaphio, Pierius Valerianus lib. 42. hieroglyph. c. 8. t. Nyss. in orat. paneg. Concil. 11. Nicæn. u. Sim. Metaphr. vbi suprà, x. Philoth. patriarch. Constantinop. vbi sup. y. Metaphrastes vbi sup. z. Naz. orat. panegyr. Basilii, Nyss. orat. in Basilium, S. Ephræm. orat. in Basil. S. Amphiloch. in Vit. S. Basilii. Philotheus patriarch. Orat. in S. Basilium.

Nascitur S. Basilius anno 327.

ortus est in ciuitate Heleno ponti felici auspicio, & magno bono totius Ecclesiæ, anno reparatæ per Christum salutis humanæ trecentesimo vigesimo septimo, exparentibus omnium, quos illæ Prouinciæ nouerant, & venerabantur, illustrissimis, nobilissimis, generosissimis, opulentissimis, sanctissimis. Lux ista prodijt nobilis, ac generosa, quaquà illam aspectares. Pater illius Basilius dicebatur, Fumeliæ nomen matri erat, ille ex primarijs Ponti. hæc ex Capadociæ primoribus descendebat. In maioribus auos paternos, & maternos habuit Sanctos, exquibus paternus auus sanguinem pro Catholicæ fidei defensione fudit, ac propterea tanquàm illustrissimus martyr ab Ecclesiâ celebratur, catalogoque eorum adscriptus est, qui martyrii laureâ immarcessibili redemiti triumphant beati in cœlis, Auia illius paterna Macrina, sanctitate,

Suidas Verbo Basilius. Antonius Posseuinus in Apparatu Sacro, To. 1. Aui illius paterni, & materni. Sixtus Senens Bibl. SS, l. 4.

& Catholicæ fidei amplificandæ studio fuit matronarum, quas ætas illa habuit, maximè insignis; Nimirùm magistra tum docuit, quem orbis Doctorem, & Magistrum habuit, quod ipse ingenuè fatetur, & contestatur. Abaui paterni, pro honore, & gloriâ Domini, crudeles, atrocesq; persecutiones tolerarunt. Liberos decem procrearunt Basilius, & Eumelia. Macrina fuit primus fructus, & ramus primus sacræ arboris, atque ille tam per omnia fortunatus, vt mulier vel magis elegans, ac venusta, vel magis discreta, & prudens, vel magis sancta, & virtutibus consummata alia nulla viueret, quo tempore Macrina inter mortales agebat. Hanc secutus fuit noster Phœnix, qui masculorum fuit primogenitus. Post hunc natus est Naucratius, raræ indolis, & admirabilis spei adolescens, vt qui in viuentissimâ ætate nec ingenio, neque dexteritate, neque industriâ, nec formæ dignitate, nec virium magnitudine, nec Rhetoricæ, oratoriæque facultatis peritiâ haberet parem. In eremo, & florentissimâ ætate decessit, maturus mensæ Dominicæ fructus. Dein prodiit in lucem magnus Gregorius Nyssenus, quem veteres Græcorum Patres hoc titulo donarunt, vt Pater Patrum diceretur. Vltimus masculorum, & postremus omnium fuit Petrus Episcopus Sebastis in Armeniâ, tam aptus, expeditusque ad omnia, vt natura totam suam in illo formando artem, industriamque exhausisse videatur. Cæteri fratres, ac sorores, qui se jugo matrimonij submiserunt, in eo sacro statu tam consummati, & perfecti fuerunt, vt conjugii nexus, ac vincula, Nazianzeno teste, nihil eis impedimenti attulerint, quo minus ad editissimum fastigium, & supremum verticem peruenirent gloriæ, ad quam cæteri fratres, sororesque penetrârant, qui sacerdotio, & virginitate viuas omnipotenti Deo hostias sese consecrarant.

S. Greg. Nys. epist. ad Olymp. S. Basil. epist. 169. & 73.

Fratres, & Sorores illius,

S. Greg. Nys. epist. ad Olymp.

Cùm tenerâ etiam num esset ætate noster Phœnix, mortalis, vt frater illius Nyssenus affirmat, illum corripuit infirmitas. Quare anxiè solicitus pater illius Basilius Dominum ardentibus precibus interpellabat, vt imbecillam eius, caducamque valetitudinem restauraret. Exorari se passus Deus hoc supplici suo respondit, quod olim venerabundo regulo dictum sacer Christi Beniamin memorat, sicque habet: *Vade filius tuus vivit*; Ioan. 4. 50. Factumq; est ex voto parentis, nam à lethali morbo liber, & incolumis exurrexit.

S. Greg. Nyss. vbi sup.

A lethali morbo cõsanescit.

Secundùm hæc Macrinæ auiæ maternæ tenellus infans traditus fuit, Macrinæ, inquam, prodigiosi illius viri Gregorij religiosæ discipulæ, qui quòd tantorum tamque portentosorum miraculo-

rum opifex esset, Thaumaturgi appellatione insignitus fuit. Quinquennis puellula Macrina erat, quando ab illo sacra mysteria Orthodoxæ nostræ religionis & fidei edocta, purum, & candidum lac institutionis Christianæ ex sanctis illius vberibus hausit. Et præclarè in diuino Infante auia sanctæ educatio eluxit. Nam vt deinceps à perfidorum æmulorum suorum calumniis sese tueretur, qui prædicationem eius & doctrinam turpi nota fœdabant, nec testem locupletiorem, nec validiorem defensionem reperiebat, quàm vt pro irrefragabili integerrimæ fidei suæ testimonio adduceret, quod ad fidem eruditus, institutusq; fuisset à catholicissima sua Auia, filia, & discipula sancti Gregorij Thaumaturgi.

Educat illum S. Macrina.

Septennis studio traditur.

Primùm Cæsareæ.

Posthæc Constantinopoli.

Postquàm illum ita imbuisset auia Macrina, septimo ætatis anno Cæsaream ad parentes remisit. Hic grammaticam, rhetoricamq; doctus, tam excellens euasit, vt non modò earum facultatum auditor esset, verùm etiam præstantissimos, eruditissimosq; magistros discipulus superaret. Duodennis Constantinopolim, Græci imperii caput, ablegatus cæteris artibus liberalibus operam dedit. Constantinopoli Cæsaream reuersus, inde Alexandriam transiit, vbi illius Vniuersitatis celeberrimos, & doctissimos consuluit. Anno ætatis decimo septimo Athenas petiit, hoc est, armamentarium scientiarum, sapientiæ officinam, & omnium facultatum commune emporium. Hic in omnium illius scholæ studiosorum summo desiderio erat, nempè certâ famâ acceperant, quàm florido, acuto, lepido, & perspicaci esset ingenio, & quàm immensos in studiis progressus intrà pauculos ætatis annos fecisset sub magistris Libanio, Ebulo, Imerio, & Proëresio. In scholis cum insigni plausu, & acclamatione exceptus fuit, omnesq; sibi plurimùm gratulabantur, quod oculis arbitrari tam prodigiosum adolescentem liceret, quodque frui possent consuetudine iuuẽtis tam continentis, & modesti, qui senum priuilegijs in puerilj ætate iam gaudebat. Nullus verò tam amanter complectebatur, nullus tam beneuolenter, comiterq; habebat, nullus tam synceris lætitiæ, & gaudii significationibus excipiebat, quam sanctus Greg. Nazianzenus, qui simul & amicitiæ dexterã dedit, & cordis, animæq; potestatem omnem contradidit, fœderatæq; eorum amicitiæ, & mutui amoris, & reciprocæ dilectionis tam validus nexus, tam arctus nodus fuit, vt nec morte, que omnia dissipat, solui, laxariq; potuerit, sed vltra vitæ limites perseueranter durarit. Potuerunt hi duo, vt Nazianzenus ait, non exæquare tantùm, sed & superare illã tam cælebratam, & decantatam à canâ Antiquitate Pyladis, & Orestis amicitiam.

Deinde Athenis.

S. Greg. Nazyanz. in Monod.

Magistri illius.

Arcta illius cũ Nazianzeno suetudo.

Atq;

Magna illius apud Athenienſes exiſtimatio.

Atq; vt videas quãta fuerit Baſilij apud Athenieſes diſcipulos exiſtimatio, quantumq; illos admirabilis eius grauitas,& modeſtia infrenarit, accipe quod ex Nazianzeno theologo panegyriſta ſubijciam. Aſolebant per id tempus iuuenes ij (pro effuſæ illius ætatis hominum more) omnes nouos auditores ad balneum quodam abducere comitantibus multis,qui illum abripiebant. Ad balneum appulſi fictis minacijs, & ſimulatis territarionibus ſignificabant, grauem aliquam iniuriam illi inferre velle, quouſq; illum ab eiuſmodi anguſtia, & afflictatione liberarent, atque ita ſoluebatur, & euaneſcebat gratũ illud ſpectaculum,& iucunda recreatio. Et quanquam nemo, quantumuis nobilis, & generoſus, ab hac communi lege fuerit exemptus, ſolus tamen noſter Baſilius fuit exceptus, ſolus ab ea vexatione immunis, effusè petulantium iuuenum riſus,ac ludibria effugit. Nempe Dei prouidentia voluit, vt & hac in re Baſilius eſſet ſolus, & Phœnix Athenarum, quod ſubnotauit Nazianzen. Tam validè ſuâ modeſtia inſolentiſſimos infrenabat,& immodeſtiſſimos iuuenili ſua grauitate coercebat. Ibi cùm Nazianzeni, & Iuliani (qui poſteà Imperator apoſtata fuit) condiſcipulus eſſet, reliquas ſcientias didicit, quatuor annos in hac ſtudioſa exercitatione peruigil lucubrator conſumens. Itaq; cùm Baſilius noſter anno ætatis ſuæ decimoquinto omni literarum generi ſe traderet Conſtantinopoli, Antiochiæ, Alexandriæ, & Athenis, vt adnotarunt Amphilochius, Nazianzenus, Gregorius Presbyter in vita Nazianzeni, Sozomenus lib. 6 c. 17. Nicephorus Calixtus l. 9 c. 15. Suidas, & alij multi, euaſit excellens, inſignis, & eruditiſſimus Grammaticus, Rhethor, Philoſophus, Medicus, Geomerra, Muſicus, Arithmeticus, Aſtrologus, & Poëta: Libanius namq; illum vocat Homerum, Platonem-Ariſtotelem, & alterum Suſarium, qui omnia ſcierit, & ingenio aſſecutus fuerit. Quid aliud magis rarum, magis in auditum,& nouum, quàm videre iuuenem annorum non ampliùs viginti, ac duorum, cui eâ in ætate de conſummatâ, perfectâ, & abſolutâ, omnium facultatum peritiâ plauſum alij facerent? Atmeritò ille tunc ità celebratus fuit, titulum quippe hunc meretur, vt ſeculi ſui Phœnix appelletur, qui tam breui in ætate, intraq; annos tam teneros in tantæ celſitudinis faſtigium prodigioſâ ſtudij contentione penetrauit, vt conſummatus omnium ſcientiarum magiſter tunc eſſet, quando hoc illi ad promerendum acclamationes non qualeſcunque, & ad ingenij laudem inſignem ſatis fuiſſet, ſi vel mediocris diſcipulus,& auditor quidam è mediis euaſiſſet. Quod ergo ibi glorioſè finiit, vnde alij ordiuntur, eâ re gloriam ſibi incomparabilem, immortalemq; conflauit.

Annos viginti & duos agens omnibus ſcientijs excultus fuit.

PHÆNIX GRÆCIÆ.

SANCTVS BASILIVS MAGNVS

LIBER PRIMVS

CAPVT I.

Plurimùm conuenit faciebus, & prosapiis, vt enim rarus absque næuo vultus, qui venustatem illius obscuret, sic pene nullum tam illustri origine natum genus, quod non maculam aliquam habeat, quæ illius splendorem obnubilet, & fædet.

QVod illustris, & inuicti martyris Seuerini Boethij sententia, quam doctissimus Florentinorum Pontifex S. Antonius 4. part. Theol tract. 15. c. 3. §. 1. refert, de quouis præclaro, & heroico viro pronuntiat, id aptare qualicunque nobilissimæ, celeberrimæque prosapiæ possumus. *Nullus est tam composita felicitatis*, inquit ille, *qui non in aliquo cum sua fortunâ rixetur.* Nemini vnquàm tam æqua, & beneuolens, & propitia fortuna obuenit, cuius prosperitatem non aliqua perfida interpellet aduersitas, cuius secundus progressibus non aliqua calamitas obsistat. Hoc ipsum de quouis præclaro, generoso, & excelso genere affirmare possumus: Quantumuis enim vetusta quis iacet insignia, quantumuis regiâ glorietur origine, nunquàm deerit næuus, qui præclarè gestorum illius præclaram obscuret famã, & tanquàm atra macula papyrum gloriæ ipsius defœdet: *Nullus est tam composita felicitatis, qui non in aliquo cum sua prosapia luctetur.* Conuenit enim hac in re faciebus, & generibus: Nam vt vix faciem quantum libet elegantem, & decentem, inuenies absque neuo, à quo deuenustetur; sic nulla stirps est, quantumuis integra, & pura sibi videatur; quæ non suam habeat notam, à quâ deturpetur, non atram nubem, à quâ obfuscetur.

Genus sine obscurâ maculâ nullum.

Facies absque næuo vix vlla?

Benè hoc probatum dabunt, quod sacer Sponsus de charâ suâ Sponsâ ex admirabundis cœlorum aulicis, & attonitis cælestis Ierosolymæ palatinis dicit, insignisq; magister nostri Hispani Traiani Plutarchus in suis Problematis quærit. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Cant. 6. 9. Quod hæc Sponsa sit militans Ecclesia, extrà quæstionem est, omnes enim Interpretes pari consensu affirmant, hanc esse Leonis Agni bellicosam Sponsam. Illud tamen hîc queri potest, quamobrem tanta formæ præstantia, tamque rara, & admirabilis venustas magis cum Lunæ pulchritudine, quàm cum Solis elegantiâ componatur: *Pulchra vt Luna*, inquit. Huic dubitationi satis fit eo, quod crebrò experimur, nimirùm quod Luna, quando maximè fulget, hoc est, quando totus illius orbis luce expletur, etiam tunc detegit maculas, quæ illam obfuscent, & næuos, qui deturpent. Quod ergo Sponsa dicitur pulchra vt Luna, perinde est, ac si diceretur, animam in hac vitâ nullam esse, nullam Sponsam, quantumuis aspectabilis sit, quantumuis elegantem se esse præfidat, quæ non aliquâ imperfectione notetur, in quâ nullum animaduertere defectum liceat.

Anima in hoc mundo absque omni næuo nulla.

Nunc ad rem. Plutarchus in problem. Rom. num. 77. sciscitatur: *Cur in calceamentis, qui splendidis natalibus præfulgent, ferunt lunas?* Cur hoc in calceatu præferebant auitæ nobilitatis suæ, & illustriũ Maiorum insigne? Nonne luculentius antiquæ, & generosæ, gloriosæq; originis monumentum foret Sol, quàm Luna? Ad hoc rẽspõdetur ex iam dictis, nempe, quòd Lunâ, non Sole pro ornamento, & inditio vetustæ, & splendidæ stirpis vtebantur, qui summâ, & antiquissimâ è familiâ descendisse videri amabant, id factum vt nos monerent, nobilissimas, fulgentissimas, regias adeò, & inclytissimas prosapias, Lunæ similes esse,

Lunam in calceis cur veteres nobiles ferebant?

esse, non Solis: Velut enim Luna, cùm plenissimo lumine splendicat, maculas habet, quæ illam defœdent; sic summæ, & regiæ stirpes pulchræ sunt, at Lunæ instar, quantumuis enim sint illustres, & puræ, nunquàm carent vitiorum notis à quibus maculentur, aut criminum labe, quâ splendor gloriosorum titulorum obnubatur.

Singularis fuit, ac plena mysterio cæremonia ea, quà magnus credentium pater Abraham vsus fuit, quando à seniore suo famulo familias juramentum exegit, quo illum obstringeret, vt demandatum rectè expleret officium. *Pone manum tuam subter femur meum, vt adjurem te per Dominum cœli, & terra*, ajebat Gen. 24. 2. Dignum reuerà notatu mysterium! Laborant Interpretes, neq; parum vt causam exploratam reddant, quæ mouere potuerit sanctum patriarcham, vt ejusmodi vteretur cæremoniâ, & à seniore famulo in hac potius, quàm aliâ corporis parte manum poni vellet. Pleriq; in eam sententiam vadunt, vt dicant, quodam velut Sacramento vsum fuisse, cùm subter femur ponere manum præcepit, eò quod illa pars consecrata sit fonti, & origini successionis, ex quâ descensurum erat remedium, & secutura medicina omnium humani generis infirmitatum. Ita existimant SS. Ambrosius l. 1. de Abrah. c. vlt. Hieronymus Tradit. in Gen Augustinus, Ser. 77. de Temp. Gregorius, Cyrill. lib. 7. in Gen. cum aliis multis. Hoc posito transeamus ad id, quod Iacob patriarchæ nepoti Abrahæ contingit. Cum Angelo hic longâ, & contentiosâ colluctatione decertauit. Videns autem Angelus, quod lacertosum aduersarium superare non posset, neruo femoris ejus, vt sacer textus memorat, tantam vim attulit, vt præmodùm debilitâtâ corpore dissimulare non posset pugnacissimus pugil, quod passus fuerat, quoties passim moueri, & progredi necessum esset. *Tetigit neruū femoris eius, ipse verò claudicabat pede*, G. 22. 31.

Abraham cur subter femur suū poni manū à famulo voluit.

Iacobtis femur cur Angelus præ alijs

Excitari etiam hoc loco arguta quæ-

stio potest, quamobrem Angelus cùm animaduertit, quòd colluctatorem suum Iacobtem deiicere non posset, femur magis, quàm aliam partem feriendam appetere voluit, vt vires illius debilitaret, frangeret animum, & pugnandi ardorem intepefaceret. *Videns autem, quod eum superare non posset, tetigit femur eius*. Quid ita? Huic interrogationis satis fiet ex his, quæ à sacris Doctoribus paulò ante dicta. Nam cùm omnes affirment, quòd *in femore generationis est locus*, origo posteritatis, officina successionis, quando Angelus vidit, quod expugnare oppugnatorem non posset, femur illius inuadere, ferire, ac sauciare voluit, arbitratus tali stratagemate subigere illum posse, vt nos doceret, nullum esse genus, nullam stirpem (tametsi nobilitate cum prosapiâ Iacobtis certet, quæ caput duodecim Tribuum fuit, vnde ille claritudinis inclytissimæ populus descendit) cujus arrogantiam compescere, retundere spiritus, frangere animos non possis dum femur duntaxat majorum, posterorumq; illius tangas: *Ipse verò claudicabat pede*; inquit sacer Textus.

partibus inuasit.

Et si pes generis est mulier, aptissimè dici de sancto Iacob potest, quod claudicabat pede, vnica enim illius, solaq; filia Dina insignium illius flagitiosa litura, & fœda, lasciuaq; macula fuit. Hoc sacer Textus Gen. 34. 1. talibus verbis affirmat: *Egressa est Dina filia Lia, quam cùm vidisset Sichem, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vt opprimens virginem*. Vix ab honesto recessu Dina in publicum erupit, quando infamiam incurrit, quâ prosapiæ suæ perillustris splendorem fœdissimè obscurauit. Hoc ergo potest esse mysterium Angeli, quod Iacob claudicare cœpit, mox vt neruum, quendam generis illius tetigit. *Tetigit neruum femoris eius, ipse verò claudicabat*. Nam vt hic neruus (Dinam intelligo) tam leuiter remisit, & intemperatissimo instrumento, si vnica tantùm chorda laxetur, tota harmonia

Mulier pes, siue basis suæ stirpis,

Dina neruus remissus totam familiæ harmoniā soluit, & turbauit.

monia dissoluitur: Ita hæc malè consulta puella tanquàm remissus neruus totam familiæ suæ existimationem, præclaræ opinionis consonantissimam harmoniam turbauit. Denique nullum est genus, quod non habeat suam Dinam, nulla est prosapia, quæ non sit Luna, nulla tam recta linea, nulla tam iusta propago, quam non aliquis viciet, aut obliquet, detorqueatque: *Nullus est tam compositæ felicitatis, qui non in aliquo cum prosapia sua rixetur.*

Huc commodùm veniet symbolum Claudij Paradini, qui mortem depinxit præferentem sceptrum adstrictum ligoni, cùm hac adscriptione: *Sceptra ligonibus æquat*; hoc est: Inexorabilis Parca penetrantissimâ suæ falcis acie tam imperiosè succidit maiestatem sceptri, quàm facilè deijcit ligonem rustici, inuincibile eius brachium nec Monarcha per superbiam effugere, nec euadere per humilitatem quisquam, de fæce plebis potest. Benè hoc habet. Verùm ego dicerem, consultè facturum, si quis ligonem sceptro coniugaret, siue adstringeret. Sed quare communi vinculo coniungentur res tam discrepantes, quàm sunt maiestas sceptri, & vilitas ligonis? Dicam. Eâ coniunctione nobis velut diceretur, vt nemo efferatur animo, tametsi sceptrum manibus gestet, nemo arrogantiùs insolescat, quamuis regni diademate redimitus, quantumuis enim sanguine regio, & generosâ stirpe glorietur, ligonem proximum cogitare debet, quo si semel, iterumq; stirpem suam sarriat, pauloq; altius subigat, non deerunt defectus, quos notare possit, & maculas offendit, quas detegere queat. Nam in propatulo ferrè sunt, in illustrissimis etiam familijs, vitia, & exiguâ, leuiq; sarriturâ deoperiuntur multa flagitia, quæ promulgari valeant. Si non est ità vt dixi, attentos per amplissimum historiarum campum extende oculos, & reperies multis exemplis probatam, contestatamq; veritatem, quam proposui.

Aptum ligonis cum sceptro coniugium

Familiarũ illustrium vitia leuis sarritura deoperire potest.

Non intempestiuum huc veniet, quod de Sponsi sui casto ventre honesta illius Sponsa Cant. 5. 24. affirmat, inquiens: *Venter eius eburneus distinctus Sapphiris.* Vbi ab eboris, & sapphiri similitudine illum dilaudat. In sapphiris, qui cæli colorem referunt, nobilis, & inclyti Sponsi præclaræ successiones, & illustres posteri repræsentantur. Quem enim partum edere fœcunda illius lucubratio potest, qui non sit spirituale quoddam cælum, & thronus, inquo laborum illius fructus conquiescat?

Verum subnotauit peropportuné in rem præsentem Ioannes Cluniacensis Serm. 39. to. 3. Quod non dixit Sponsa: *Venter eius* continuatus *sapphiris*, sed *distinctus sapphiris*, & intertextus. Sed cur non plenus, cur non confertus, & continuatus pretiosis eiusmodi & opulentis lapidibus, verùm in partibus solùm nonnullis relucens, & hinc inde tantùm ornatus? Causa est ea, quam tractamus. Nec enim est venter aliquis tam eburneus, tam purus, tam castus, ac generosus, nec tam sublime, ac regium genus, quod continuè producat Sapphiros, generet cælos, pluat glorias. Ex omnibus aliquid inuenias in prosapijs, & sapphiros pretiosos & muscosa, viliaq; saxa, frusta cælorum, & portiones inferorum: Vt enim sunt filii multarum matrum, ita & matres plurium filiorum, quorum diuersa sint studia, & contrariæ indoles, sic vt alii maiorum suorum gloriam exaggerent, & amplificent, alij proauorum suorum præclara insignia obfuscent, & commaculent. Itaq; & *Venter* Sponsi non continuatus sed *distinctus*, & intertextus erat *sapphiris*.

Venter Sponsi distinctus sapphiris, non continuatus.

Quod enim Sapiens de cordibus humanis dicit, id nos de familiâ quacunq; serenissimâ, & amplissima possumus affirmare. *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* aiebat ille Prov. 20.9. Ex LXX. Interpretibus hæc apud S. Leonem ex Serm. 8. de Epiphaniâ, 5. de Quadragesimâ, & 12. de Passione ità habent: *Quis gloriabitur, castum se habere cor?* Quis reperiri potest tam vanus, & arrogans,

Generi & humano cordi conuenit.

Genus nullum prorogans,

gans, & iactabundus, qui gloriari ausit, quòd tersum cor habeat, nullâ impuritatis labecula aspersum? Quis ita superbiat, vt se ex omni parte nitidum putet, genusq; suum nullis vnquàm scelerum sordibus conspurcatum probare posse existimet? In rem præsentem hoc ita exprimere possumus: *Quis gloriabitur castum se habere genus?* Quis tam elato, ac præfidente sit animo, qui genere tam puro, tam syncero, tam integro, tam sublimibus montibus oriundo glorietur, vt nihil habeat maculæ, & fœditatis? Immaculatum genus certè nullum est: *Nullus quippe est tam composita felicitatis, qui non in aliquo cum sua prosapia rixetur.* Nulla tam antiqua, & celebris familia cuius celebritatem non alia antiquârint flagitia, nullius tam nobile folum, vt Soles solos produxerit, neq; maculosas Lunas tulerit, non scelera, & flagitia, per quæ generis existimatio, & maiorum virtus obscurata fuerit: *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.*

Sus immaculatum.

At si genus quodpiam reperias, quod sit continuatum sapphiris, & merus adamas, nec alios numeret alumnos, nonquàm sanctos, quàm cælos, & luces, nonne hoc sit occurrere miraculo rarissimo, & nunquàm audito? Nonne digna est, cui perpetuus ab omnibus plausus detur, & festiuâ cunctorum acclamatione celebretur prosapia, quæ nil nisi Soles tulerit, quando aliarum familiarum Soles in lunas pleriq; degenerârunt. in quibus, etiam dum luce confertim sunt plenæ, neq; pauca, nec parua reperire liceat vitia? Quod ergo in hac inclytâ & sacrâ arbore, in hoc nido, in quo natus Phœnix Basilius, omnes virtute, & sanctitate eminentes fuerint, & Basilius quidem, Gregoriusq; scientiâ illustres, sapientia incomparabiles, Macrina maior natu soror, sui verò temporis Sibilla, illorum seculorum lilium, ætatis suæ rosa, & pater Basilii communis parens, & doctor catholicæ institutionis, & educationis, & auia insignis veræ doctrinæ magistra, & auus inuictus athleta Iesu Christi, cuius & partes, existimationem, nomen vsq; ad sanguinis effusionem propugnauit, nonne hoc est eximium, & singulare illius prosapiæ decus, & gloria, cui alia par nulla unquàm visa?

Magnum theologum Nazianzenum huic veritati fulcrum, & columen subijciam, cuius sunt illa ex Orat. 20: *Qui simul & multos, & probos, atque honestos filios habuerint, in fabulis fortaßè repertas.* Parentem, qui copiosam, simulq; piam, ac virtutis studiosam habuerit prolem, nisi in commentis Poëtarum haud inuenias. Premite in verbis Gregorij illa: *In fabulis fortaßè repertas.* Non dicit certum, indubitatumq; esse, quòd vel in fabulis eiusmodi soboles inueniatur, sed fortè fortunâ tãtùm accidere posse, vt id fiat. Quanquàm enim cæca antiquitas omnem procul abiecit pudorem, & in licentiam quiduis comminiscendi sese percipitauit, vt quæ mendacia in ipsos nobis ingerere oculos voluit, quando montes aureos finxit (quòd enim sint, qui tales montes promittant, sed non exhibeant, non ea fabula est) & fontes ex quibus argentum, promanet, & terras, quæ gigantes producant, & homines, qui diis solicitudinem iniicerent, vimq; afferrent, & his similia commenta, & somnia: Nihilominùs dubitat Nazianzenus, an etiam ità insanierit, prorsum que obbrutuerit gens illa vetus, ac temeraria, vt fingere auderet patrem affluentem filiis, qui omnes frugi essent, ac probi, & benè agere cupidi: *In fabulis fortaßè repertas*; nam vt hæc res ab humano more & vsu communi per quã est aliena (quandoquidem & duorum filiorum, quos primus Parens habuit, alter valdè flagitiosus, & perfidiosus fuit) fingere illa hominum ad quiduis aliàs comminiscendum proiecta temeritas ausa non fuit parentem, qui tam singularis incredibiliter fortunatus sit, tam incredibiliter fortugulariter felix, tam incredibiliter arbitrari licet, natus fuisset. Hinc verò arbitrari licet, quàm gloriosus fuerit Basilius Basilij nostri parens, inquit Nazianzenus, hinc stri parens, & prosapiæ dignitatem sanguinis illius, & prosapiæ dignitatem æsti-

Filij rari, qui & multi sint, & probi omnes.

æſtimare, vt qui meruerit habere & parentes ſanctos, & coniugem ſanctam, & totam ſobolem horum ſimilem, deniq; vt tota arbor ab infimis, & remotiſſimis radicibus ſancta eſſet: Nam abaui, vt diximus, auiq; paterni, & materni, parentes, fratres, ac ſorores ſacri Phænicis literis aureis æterno vitæ libro inſcripti ſunt, cuius nitentiſſima folia ſunt cœli, qui perpetuò eorum proclamant virtutes, decantant glorias.

Diuina auguſtiſſimæ cœlorum Imperatricis caro ingenioſè à noſtro Phænicæ in lib. de humanâ Chriſti generatione apud Bernab. Matut. ſerm, 1. de Concept. vocata fuit *caro ſanctitate compacta*. Quid eſt caro ſanctitate compacta? Tota ſancta. Hoc inter cibum, qui ſaccharo ſolùm conſperſus, & eum, quem condimentarius ſaccharo condepſuerit, intereſt, quod qui ſolùm eſt conſperſus ſaccharo, dulcem ſaporem amittit, ſimulac ſublatum ſaccharum fuerit, at qui conditus, & compactus ſaccharo, per omnia merè dulcis, & gratus eſt, quacunq; parte illum ſiue culter, ſiue guſtus tentet. Ad hunc modum Baſilius de carne Mariæ dicit, quod *ſanctitate compacta* fuit, nam quacunq; innocentiæ, & ſanctitatis eius periculum culter examinis faciat, vbique ſanctam, puram, niuem, cœlum reperiet. Tantundem affirmare poſſumus de illuſtri genere & proſapiâ noſtri Phænicis: *Proſapia ſanctitate cōpacta*. Proſapia Baſilii ſānctitate cōditafuit (nō dico quod in Adam non peccarint illius ſiue maiores, ſiue agnati, quis enim tale quid affirmet?) quacunq; enim illam perueſtiges, atq; examine ſtudioſæ, curioſæque indaginis explores, mel merum, & ſaccharum, omnemq; ſuauitatem, & ſanctitatem comperies. *Proſapia ſanctitate compacta* fuit, quæ abauos, auos, parentes, liberos omnes ſanctos habuit.

Baſilij proſapia ſanctitate comacta.

Secundùm hæc meritò exclamare cum Vrbano, & euangelicuo prophetâ poſſumus: *Quis credidit auditui noſtro?* Iſa. 53. 1. Quis fidem habebit veritatis ad quam fingendam deſtituit animus fabuloſam antiquitatem, cui tamen ſat, ſuperq; fuit & audaciæ, & autoritatis, vt nihil tam eſſet abſurdum, nihil tam à ratione alienum & à communi omnium ſenſu abhorrens, quod non & comminiſceretur, & perſuaſum faceret? Nam ſtirps, quæ Sol quidam eſt, & hanc ſola obtinet excellentiæ dignitatem, fidem maximè reddere dubiam poteſt, & ſonoram famæ tubam plurimùm fatigare, ſi ſemel homines inueniat, qui credant vera eſſe, quæ de ſingulari, & cui parem proſapia alia nulla habeat, eius præſtantiâ ſunt dicta.

Capvt II.

Quod in vno quodam genere genus omne virtutum & perfectionum reperiatur, id maioris excellentiæ genus eſt, quàm dicendo explicari poſſit.

Nondum conquieſcit curioſitas, & malè contenta meditabunda contemplatio, vult nobilitatem maximam, & ſanguinis dignitatem omnem, quas annales temporum referunt & hiſtoriarum memoria narrat, oſtendere. In arbore inſignis genealogiæ, & præclaræ ſtirpis diuini Phænicis noſtri à profundiſſimis radicibus ad ſupremum verticem vſq; numeramus Sanctos decem, & octo. In his duos abauos paternos, quos magnus Nazianzenus Orat. 20. vocat animatas columnas, viua exempla, & ſtrenuos magiſtros militiæ Chriſtianæ, auos paternos, & maternos, qui cum illis conficiunt ſex, patrem, & matrem, ex quibus octo euadunt, ſi ad ſuperiores accedant, & nouem liberos, qui ſeptendecim faciunt, & planè octodecim, ſi Phænicem adiungas, qui eſt decus, & ornamentum, & maxima ſuæ familiæ gloria. Iam quibus in hiſtoriis, quibus in annalibus, quâ in hominum memoriâ legitur, ſcribitur, recenſetur, aut reperitur proſapia tam præclara, tam excelſa, tam inſignis, tam ex quauis parte nobilis! Quod genus, cui tanta genera virtutum, tanta

Genus S. Baſilij octodecim ex ordine Sanctos nu merauit.

tanta varietas perfectionum? Ergo hæc Phænicis nostri stirps illustrissima, & dignissima est omnium, quotquot ex magnitudine, & splendore habent admirationem & venerationem. Itaque exclamare cum propheta poterimus: *Non fecit taliter omni nationi*; ps. 147. 20. Non genti, non regno, non domui alicui, aut familiæ tam rara fortuna tam singularis obtigit felicitas, quàm arbori stirpis S. Basilii, quæ tam plena, & cumulata fructibus, tam opima, & fertilis, grauidaq; tam pulchrâ, & copiosâ varietate perfectionum, & virtutum fuit. In hac quippe arbore inuenias magno numero Sanctos, eosque diuersis, & admirabilibus donis præ alijs collocupletatos. Quis Sanctos tam multos continuâ propagatione editos non admiretur? Quem res ista non attonito similem reddat?

Cùm sacrum Oraculum lenem indolem, qua suauissimus, & mansuetissimus Hebraici populi ductor præditus erat, memorare instituerет, eam his verbis expressit: *Erat Moyses vir mitißimus super omnes homines, qui morabantur in terra*; Num. 12. 3. Et paulò infrà v. 7. hoc illum elogio cohonestat: *In omni domo mea fidelißimus est.*

Antonius Fonseca insignis, & doctus Dominicanus in suis. Addit. ad Pentat. Caietani Num. 12. obseruauit vigilem Dei prouidentiam, quæ mundo viros tam sanctos, & perfectos submisit, in quibus reluceret omnipotentis brachij illius virtus, & amplitudo maiestatis, vt potè quæ famulos suos tam copiosis augere virtutibus, tam diuitibus supernaturalium donorum ornamentis ad miraculum cumulare potuerit. *Illud tamen dixerim*, inquit ille, *Deum septimis seculis mirabilia ferè renouasse, si quis diligentius attēdat. Nam Moyses septimus fuit ab Abraham, Abraham septimus ab Henoch, Henoch septimus ab Adam. Ita septima quaque generatione viros sanctißimos Dominus in orbem mittebat.* Omninò quàm mirum, tam dignum notatu est, quod in septima quaq; generatione Dominus olim innouabat prouidæ dexteræ suæ præclara, & admiranda facinora. Moyses namq; septimâ generatione Abrahamum secutus fuit, magnum illum credentium parentem, quem orbis absolutus Monarcha innumeris cumulauit benedictionibus, proauumq; elegit, ex quo per temporalem natiuitatem descenderet. Abraham septimus fuit ab Enoch, quem sacrum cælorum Consistorium designauit, vt verbum euangelicum sub expirantis mundi finem, interq; fatiscentis, & collabascentis huius terrenæ fabricæ fatalia suspiria postremus minister annuntiet, Henoch, vt habet apostolus Thaddæus in epistolâ S. Iudæ v. 14. septimus ab Adam capite, & primo generis nostri parente fuit: *Ita septima quaq; generatione viros sanctißimos Dominus in orbē mittebat.* At si Domini magnificentia inde olim eluxit, eâque re sese exeruit, & ostentauit, quòd viros tam sanctos Mundo submisit, & septimo cuiq; seculo vnum aliquem tam perfectum dedit, hoc est, post pluscul as annorum centurias dutulit! Quantam eam putabimus magnificentiam, quam eximiam gratiam, & singularem prærogatiuam censebimus, quòd familiam vnam tam multis Sanctis continuâ propagatione nobilitauit, ijsq; non qualibuscunq;, sed talibus, vt pietatis, & eruditionis famâ percelebres, & vario virtutum ornatu in quouis statu exculti, insignesq; fuerint?

Sanctos viros septenis seculis olim Deus mūdo submittebat.

Vt raræ huius excellentiæ magnitudinem rectè intelligamus, audiamus quid Propheta regius dicat: *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem*, inquit ille ps. 91. 8. Peccatores exoriuntur, & apparent instar fœni. Eâ similitudine, vt notant Michael Ayguanus, Ioannes Bochius, & Iacobus de Valentiâ, facilitas, & celeritudo, quâ nascantur, & augescant peccatores, simulque quàm sit copiosa malæ & abominabilis generationis istius multitudo. De Iusto autem loquens idem Propheta pœnitens ait: *Iustus vt palma florebit*; pag. 91. 13.

Peccatores vt fænum, Iusti vt palma exoriuntur. Quid ita?

Quid sibi vult, quod Peccatores vt fœnum multiplicari feruntur, Iusti autem vt palma efflorescere?

Respondet Ioãnes Cluniacensis Serm. 40. qui est IV. Dom. IV in Quadragesimâ: *Quia fœnum facilè multiplicatur, Iustus vt palma floret quæ vix inuenitur, & si inueniatur, vix floret nisi post diuturnum tempus.* Cum fœno comparantur peccatores, nam quemadmodùm fœnum facilè crescit, & augescit, sic peccatores nullo negotio nascuntur, & incrementa faciunt. Verùm Iustus cum palmâ confertur, idque hoc mysterio, quod velut rara est eiusmodi arbor (vt propterea etiã Phœnix, & Palma apud Grecos propè idẽ nomẽ obtineãt) & vbi reperitur ibi tardis profectibus serò augescit, & vix parum intra annos non paucos: Ita quod Iustus cum palmâ componitur, id perinde est, ac si diceretur, Iustum vix reperiri, atq; vbi reperitur, ibi florere, augescere, meliorem fieri, fructus edere tardè, & ægrè: *Vix inuenitur, & si inueniatur, vix floret, nisi post diuturnum tempus.*

Palma lẽtis profectibus tardè augescit.

Quale ergo fuerit videre arborem, quæ intra exiguum, tempus, & annos pauculos ab imis radicibus ad supremum verticem vsq; sic germinauit, vt non vnum sanctum, non vnum iustum, sed octodecim iustos, & sanctos protulerit, quorum virtus, & perfectio heroica fuerit, alterq; alterum insecutus quantum nobilitate sanguinis, tantum sanctitate spiritûs? Huic singularis excellentiæ præcipuam laudem deberi negare non possumus. Hæc arbor tam fœcunda digna est, quæ stirpium, prosapiarumque palmâ, ac lauro coronetur. Hæc istius arboris præstantia elucescet ampliùs, si argumentum à contrario conficiamus. Si diceremus ex vno genere continuatæ propagationis serie prognatos octodecim insignes flagitiis, sceleribus famosos, & in omne vitiorum genus effusos peccatores, vix id credi posset, quantumuis procliuiter in male facta ruant homines, & affine sit carni, & sanguini peccatum: *Quia fœnum facile multiplicatur.* At si hoc tam difficile persuasu foret, horribilemq; admirationem eiusmodi generatio pareret, affectata excellentia videbitur, atque in fabulosis fictionibus recensebitur, si dicam, vnam reperiri prosapiam, in qua decem & octo fuerint sancti, iique tam insignes, tam inclyti, tantisq; plausibus celebrati à viris item sanctissimis, & sapientissimis, à Nazianzeno, inquam, Amphilochio, Ephræm, Athanasio.

Et cùm arboris nomen cuicunq; fœcundæ, & numerosâ prole plurimùm auctæ familiæ perquàm propriè tribuatur, aptissimèq; conueniat videtur mihi de hac sacrâ arbore, quæ tam diuinos edidit fructus, dici posse, quod de aliâ admirabili (quam & vidisse ait) Ioannes Baptista Porta Neapolitanus lib. 2. rerũ mirab. seu de magiâ naturali his verbis affirmat: *Vnam nouimus arborem, delitiarum horti arborem dictam. Erat trifurca, & sic cœlum fauebat, vt pulchriorem non viderim*; tanquàm verbis aliis dixisset: In arborem incidi elegantissimam omnium, quas mea obseruauit curiositas, & detexit attentio, quæ solicita plurimos emissitiis oculis peruagata hortos, pomeria etiam varia, & syluas non paucas peragrauit. Tribus ramis constabat, quorum cùm diuersissimi essent fructus, tam suaues, tam grati, ac sapidi erant siguli, vt cùm oculos speciei venustate, saporis suauitate palatum incredibiliter pascerent prodigiosus terræ partus reputarentur, adeoq; illa tam rara, & peregrina planta hoc nomine donaretur, vt arbor horti delitiarum vocaretur, vt in quâ omnes sensus sua inuenirent oblectamenta, nec enim cortex illius asper, sed glaber erat, totamq; flagrantes flores venustabant, vt velut tactum blandè inuitabat, sic & olfactum festiuiter allectaret atq; idcircò Baptista Porta existimabat, cœli beneuolentiam ergà hanc arborem esse singularem, & quanta maxima esse potest: *Sic cœlum fauebat, vt pulchriorem non conspexerim.*

Arboris cuiusdam trisulcæ differentes, sed suauissimi fructus.

Prosapia Basilij Virginibus, Sacerdotibus, Martyribus illustris.

Hoc ipsum potiore iure, & ratione affirmare debemus, & possumus, de prodigiosâ arbore quæ est Phœnix,& Palma arborum omnium. Nam si alteram illam hoc admirabilem faciebat quòd *trifurca erat*,& singulorũ ramorũ alius atq; alius fructus: Hæc arbor etiã tribus constitit ramis, quibus, vt S. Augustinus l. 1. de mirabilibus sac. scriptur. c. 3. to. 3. affirmat, nititur, quidquid iustitia, & sanctitas eximium præcipuumq; habet. *Tota iustitia hac est*, inquit ille, *Virginitas, sacerdotium, & martyrium.* Virginitati, sacerdotio, martyrio, tanquàm basibus, & athlantibus sumptuosum totius sanctitatis ædificium inhæret. In nostrâ hac arbore inueniuntur,ab eaq; subpullulant hi tres rami Martyrij, Sacerdotii, & Virginitatis. *Trifurca est arbor.* Virgines fuerunt Basilius, & Macrina, virginesq; purissimi,& integerrimi. Sacerdotes parensBasilij,Basilius ipse,Greg.Nyssenus, Petrus,Sebastensis, & hi tres Episcopi, Basilius, & Gregorius insignes etiam Doctores, Martyr fuit auus paternus horum sacrorum magistrorum.Itaq; dicere possumus, totam sanctitatem, totam iustitiam, omnemq; in hac arbore inueniri virtutem: *Tota iustitia hac est, Virginitas, sacerdotium, & martyrium.* Cùmq; illustris hæc, & fœcunda, & nobilis arbor ferat, producat, generet Virgines, Sacerdotes, Episcopos, Doctores, Martyres, idq; non serâ remotarum, ac diu post secutarum generationum propagatione, sed continuè successiuâ posteritate, meritò de illâ dicere possumus: *Sic cælum fauebat, vt pulchriorem non conspexerim.* Non enim arbor alia fauentiore cœlo gauisa, vel copiosiore rore inde consperṡa,& fœcundata fuit, vel maiorem ex varietate & pulchritudinem habuit, & attulit voluptatem. In aliis prosapiis inuenitur nobilitas, at desideratur sanctitas: Et si vtramq; in aliquâ reperias auri fibra tantæ felicitatis citò perditur, & diues illa vena tam beneuolentis fortunæ non esse diuturna, sed facilè euanescere solet; fit enim crebrò, vt parentum sanctorum sint improbi liberi, & sobolas iusta sæpè flagitiosos habet genitores. Si proles est multa, eaq; tota inscripta libro vitæ, id portentoso euentui par habetur. Verum quando abaui, & aui, & parentes, & liberi decem sunt sancti, tamq; eximiè, & heroicè sancti, id tam insigne miraculum est, & tam ingens portentum, vt nisi item sanctissimi essent, qui hoc narrant, & integerrimæ vitæ, indubitatæq; fidei, qui scribunt, magis fabulosâ relatione assentari viderentur potenti alicui monarchæ, cuius gratiam ambitiosè parensarent, quàm certam proferre veritatem, quâ nihil aliud quæratur, nisi illius Domini honor, & gloria, qui ad omnipotentis dexteræ suæ commendationem, in sacro Ecclesiæ viridario collocauit hanc tam raram, & præclaram arborem, & hoc nobis reliquit genus, quod omni perfectissimarum, consumatissimarumq; virtutum genere, tanquàm prestantissimorum fructuum copiâ abundans admirabilissima horti Ecclesiæ arbor fuit, cui cælum omnium gratiarum rorem, & diuinorum pluuiam donorum magnâ copia inde submisit. Itaq; meritò dicemus: *Vnam nouimus arborem,deliciarum horti arborem dictam. Trifurca erat, & sic cælum fauebat, vt pulchriorē non conspexerī.*

Capvt III.

Si ad insignem cuiusdam patris gloriam filius vnus satis est, quantæ gloriæ erit habere plures filios celebres,qui illum tanquàm splendidi soles collustrent, & coronent?

FAbulæ affine videtu, ex diuini Theologi pronuntiato, patrem designare, qui simul & proborum, celebriumque, & multorum liberorum fuerint genitor. *Qui simul & multos, & probos, atq; honestos filios habuerit, in fabulis fortaßè reperias,* dicebat Nazianzenus vbi supr. orat. 20. Tam sublimis enim felicitas, tam rara gratia ne in fabulosas quide narrationes

tiones cadere videtur, nec eos spiritus humana habuit audacia, vt tale quidpiam cominisceretur, aut fingendo malè credulis obtruderet. Et quis fidem inuenire speret, si patrem annunciet, qui multos, eosq; pios eodem tempore habuerit liberos, cùm & hoc satis ebuccinare garrulæ famæ tuba non possit, si cui filius vnicus operum bonorum studio insignis, & virtutum vsu, ornatuque clarus obtigerit.

Opportunè huc veniet, quod prædicabilium subtilitatum sacrum ærarium S. Petrus Chrysologus notauit in id, quod Beatus Euangelista Lucas de sacro pontifice Zacharia, & sanctâ eius coniuge Elizabeth improlibus, & posteritate destitutis refert dicens: *Non erat illis filius eò quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processerant in diebus suis.* Lucæ 1, 7. Erant hi duo coniuges magis arida ligna apta secuti mortis deiici, quàm arbores ad fœcunditatem vitæ, & fructificandum natæ. Hanc ob rem illiberes, & absque sobole erant.

S. Petrus Chrysologus serm. 81. obseruauit in modo loquẽdi peculiari sacri historici, quod *non dixit, non erant illis filii, sed non erat illis filius.* Non absq; mysterio factum, quod peruulgatam loquendi formulam præter misit Euangelista, cùm improles illos sacros coniuges descripsit. Mos enim communis habet, vt cùm quis destitutus est liberis, aut absque posteris successoribus decedit, id ità afferamus: Petrus v. g. non habet filios, sine liberis mortuus est, ex suo coniugio non reliquit superstites natos. Sed non consueuimus dicere in singulari, non habet natum, aut mortuus non reliquit filium viuum. Quid ergo causæ sit, quod S. Lucas à viâ regiâ deflexit, & tritum loquendi morem deseruit, dicens: *Non erat illis filius*; quando videtur cum vulgo dicere debuisse: *Et non erant filij?*

Hanc sic explanat Chrysologus difficultatem: *Vt in filio singulari tota fœcunditas pensaretur.* Magno, & singulari mysterio accidit, quod ab vsu loquendi peruulgato euangelista deflexit, cùm de Zacharia, & Elizabeth ait: *Non erat illis filius*; quando triuiali modo se accommodare debuisse videtur, ac dicere: *Non erant illis filij*; quia fixis cogitationibus attẽdebat id, quod singulare, quod rarum, quod vnicum, quod prodigiosum præuidebat in filio, quem admirabilis manus Domini datura erat eis, de quo summus pontifex Christus in bullâ canonizationis eius post hæc ità pronuntiauit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*; Matth. 11. 11. Vt ergo nos doceret, decori, gloriæ, ornamento, coronæ, lauro cuiuspiam patris sat esse filium vnicum, siquidem is frugi sit, & probus, & virtute celebris, cùm particulari mysterio non dixit Euãgelista, quod Zacharias, & Elizabeth non haberent filios, sed quod absq; filio erant: *Et non erat eis filius, vt in filio singulari tota fœcunditas pensaretur.* Namq; vnicus filius, qui & virtutibus, gratiis, excellentiis, prærogatiuis vnicè excellit, quemadmodum diuinus Præcursor excelluit is cumulatâ gloriâ abundè compensare, & suæ virtutis radijs illustrare flebilem plurimorum annorum sterilitatem etiam potest. Filius vnicus, qui probus, sat magnũ Parentum decus.

Non intempestiuè huc veniet quædam, vt videtur, oscitantia principis Poëtarum, quæ tamen meditata obliuio fuit. Ibat pius Æneas Elysii campi loca visitatum, cumq; peruenisset ad diuersorium, in quo strenui quidam militiæ duces conquiescebant, incidit in eos, quos Virgilius 6. Æneid. v. 478. sic describit:

Hic illi occurrit Tydeus, hîc inclytus armis
Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.

Obseruauit hîc eruditissimus Virgilij interpres quòd Poëta, cum trium strenuorum, & præclarissimorum pugilum mentionem facit, solos duos honorificâ appellatione condecorauit, Parthenopæũ quidem vocans inclytum, Adrastrum verò pallidum, Tydeum autem, quem fortitudinis laude aliis antefert, omissione appellationis, postponere videtur,

vt quem

vt quem tamnudum Æneæ obtutui offert. *Priore loco numerat Græcos, quos vidit. Hi sunt Tydeus, Parthenopæus, Adrastus. Primum sine elogio adducit*, inquit Joannes Ludouicus Cerda in 6. Æneidos. Sed cur absque omni encomio reliquit, qué primo loco constituit?

Huic obiectioni satis facit dicens: *Sine elogio adducit, vt satis claritudine suâ notum, fuit enim Pater Diomedis.* Quod Tydeum Virgilius modo speciali memorauit, ad maiorem eius commendationem fecit, nam cùm nemo ignoraret, quod Pater Diomedis esset, qui ob incomparabilem lyræ peritiam scriptis historiarũ cum plausu celebrabatur, superuacaneè aliis encomiis ornatus fuisset, cui ad immortalem laudem sufficiebat, quod Diomedis, tam insignis filii parens esset. Quare & *sine elogio adduxit, vt satis claritudine suâ notum, fuit enim Pater Diomedis.*

Suffulciat causam, quam versamus, Doctorum maximus, qui cùm summatim perstringere eximias virtutes Paulæ, sanctæ illius, & percelebris matronæ, vellet, sic in heroico epitaphio aiebat:

Hic iacet in tumulo, Paulam dixere priores,

Eustochij genitrix &c. Ita S. Hier. epist. 21. t. 1.

Itane aliud nihil erat, quod ad commendationem Paulæ dici poterat? Aut hoc magnitudini illius deprædicandæ sufficiebat, quod Eustochij mater fuerat? Sufficiebat, inquit Hieronymus, hoc vnum ad cumulum gloriæ vnius matris, ad plenitudinem dignitatis eius, ad epigraphon, siue epitaphium sepulchri illius. Qui enim dicit, Paulam tantis auctam fuisse meritis, vt tali felicitaretur filiâ, qualis Eustochium, is dicere plura necessum non habet: *Eustochij genitrix*; vnicus nimirũ filius, qui probitate est insignis, ad gloriam sui patris abũde, sat est.

Postquàm perfidi hostes, & maleuoli exploratores prodigiosorum cœlestis Magistri operum celebre illud facinus calumniati essent, quo renitentem ex miseri, & pessimi hospitis tyrannide ærumnosè oppressi hominis corpore exturbauit dæmonem, dixissentq; quod vi, & ope Principis spirituum tartareorum contumacem illum diabolum expulisset, hilaris, blandus, & tranquillus respondit eis: *Si ego in Beelzebub eijcio dæmones, filij vestri in quo eijciunt?* Matth. 12. 27.

Hos filios, de quibus loquitur Christus, aiunt S. Chrysostomus, Doctor Angelicus, Magister Seraphicus Bonauentura, & reliqui Expositores pene omnes, fuisse Apostolos, & Discipulos Saluatoris.

Hic iam dubitatio subnascitur, quare Christus, cùm de suis Discipulis loqueretur, filios nominarit eorum, quibus humanè, suauiterq; satisfacere cupiebat, dicens: *Filij vestri?* Nonnè magis decuisse, ampliorem q; existimationem allaturum ei videbatur, si Discipulos suos, non aliorum filios appellasset?

Hanc difficultatem Salomon Hispaniæ Tostatus quæst. 64. in c. 12. Matth. diluit, inquiens: *Dixit hoc, vt Iudæi cognoscerent, quod illi, qui ad tantam dignitatem deducti erant, vt dæmones ad nutum eijcerent, filij eorum erant, & sic ipsi gauderent de hac dignitate.* Et Chrysostomus in Catenâ aureâ S. Thomæ in c. 12. Matt. ait: *Non dixit, Discipuli mei, nec Apostoli, sed filij vestri.* Quod non Apostolos, non Discipulos suos nuncupat, sed Iudæorum filios eos, qui tantâ præditi erant potestate, & dignitate, vt dæmonia exigerent, id tali consilio fecit, vt iræ illorum incẽdium extingueret, inuidiæq; noxium humorem depelleret, atque vt lætarentur suâ gloriâ, quæ de filijs veniebat, quibus tam augustâ prouincia concredita, tam latè patens esset facultas concessa, vt nefarios, & capitales humani generis infestatores ab hominum corporibus expulsarent. Nec enim par alia est parentum gloria, ac filios habere insignes, celebres, illustres. Videre hoc ex eo licet, quod ex omnibus remedijs, quæ diuinus Medicus ad sacrilegam æmulorum suorum infirmitatem curandam adhibere potuit, nullum illi magis præsentane-

taneum, nullum efficacius visum, quàm inuidiæ eorum plagam blandâ hac, & suaui commemoratione refocillare, & recreare, quòd præclari parentes tam celebrium filiorum essent. *Filij vestri in quo eijciunt*? Non dixit, Discipuli mei, nec Apostoli, sed *filij vestri*.

Dauid cur sese oliuæ comparauit.

Nescio an huc respicere potuerit sacer Lyricus Dauid, quando ait: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei*; ps. 51. 10. Quid illud peculiare habet oliua, quid proprium, quasnam conditiones, & qualitates, vt ei sese ita assimilare, & comparare diuinus Cantor voluerit? *Ego autem sicut oliua*.

Oleæ ramus vnus ceteris lætior.

Ex multis, quibus natura oliuam ornauit, proprietatibus vna est, quam nobilis agricola, & Hispanus Iunius Columella obseruauit, quod in ramis suis vnum habet, qui cæteris plus luxuriat, viroreque, & elegantiâ & opimitate fructuum alios superat. *In oleâ vnus ramus aliquanto ceteris est lætior*, inquit ille l. 5. de re rusticâ cap. 9. Propheta rex arbor fuit, quæ sese in terrâ diffudit, & dilatauit in mundo. Filios habuit, sed memoratu digna facta non omnium videmus. Absolonem scimus fuisse inobsequentem, refractarium, perduellem, perfidiosum. Amonis violentum, turpemq; incestum, Adoniæ arrogantem ambitionem nouimus. De Salomone autem exploratū habemus, incomparabili sapientiâ valuisse, & maiestati Dei excitasse sumptuosum templum, & prędiuitem thronum, vbi ei iustus cultus, & adorationis debitæ tributum penderetur. Hic denique rex electus, & Israëlitici populi dominus constitutus magnâ cum tranquillitate, & pace subditos suos moderatissimè gubernauit. Solus ex omnibus eminuit Salomon, ille sapiens, ille opulentus, ille religiosus, ille rex, & rex typus supremi Principis, qui perditæ salutis nostræ reparator è cœlis in mundum venit. Quòd ergo Dauid aiebat: *Ego autem sicut oliua*; perinde fuit, ac si dixisset, idq; in rem nostram præsentem percommodè, vt magni, vt excelsi, vt felicis, ac fortunati famam, laudemq; sibi vsurparet, vno illo abunde fieri posse, quod oliuæ similis esset. Nam vt hæc arbor vnum habet ramum, qui suprà alios verticem extollit, comatumq; caput erigit, & ostentat: Sic Dauid, cùm mundo Salomonem dederat, plurimùm fructificârat, & gloriosâ propagatione sese diffuderat, vt dicere posset: *Ego autem sicut oliua fructifera*; nam vt arbor aliqua celebris fiat, satis est ramus vnus cæteris prominentior, lætiorque, vt pater aliquis præclarus, honoratusq; euadat, filius vnus facere potest, qui in præclarè gestis, & virtutum studio sit egregius, excellens, præcipuus. Cùm enim perquàm operosum sit insignem quempiam fingere, aut formare, & perdifficille eximium aliquem in lucem proferre, & rara auis in terris sit perfectus, quæ arbor vnum perfectum, insignem, celebrem edidit, ea multum fructum tulit, & singularem gloriam sibi tali fructu constauit.

Salomon magnam attulit patri suo gloriam.

At si ab vno Salomone tanta in Dauidem redundauid gloria, quàm honorificum est Basilio, & Eumeliæ tot Salomonum fuisse parentes? Nec qualiumcunq; Salomonum, sed talium, quorum saluatio æterna nec dubia est, nec suspecta, sed certis inditijs demonstrata, & ingentibus aliorum Sanctorum encomijs, & plausibus commendata, & comprobata.

Ad lucem quorundam sancti Epiphanij verborum nouum detegemus causæ nostræ suffulcimentum, qui de brutorum coronatâ Principe loquens sic ait l. 3. to. 2. hæresi 78. *Leana non contingit secundus partus*; velut pluribus dixisset: Parùm prouida videri potest Natura, quæ irrationalium animalium imperatrici tam modicam contulit fecunditatem, vt partum vnicum tantùm concesserit, in cuius capite totam suæ posteritatis spem collocatam haberet. Oui, lepori, & harum similibus pecudibus alijs tam frequentes indulsit partus, & leænæ tam raros, ac paucos! Fortean parum attenta hanc ad rem, aut minus est prouida? Immò se-

Leenæ non contingit secūdus partus. Quamobrem?

cretâ Naturæ ad miniſtratione fit, quòd ferarum Princeps vterùm nonniſi ſemel geſtet: *Leæna non contingit partus ſecundus*; voluit nimirùm eâ reſagax monere, & prudens docere, quòd ad famam, opinionemq; præclaram conciliandam ſatis eſt ſemel enixum fuiſſe, ſemel fœtum edidiſſe, ſi tamen partus ſit magnus. Plurium leporum, & ouium pretium non eſt par pretio vnguis leonini. Vnus itaq; leo ſit omnis partus, totumq; pignus leænæ, quia hoc illi ad magnificentiam ſatis eſt. Nam ſi filius inſignis eſt, vnus ſufficit, vt inſignitā patri coronam conficiat.

Vir vnus totā gentem nobilitat, mundum adeò totum.

Ità ſentit illæ Græcæ eloquentiæ facilè princeps Demoſthenes apud Ebor. Verbo Nobilitas, to. 1. dicens: *Vir vnus heroicus totam gentem illuſtrat.* Sol quidam eſt vir heroicus. Nam velut aureus ille planeta, & fæcundus luminum pater diuite ſplendoris ſui copiâ totum veſtit, & admirabili elegantiæ venuſtate exornat orbem. Ita vnus quidam vir heroicus, & illuſtris poteſt decorare, & honeſtare patrem ſuum, familiam totam, nationem integram mundū vniuerſum. At ſi vir vnus heroicus cumulare gloriâ non ſolùm patrem ſuum, neq; familiam tantùm, ſed etiam regna tota, & mundum, quantus ille cunq; ſit, poteſt, quantâ gloriâ circumfluxit Phœnicis noſtri pater, qui decem liberos habere meruit, eosq; tam inſignes, perq; celebres, & ſanctitate inclytos? Primogenitus ſacræ huius arboris fructus Macrina, gratiæ, & naturæ donis tam rara, & ſingularis fuit, vt venuſtatis prodigium, prudentiæ miraculum, ſapientiæ portentum, & ſanctitatis tantæ eſſet, vt ſuæ magnitudinis admiratione attonitos redderet omnes ſui ſeculi homines. Illa quippe prorſùm reduxit noſtrum Phœnicen. Illa philoſophiam docuit fratrem ſuum Nyſſenum, quod ipſus affirmat in dialogo de Animâ. Illa ductrix fuit, & vexillifera earum, quæ intrà religioſa ſepta inſacro receſſu virginalem ſuam Agno virgini conſecrarunt integritatem. Poſt hanc arbor, quam dixi, edidit Baſilium, cuius laudi, & gloriæ hos meorum ſtudioſorum labores dicaui. Dein produxit ſanctum Gregorium Nyſſenum patrem Patrum, Verticem eloquentium theologorum, de quo præclarum hiſtoriæ eccleſiaſticæ lumen Baronium conſule in Martyrologio 19. Iulij. Quid de poſtremo fructu dicam, Petro epiſcopo Sebaſtis in Armeniâ? Quæ alia tam incredibiliter felix fuit mater, quàm Eumelia? Quis pater æquè fortunatus ac Baſilius? Matrem, quæ decem enixa fuerit ſanctos & in his tres epiſcopos, duosque Doctores, & tales Doctores, quales fuerūt Baſilius, & Nyſſenus, in quâ hiſtoriâ, inuenies, aut quibus in annalibus offendas? Quis pater meruit gaudere duobus filijs, de quibus cùm indubita tum ſit & ſanctiſſimos fuiſſe, & doctiſſimos, illud ſolùm incertum, magnitudine eruditionis, & ſapientiæ, an vitæ intaminatione, ac morum innocentiâ excelluerint. Quod vna domus & Sibillam quandam, & duos Salomones ſimul habuerit, tresq; demoſthenes mater vna pepererit, vbi ſcriptum reperias? Quòd genus tam præclaris, inclytisq; Martirum, Virginum, Doctorum, Magiſtrorum, Scriptorum aureolis gloriari aliquando potuit? Quis ex arbore vnâ tot mitras, pennas ſcriptorias, purpuras, lilia, roſas, trophæa, palmas, lauros, dignitates, & magiſtratus pendere audiuit? Nazianzenus certè Orat 20. affirmat, ſi huius domûs, & familiæ viros claros, & inſignes commemorando recenſere debuiſſet, quòd *aliusq; heroum catalogus appareret*, isq; prolixus eorum, qui præclaris facinoribus ſuis attonitum reddiderunt mundum. Quæ cùm ita ſint, quāta eſt Baſilij gloria! Quanta Eumeliæ præſtantia! Quanta parentum amborum dignitas, qui heroici, & inclyti progenitores fuerunt non vnius tantùm inſignis, & celebris, & plauſu digni filij, ſed complurium liberorum, quorum quàm raræ virtutes, quàm incomparabilis ſapientia, tam ingens in Dei Eccleſiâ veneratio, tā glorioſa apud omnes exiſtimatio!

S. Macrina encomia.

Baſilij Parentum ingens gloria ex liberis.

CAPVT IV.

Quando filij virtutum ornatu sunt, parentũ similes, tunc videtur aliud fieri nec debuisse, nec decuisse, quàm vt & illi essent talium parentum liberi, & illi talium liberorum parentes.

BAsilius nostri Phænicis pater tam eximiâ sanctitate excultus fuit, tamq; longos per arctam virtutis semitam fecit progressus, vt de illo sanctus Nazianzenus in Mon. Basilij dicat: *Basilium communem virtutis magistrum eo tempore Pontus proponebat,* Et iam ante dixerat: *Eccus Basilius huius nostri pater incognitus est, vir magni apud omnes nominis?* Basilij pater Basilius tam prouectus erat, & excellens, tam celebris, & decantatus, christianorum tam præstans pietate morum, tam purus sacerdos, tam candidus, tam immaculatus, & syncerus, tamq; illustre omnibus de se præbebat exemplum, vt fulgentes virtutum illius radij latere neminem possent: Nomen verò tale sibi comparauerat, tantamq; famæ existimationem comparauerat, vt tota Ponti prouincia tanquam speculum militum, Christo, & cœlo armandorum proponeret, & velut quoddam vexillum erigeret, quo ad Principis æternitatis castra copiæ militares adducerentur: *Basilium communem virtutis magistrum eo tempore Pontus proponebat.* Eumelia illius mater nec minùs sancta, nec perfecta minùs fuit, quæ, vt vno verbo dicam, *hoc inter mulieres fuit, quod ille inter viros,* inquit rursùm Nazianzenus vbi supra. Et cùm hic illam dilaudat, quod in fæminis eminuerit, quantùm in viris maritus eius, artificiosâ, succinctâq; rethorices industriâ extricauit sese, vt necessum nõ haberet per omnem latè campum perfectionum, & laudum Eumeliæ exspatiari. Cùm enim Basilio coniugi eam exæquasset, ac de hoc dixisset, fuisse communem christianæ institutionis præceptorem, quasi in breui linteo spaciosum innumerabilium encomiorum orbem expressit. Itaq; concludit magnus Theologus: *Vnde paterno generi materni generis splendorem opponimus.* Si Pontus gloriatur Basilio patre Magni Basilij tanquàm speculo virtutum, exemplari, & magistro educationis catholicæ, non minùs opulescere famâ Cappadocia, & perfundi gloriâ, & magnificentissimè iactare se potuit, quod esset patria Eumæliæ, quod latinè dicitur, cultæ, siue ornatæ, hoc est, eius, quæ in cultu, & ornatu morum Christianorum potest esse speculum, ad quod respicientes excolant, & perpoliant se, quæ Deo sponso esse gratæ volunt.

Basilij parens Basilius communis magister virtutis.

Dicit nunc Theologus Demosthenes, Nazianzenus orat. 20. *Neq; Basilio ex alijs potiùs, quàm ex his gigni conueniret, neq; illis rursùs cuiusquam alius potiùs, quàm huius parentes nominare. Quæ duæ res percommodè concurrerunt.* Itaq; Dei prouidentia tali filio parentes tales deputauit, & filium talem talibus parentibus præfiniuit. Nullum videtur par aliud tale potuisse coniugari parentum, quod suis virtutibꝰ talem promereretur filium, neq; videtur filius alius tot gratiæ pignoribus insignitus potuisse esse parentibus talibus dignum pignus. Nec alij magis accommodati obuenire potuerunt Basilio parentes, nec parentibus illis conuenientior obtingere filius. Singulares nimirum excellentiæ talis filij tales velut inclamabant parentes, & raræ parentum virtutes tam eximiæ sanctitatis filium magnis vocibus expetebant. Nec magnificentius elogium tribuere his parentibus possis, quàm si exploratum facias, solos illos talem commeruisse filium, nec celebriori laude filium extollere, quàm si dignum fuisse talibus parentibus affirmes, & euincas.

Basilius dignus fuit suis parentibus filius, & filium illum habere parentes meruerunt.

Huic causæ patrocinabitur Os aureum S. Ioannes Chrysostomus quadam suâ commentatione in id, quod beatus Matthæus c. 20. ait *accessisse ad Iesum matrem filiorum Zebedæi cum filijs suis.* In his verbis illud mirum, cur istam mulierem matrem filiorum Zebedæi nominet,

Mater Iacobi, & Ioannis, cur mater filiorum Zebedæi, non vxor huius dicta.

minet, cum vxorem Zebedæi vocare potuisset, ac diceret: *Accessit ad Iesū coniux Zebedæi.* Certè faciliùs, ac promptiùs videbatur sic eam appellare, cùm & hoc mos communis, vsusq; vulgari habeat, vt mulieres potiùs de maritorum nomine, quàm de liberorum appellatione denotentur, & innotescant. Quid ergo hîc mater per filios designatur, & per matrem filij demonstrantur?

Huic obiectioni occurrit Chrysostomus homil. 34. Operis imperfecti, dicens: *Magna laus mulieris huius ex hoc loco colligitur, quia non solùm illi reliquerant patrem, sed etiam ipsa reliquerat virum suum, & secuta fuerat Christum. Et illi ostenderunt quia filij erant huiusmodi matris, & ipsa ostendit quia mater erat talium filiorum.* Quod Euangelista Mariam Salome appellat *matrem filiorum Zebedej*, id singulari mysterio factum, scilicet vt filiorum eximijs virtutibus excellentias matris intexeret. Nam si quidem illi tam fuerunt generosi, vt patrem desererent, quò sequi Christum possent, hæc vt eiusdem mitis Domini sectatrix esse posset, tam excelso fuit animo, vt dulcem consuetudinem chari coniugis relinqueret: Et velut in præclaris facinoribus filiorum numeratur, patris blanditias obliuioni tradidisse, vt Magistri asperitates amplecterentur; ita nihilo inferius opus fuit huius mulieris, paratas ex marito delicias calcasse, & thalami voluptates cum tumuli commutasse mœrore, ac luctu. Horum alterum mater facit, alterum filij præstiterunt, ac propterea sacer Euangelista matrem filijs coniungit, & filios matri connectit, velut illo facto diceret, tàm magnanimos filios matrem tam generosam decere, & matrem tam præstantem filijs tam claris congruere: *Et illi ostenderunt quia filij erant huiusmodi matris, & ipsa ostendit quia mater erat talium filiorum.* Verè enim parentum præstantia inde elucescere solet, quod tales meruerint liberos: & liberorum merita illud manifestare consueuit, quod talibus digni parentibus fuerint.

Insinuauit id Elianus Adrianensis, quando magistrum suum Alexandrum deprædicans Orat. 10. sic. ait: *Maximum autem inter nos erat, quòd æquè poteramus alter de altero gloriari, cùm & ego de tali præceptore me iactarem, & ille nos, nostraq; ad suam pertinere gloriam, arbitraretur*; velut alijs verbis dixisset: Id gloriosissimum inter me, præceptoremque meum intercedebat, quod reciprocum alter ex altero honorem sibi haurire videretur, mutuoq; gloriabamur, & ego quidem singulari felicitati tribuebam, quod talis mihi forte obtigisset magister, illè verò beneuolentiori fortunæ adscribebat, quod ego illi studiosus obuenissem discipulus. Ille famam sibi ex me auditore præclaram conflabat, ego celebrem mihi ex illo doctore existimationem comparabam. Qui me discipulum attendebant, magnificabant magistrum, qui illum magistrum considerabant, me discipulum ei in videbant. Itaq; speciali prouidentiâ factum aiebant, quod tam sublimis magister discipulo tam solicito seruatus, & tam impiger discipulus magistro tam sapienti destinatus fuisset. *Æquè poteramus alter de altero gloriari.*

Magister bonus, & discipulus probus reciprocam habent ex se gloriã.

Pia mortalium patrona, immortalis Dei dignissima Mater subministrabit validum huic causæ fulcimentum. Abstrusum sacri cubilis eius recessum cœlestis paranymphus ingrediebatur, vidensq; augustissimam Principem ex insolentis salutationis auditu conterritam, ac rubore perfusam, sic eam humiliter, lætanterq; appellabat: *Ne timeas, Maria, inuenisti enim gratiam apud Deū*, Lucæ 1. 30. ne metuas, Serenissima Princeps, tu nimirum ea es, quæ perditam apud Deum gratiam reperisti, quàm Patriarchæ & Prophetæ diuturnis singultibus, & ardentibus suspirijs flagrantissimisq; votis certatim expetierunt

Hic detegitur gratia diuinæ huius dominæ vnica, rara, & eximia, quod inuenit perditam ab Adamo margaritam, & sola reperire meruit, quæ à tam multis summo studio quæsita fuit.

Videamus nunc quid de creaturâ tam singulariter, & vnicè felici dicatur. Sapiens Salomon quærit: *Mulierem fortem quis inueniet?* Prou. 31. 10. Quis illam tam robustam fæminam reperiet, quæ generoso ausu, & intrepido animo, & in victo vestigio calcabit, obteretque antiqui serpentis venenatum caput? Quòd per hanc mulierem fortem sacra Angelorum Regina intelligatur, id magno consensu Patres, & Doctores affirmant. In his S. Augustinus serm. 45. de diuersis, S. Bennardus humil. 2. super *missus* est, Seraphicus Bonauentura, B. Albertus Magnus, S. Vincentius Ferrerius, venerabilis Beda, Sancius de Porta, Bartholomeus Pisanus, Ferreolus Locrius, Gabriel Biel, & sine numero alij.

Laurentius de sancto Richardo lib. 6. de laudibus Virginis attenta consideratione expendit modum loquendi, quo tum Angelus, tum Salomon vsus fuit. Gabriel de Virgine Matre ait: *Inuenisti*. Et Salomon suscitatur: *Quis inueniet?* Richardi commentatio in hæc ita habet: *Nota, quòd hic mentio fit de inuentione. Dictum est Mariæ*, Inuenisti gratiam apud Deum, *ibi verò*, Mulierem fortem quis inueniet? Quid sibi vult, quod eodem vocabulo exprimitur & gratia Mariæ, quæ Deum feliciter inuenit, & Dei magnificentia, cui Maria reperta fuit?

Maria Christum filium, Christus Mariam Matrem inuenit.

Respondet ille: *Quia sicut Mariæ fuit inuentio, habere talem filium, sic Christo fuit inuentio, habere talem Matrem, quia nec alia sufficienter fortis potuit inueniri nec alius quàm Christus ipsam potuit inuenire. Vnde ipsa dicit* Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cùm dicitur, quod Maria gratiam, hoc est, Christum, & Christus Mariam inuenit, amborum sublimitas vtrimq; aperitur, & illius quidem, quod tali digna filio fuit, huius verò quod talem solus inuenire Matrem potuit. Et quando Matrem tam incredibiliter sublimem cernimus, in illâ Filij celsitudinem legimus. Rursum quoties Filium contemplamur, qui talem sibi delegit Matrem, in cælestium donorum, quibus ea Mater exculta fuit, cognitionem venimus, iudicamusq; talem Matrem tali Filio solùm natam, talemq; Filium non ex aliâ, quàm illâ Matre nasci debuisse. Sunt enim quidam Parentes dignitales habere liberos, & sunt Filij talibus cumulati virtutibus, vt mereantur non alios, quàm pari sanctitate præditos Parentes.

Huic doctrinæ inhærens insignis orator Aristides, cùm laudibus magnificare pulchram illam, & celebrem Græciæ portionem, quæ nostro Hispano Melæ dicitur Athis, Stephano Hellas, Appollodoro Cecropia apud Ortelium in Thesauro, rhetoricisq; coloribus, & hyperbolicis emblematis splendorem, nobilitatem, generositatemq; incolarum eius extollere vellet, sic aiebat Orat. 13. *Regionis natura naturæ incolarum videtur conuenire, nec vel terram alios decere homines, vel illi altâ digni esse terrâ*; tanquàm alijs verbis eam rem sic extulisset: Quàm benè conuenit terræ illi, & habitatoribus eius! quàm iusta vtrorumq; fœderatio! quàm decens proportio inter regionem Atticam (cuius caput Athenæ) & nobiles incolas illius! Tam abundans, ac fertile solum, quod cælum tam beneuolentibus oculis spectat, tam largis influxibus fæcundat, ijs congruebat tam illustribus, & nobilibus, & excellente ingenio, faciliq; indole præditis habitatoribus. Itaq; talis regio talibus condita incolis videtur, & tales incolæ nati patriæ tali: *Nec vel terram alios decere homines, vel illi altâ digni esse terrâ.*

Dicamus tantundem in rem præsentē cum Nazianzeno, ita excelluisse virtutibus Parentes nostri Phœnicis, & Phœnicem nostrum in perfectionis fastigium tā sublimè penetrasse, vt nec illi inferiorē mererentur filium, nec filius parentibus minus præstātibus dignus esset: *Neq; Basilio ex alijs potiùs, quàm ex his gigni conueniret, neq; illis rursus cuius quàm alius potiùs, quàm huius parētes nominari. Quæ dua res percommodè concurrerunt.*

CAPVT

Capvt V.

Quanquam liberi gloria, & corona parentum esse soleant, solent etiam plerumq; magnas curas, insomnosq; noctes illis adferre, & crudelium viperarum instar viscera eorum depasci, & dilaniare corda.

TAmetsi filij celebres, insignes, & præclari sint ornamentum, & gloria suorum Parentum, quia tamen tam rari sunt, qui tales, tamq; innumerabiles, qui ad ignominiam, & probrum Parentum, generisq; sui nati videntur, affirmare audaciùs possumus, maiorem esse numerum horum, qui ad infelicitatem Parentum nascuntur, quàm eorum, qui ad ipsorum decus, & gloriam in lucem prodeunt, & cum quo libet filio plerumq; noua cura Parentibus, noua solicitudo familiæ, fors & crudelis inimicus nascitur, qui quot sceleribus scatear, tot probrosis assultibus, & probrosis oppugnationibus eos sit infestaturus.

Filij persæpè Parentum dedecus.

Audiamus sanctum Ephræm, qui to. 2. parænesi 41. hanc in rem sic differit: *Accepit quis Vxorem, initium curarum, genuit filium, solicitudo altera, nascitur alius, cura abundantior.* Itaq; nasci liberos ex agro matrimonij plerumq; tantundem est, quantum exurgere spinas curarum, solicitudinum, vigiliarum, angorum, quæ fodicent animos Parentum, & corda illorum lancinent.

Dignum expensione est, quod Paulus Burgensis episcopus obseruauit in benedictionibus, quas decrepitus Isaac putatitio suo primogenito impertijt, cùm ait: *Det tibi Deus de rore cali, & de pinguedine terra, abundantiam frumenti, & Vini. Seruiant tibi populi, & adorent te tribus, esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tua*; Gen. 27. v. 28. 29. Putauerit aliquis nihil de esse his benedictionibus, videntur enim prolixissimæ esse omnium, quæcunq; experi possint, ac desiderari. Cui enim optantur, & promittuntur rerum omnium affluentia, & superior inter suos autoritas, quid ille ampliùs cupiat? Potestne ad plura sese dilatare humana, & effundere ambitio? At si Paulum, quem præfati sumus, Burgensem consultamus, is præcipuam, & principem omnium defuisse respondebit. Audiamus illius annotamentum in cap. 49. Gen. Addit 8. quod tale est: *Fuit benedictus de bonâ influentiâ calesti, & de bonâ dispensatione terrestri, non tamen legitur, quod Iacob fuißet benedictus expressè à patre suo de multiplicatione pro pagationis hominum.* Quanquàm grandæuus patriarcha Isaac filio suo apprecatus fuit amplissimas benedictiones, & paterno affectu illi optauit opum copias maximas, & suprema dignitatum culmina, posterorum tamen perennem propagationem, & generosæ stirpis felicem continuationem eidem expetijsse non inuenias: *Non enim legitur, quod fuißet benedictus de multiplicatione propagationis hominum.* At cùm hæc sit excellentissima benedictio, & quæ primo loco constitui meritò debuisset, cur eam decrepitus patriarcha obliuione sepelit, tamq; profundo silentio tegit? Causa haud dubium quin ea sit, quàm memorauimus, & hoc capite persequimur. Experimento sanctus patriarcha didicerat, quantas curas, & molestias filij parentibus adferrent, cùm soli duo, quos ille habuerat, intra ipsum matris vterum compugnare, & colluctari, plurimamq; & solicitudinem, & varium metum ei nondùm nati parere cæperint. Cùm ergò primogenito suo benedicere institueret, & hæc secum fortè reputaret, quamuis honores illi, dignitatesq; apprecaretur, filios tamen nullos optauit. Nam cùm pleriq; peruersi soleant euadere, & scelerati, & obliuiosi officiorum, ad quæ nascuntur, copia liberorum magis à maledictione iustitiæ Dei, quàm à munificentiâ largæ manus eius descendere videtur.

Isaac non fuit filio suo Iacob precatus copiosam sobolem. Quid ita?

In hac sententiâ fuit illustris martyr, & generosus Christi athleta Seuerinus Boetius lib. 3. de Consolat. prosâ 7. di-

Parentes improles infortunio felices.

cens: *Honestissima quidem coniugii, liberorumq; foret iucunditas, sed nimis è naturâ dictum est, nescio quem filios inuenisse tortores. In quo Euripidis sententiam probo, qui carentem liberis infortunio dixit esse felicem.* Minimè turpis (quis enim dubitet?) foret, qui de vxoris voluptuosâ consuetudine, & liberorum suaui contubernio nascitur hilaritatis fructus, sed nonnemo ad solennem humanæ naturæ morem attentus aiebat, in liberis, & vinculo matrimonij potiùs reperisse laqueos ad obstringendas, præfocandasq; parentum fauces, quàm laxamenta ad refocillandos eorum animos, magisq; atroces cordium tortores, quàm dulces laborum consolatores: *Nimis è natura dictum est, nescio quem filios inuenisse tortores.* Ea propter nimis quàm verè dictum ab Euripide, nullam tam fecundam, nullam æquè optabilem esse infelicitatem, ac liberorum inopiam, arboremq; conuictus matrimonialis tunc fæcundissimam censeri posse, cùm prorsùm sterilis esset: *Euripidis sententiam probo, qui carentem filijs infortunio dixit esse felicem.*

Filij sæpè parentum tortores.

Non ineptè huc cadet, quod doctus quidam Genesios interpres obseruauit. Est autem illud, quod sacer Scriptor, cùm breuem catalogum filiorum sancti patriarchæ Iacob texit, sic ait: *Erant autem filij Iacob duodecim*, Gen. 35. 22. Et postquàm singulos de nomine recensuisset, ita concludit narrationem: *Hi sunt filij Iacob*; ibid. v. 26.

Iacob postquàm pater esse cæpit, Israëlis nomen se posuit. Cur istud?

Hic illud habet difficultatem, cur istorum liberorum parentem diuinus Historicus vocet Iacob, cùm iam indè ab illâ contentiosa pugnâ, quâ validum colluctatorem suum inuictus pugil subegit, ac deuicit, decretum fuerit, vt deinceps solùm Israël appellaretur: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israël* Gen. 32. 28. Iacob vt est nomen luctatoris, ita sonat solicitudinem, & vigilantiam, Israël verò quietèm, & otium, quod requirit eorum conditio, qui visioni Dei, & rerum diuinarum contemplationi dare operam optant. Quod si ita est, cur in commemoratione liberorum mandatum Dei præterit, contraq; illius iussionem semel, atq; iterùm nomen Iacobis repetit? *Erant autem filij Iacob: Hi sunt filij Iacob.* Quãobrẽ tunc, cũ memoriã filiorũ refricat, simul nomẽ Iacobis resuscitat? Quamobrem inter liberorũ enumerationem luctatorem illum, præliatoremq, vocat? Vt nimirùm indicaret, quòd tametsi quis Israëlis, si ve quieti, tranquilli, soluti nomen etiam è cælo delatum habeat, eò ampliùs rectè vti non possit, postquàm liberos habere cæperit, Iacob verò aptiore vocabulo appellari debeat, hoc est, anxius, solicitus, curarum plenus, insomnis, cui nec quietâ nocte vacare detur. Nam sobolem cuipiam nasci perinde est, ac solicitudinem generari. Verba eruditi Interpretis Fernandi in c. 35. Gen. sect. 14. num. 6. ita habent: *Hi sunt filij Iacob. Paulò ante nuncupatus Israël, nunc Iacob nominatur, cùm pater tot liberorum scribitur: Nam filiorum cura, multoq; magis procreatio non ad Israëlem cum Deo quiescentem: sed ad Iacobum in terreno luctamine laborantem pertinet.*

Qui pater liberorũ, idem perpetuus cũ solicitudinibus bellator.

Filiũ cuiquam nasci & solicitudinem generari, idem.

Nec miror talia dici, quando audio, quod experientiæ è libro excerptum insignis poëta Baptista Mantuanus apud Murmel in lib. 3. Boëtii de Consol. prosa 6. opportunè in causam præsẽtem canit:

Sæpiùs in natis sæuũ pater educat hostẽ,
Cumq; suo ignorans interfectore iocatur.
Sæpè sibi lachrymas, sperant dum gaudia matres,
Atq; sua pascunt Gẽtura opprobria genti.

Pater sæpè filium hostem educat, mater nutrit.

Crebrò accidit, vt blandus sæuum in filio hostem pater enutriat, molliaq; velut sellam gestatoriã, siue ad quietem, siue ad voluptatem illi brachia subjiciat, & dulcia ad beneuolentiam teneris ejus maxillulis oscula imprimat, quem suæ internecionis crudelem carnificem sit habiturus. Nec illud infrequens, quod pia mater ex natiuo suorum vberum fonte sumptuoso pignori liquidum propinet alimentum, ex cujus suaui irrigatione

tenera

tenera succrescat plãtulas, aspidemq; suo cordi alat, cùm procreare capiti suo coronam læta speraret. Fitq; vt quantum illi niuei lactis ministrauit, tantum postea lethalis veneni recipiat, quo mortem per filij sui probrosam, propudiosamq; vitam incurrat. Nam si Apostolus dixit: *Modicum fermentum totam massam corrumpit*; 1. Corrinth. 5. 6. ad eundem modum leuicula, effusa, & inconsulta quædam filia solet esse fermentum, quod illustrissimæ familiæ massam totam vitiet. Et malè institutus liberq;, & incontinens filius, quanquàm vnus sit, totam honestæ, & nobilis, & laudabilis prosapiæ papyrũ atrâ fœdæ consuetudinis suæ liturâ conspurcare potest.

Filios futuros per somnium videre, malum.

Commodum huc veniet, quod Artemidorus Daldianus lib. 1. de Somniis c. 16. ait. *Pueros sibi videri habere, aut infantes omninò videre, siquidem proprij liberi fuerint, & viro, & mulieri malum.* Sed quare tam ominosum præsagium, & fatale vtriq; parenti sit prognosticum, si cui proprij per somnium occurrant pueri, infantes, liberi? Respondet autor, quem dixi: *Curas enim, ac tristitias significat, quin & vetus sermo hoc ipsum commonstrat. Tristitia ex nato est tempus in omne patri.* Et quid ex visione (quanquàm in somno per quietem) natorum liberorum aliud nasci potest, quàm curæ solicitudines, anxietates, cùm & ille jam olim cecinerit, qui semel natus sit filius, eum perpetuam parere parenti suo tristitiæ necessitatem, & edacibus curis miserum insensibiliter conficere, & consumere genitorem?

Marius tribus non ampliùs diebus Imperator.

Dici non potest, quoties factum sit, fiatq;, & fiet, quod de illo tyranno Mario Trebellius refert. Is ex officinâ fabrili, in quâ ferrum cudebat, in Romanũ euectus Imperatorem, inopinabili illâ sublimitate tam malè vsus fuit, vt non totos tres exegerit in regio solio dies. Miles quidam, qui communem injuriam vltus fuit, hæc illi turpi cum probro, & magno stomacho dixit apud Trebellium lib. de 30. Tyran. in Mario: *Hic est gladius, quem ipse fecisti.* Verbis illius hic subest sensus: Hic gladius, qui tyrannicũ tuum pectus transadigit, & insolentis vitę fatale filum amputat, ipsus est, quem in vili officinâ tuâ tutè fabricatus es. Quod parentibus hoc ipsum accidit, quibus dictum illud accommodare possemus, quoties videmus, quod perditus filius, & liberafilia velut atræ nebulæ obnubũt splendorem nobilitatis, & obscurant, fædantque præclaram lucem sanguinis, & obligationum, quas hæreditariò accepêrunt: *Hic est gladius, quem ipse fecisti?* Vide quid ex vteri tui officinâ prodierit, vide quales euaserint, quos tam delicatè habuisti, tamq; solicitè & blandè fouisti, atq; enutriisti. Fatalem gladium elaborasti, quo nominis tui existimatio, & præclara forma turpiter est obtruncata: Venenum vtero fudisti, quo gloria tua miserè interempta est, & lituram, quæ tota præclarè gestorum tuorum monumenta indignè maculauit. At si tales, & his deteriores solent esse filii impii (cumque horum, quàm frugi liberorum semper oppidò major sit numerus) quid mirum, quod dicam, maiorem liberorum partem nasci ad exitium, & occasum gloriæ, quæ ad illos hæreditate venit, quàm venire ad lucem, vt sanguinis sui dignitatem sospitent, amplificent, auctamque ad posteros transmittant?

Filio certè gladios quem ipse fecerit, sæpè perit parens.

At si id plerumq; ita fit, communisq; vita liberorum, & vulgaris eorum consuetudo hoc habet, in raris, & admirabilibus arboribus illam tam optimam, tam grauem gloriosis fructibus recensere debemus, quæ ab imis radicibus ad summum verticem vsq; præclaram famam, & plurimam lucem, & variam gloriam ex se diffundit. Talis est inclyti Phœnicis nostri arbor, & genealogia. Hæc in fructibus singularis, gloriosa in radicibus, intrunco percelebris, cælestis in ramis, diuina est in foliis. Et velut de sacro sancto illo ligno, quod vitæ fructum pretiosissimum tulit, canit Ecclesia: *Arbor vna nobilis, Sylua talem nulla profert fronde, flore, germine*; sic in rem præsentem di-

cere possumus, non esse arborem aliam, quæ de ornamentis gloriæ certare cum eâ queat, ex qua Phœnix noster prodiit, nulla quippe est, quæ seu foliis, seu fructibus, seu floribus ei par sit. Quâ enim aliâ in arbore tot reperias Virgines, tot Doctores, tantum pro Deo fusi, lauro adeò digni sanguinis, tanta hæreditariò accepta, tanta studio, & labore parta, tantam nobilitatem temporalem, tantam vitæ asperitate, & carnis emaciatione, & austerioris pœnitentiæ exercitamẽtis comparatam gloriam?

CAPVT VI.

Gladium pœnæ ex ferro culpæ fabricari supremus artifex Deus plerumq; solet.

VErum vnde nasci potest, quod liberi educentur tam peruersi moribus, tam dissoluti actionibus, tam effreni, & vitiatâ indole, vt fiant probrum suæ prosapiæ, & purpuræ sanguinis sui fœda macula? Promptum est respondere, ab iisdem nasci corruptelam perditorum liberorum, à quibus liberi ipsi nascũtur. Ex parentum quippè improbitate, & culpâ solet Deus plerumq; fabricari supplicium, vt per filios infamentur, & plectantur, qui eorum incuratâ educatione peccarunt. Vt enim sunt Parentes, qui scelerato, contumaciterq; viuendo genitoribus suis sunt dedecori: Ita disponit, & permittit seuera iustitia Dei, vt sint rursùm liberi alij, qui suos illos peruicaces, & flagitiosos parentes contaminato vitæ genere maculent, ac dehonestent. Id namq; habet consuetudo Deo familiaris, mosq; vsitatus, vt quibus rebus offẽditur, iisdem puniat, adeòq; sceleratum parentum consceleraro filio castiget, iuxta illud Sapientis cap. 11. v. 17. *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, & quibus armis Deum quis lacessit, iisdem offenditur, & cæditur.

Filii ex eisdem parẽtibus sępè trahunt malos mores, à quibus vitam.

Deò solenne, vt quibus rebus offẽditur, iisdem puniat.

Commodum huc veniet indagare, & constituere, quamobrem diuina seueritas permiserit, vt discipulorum, quotquot fuerunt, ac futuri sunt, perfidiosissimus, sæuus ille sui ipsius carnifex, cùm sublimissimo officio simul, & probrosissimo ligno suspensus esset, creparet medius, quod ad communem aliorum cautionem annotandum archi-Apostolus Petrus putauit, dicens: *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*; Actor. 1. 18. Mirus supplici, & vindictæ modus! Cùm autem tam varia essent pœnarum genera, quæ expetere à periuro illo, & sacrilego proditore diuina prouidentia potuisset, quid causæ sit, quod ad eum modum plectere illum voluit, vt ex arbore pendulus disrumperetur medius *Suspensus crepuit medius*.

Iudas cur suspensus crepuit medius.

Ecstaticus Doctor Dionysius Carthusianus in eorum verborum commentario ait: *Crepuit medius, qui Dei, & hominum mediatorem tam vili pretio impiissimè vendidit*. Titulus honoris, quo Gentium Apostolus instauratorem orbis donat, is est, quod sit Deum inter, & homines sequester: *Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*, inquit 1. Tim. 2. 5. Hoc ille in crucis arbore administrauit officium. Ibi Deum homini conciliauit, ibi extincta omnis inimicitia, & pax pretio sanguinis illius constabilita. Quid verò sceleratus discipulus egit? Magistrum suum indignissimè, quia minimo pretio vendidit, mediatoremq; Dei, & hominum in manus sanguinariorum hostium illius contradidit, vt probrosæ crucis pœnali vncino laceratus turpem vitæ faceret inter supplicia clausulam. Hoc fuit maledicti apostoli nefarium crimen. Quæ verò illius pœna? Ea, quod *suspensus crepuit medius*. Pendulus ex arbore rupto ventre crudelia, fœda, & fœtida tota profudit viscera. At si hoc illius flagitium fuit, quod Mediatorem Dei, & hominum vendidit, & consequenter in lignum egit, luat hoc ita Iudas, vt in ligno moriatur, & rumpatur medius. Vt hinc intelligas, per ea plecti hominem, per quæ Dei incurrit offensam: *Suspensus crepuit medius, qui Dei, & hominum mediatorem tam vili pretio impiissimè vendidit*.

Huc

Huc faciet illud, quod inter varias plagas, quibus Ægyptus vapulauit, duobus illis fratribus imperauit Dominus, nempe vt arreptum ex proximâ fornace cinerem ob oculos proterui Pharaonis Moyses in aërem iactaret, indeque turgëtium, & cruciabilissimarum vlcera vesicarum in hominibus æquè, ac brutis nascerentur: *Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum in cœlum Moyses coram Pharaone, sitq; puluis super omnem terram Ægypti,* aiebat Exod. 9. 8.

Aegiptii cur cineribus ex camino accepris vexati

Salomon Hispanus Alphonsus Tostatus quærit, cur Deus ad plectendos Ægyptios ex fornace sumere cinerem imperarit, qui alio quouis aliundè accepto puluere vti poterat.

Huic quæsito satis facit magnus Doctor inquiens: *Assumptus fuit cinis de camino ad significandum causam, ex quâ illa plaga infligebatur. Erat enim huiusmodi plaga in elemento ignis, cùm ipsi cineres de igne sumpti essent ad correspondentiam afflictionis Hebraeorum in decoctione laterum.* Hæc ille in c. 9. Exodi. Cùm sacer Scriptor narrat durâ oppressionem, sub quâ vinctos habebant barbari Ægyptii miseros Hebræos, hanc præcipuam, & intolerabilissimam fuisse memorat, quod pensum laterum igne in camino excoquendorum tantum crudelissimè exigebant, quantum exsoluere per vires, perq; tempus minimè possent: *Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operis duris luti, & lateris*; ait ille Exodi 1. 14. Quando ergo seuerus, & iustus iudex Deus voluit castigare atrocem barbarorum istorum hominum sæuitiam, vt pœna responderet culpæ & supplicium velut legitimus partus esset sceleris, voluit, vt ex cinere, qui à fornace, & igne venit, cuderetur gladius vindictæ, & instrumentum animaduersionis: *Cineres de igne sumpti ad correspondentiam afflictionis Hebraorũ in decoctione laterum.* Iusta nimirùm sunt iudicia Dei, quibus fit, vt eo modo luat peccator, quo& deliquit.

Non fuit abscondita hæc veteribus Gentilibus doctrina, qui sub fabularum suarum figmentis vera, & institutioni nostræ comoda reliquerunt documenta. Commẽtum porrò illorum de formoso, ac perpulchro Narcisso tale fuit, quòd amore proprio abreptus, & raræ venustatis suæ immodicâ admiratione attonitus seipsum limpido in fonte auidis aspectauit oculis, quod elegante versu ingeniosus Poëta lib. 4. Metamorp. descripsit. Quid verò resultauit ex tam frequente suæ pulchritudinis consideratione? Quid illi sua intemperans de formę nobilitate gloriatio attulit? Respondet Natalis Comes lib. 9. cap. 18 Mith. *Magnitudine desiderij se in fontem deiecit, ac periit.* Effrenis & vehemens, immoderatusq; sui ipsius amor cæcum impulit, vt se in fontem præcipitaret, atque ibi mortem offenderet, vbi reperire voluptatem sperarat. At quonam tendit hæc fictio? Audi Natalem: *Qui formâ corporis gloriabatur, & in lasciuiam agebatur, quo pacto per formã non metuit perire?* Magnũ documentũ! salutare monitũ! Qui tãvehementer gloriabatur suæ formæ dignitate, qui cæcatus superbiâ suorum se desideriorum finem vltimum constituebat, qui propter eximiam venustatem vanus sui ipsius idololatra fuit, is eò deuolutus est, vt eiusdem venustatis suæ manibus miserabiliter cõficeretur, & periret, & formæ liberalioris præstantia simul & peccati incitamentum, & instrumentum interitus illi fuit. Hâc fabulâ scriptam, expressamq; reliquerunt veritatem, quam & creba experientia comprobatam persæpè dedit, & aula seuerioris iustitiæ Dei passim vsurpat, per ea se vindicans, per quæ à peccatore lacessitur, & irritatur.

Narcissus periit, quod se perdite amauit.

Huic rei accersere suffragium possumus ab eo supplicio, quod primum à primâ peccatrice iustus scelerum vltor expetiit. Basilii Seleuciensis ea est obseruatio. Cùm in Protoparentem nostram stomachosus Iudex pronuntiaret, hanc illi pœnam, inter alias denuntiauit: *In dolore paries filios*; Gen. 3. 16. velut aliis verbis dixisset: Acerbissimi erunt dolo-

Eua vteri sui fructu

fuis, quod fructu vetito non abstinuit.

dolores, & vehementissimi cruciatus, quibus affligeris quoties vteri tui pignora edere, & ad vsuram lucis commune eniti voles. Basilius, quem dixi, Orat. 3. ea sacri textus verba sic illustrat: *Tu cùm fructu interdicto te non abstinueris, fructu vteri tui miserè cruciaberis.* Mortalium viuentium ærumnosæ matris prima culpa ea fuit, quod ad vetitam arborem manum cupidam prælicenter extendit, *tulitq; de fructu illius, & comedit*, Gen. 3. 6. Quod filii vocentur fructus ventris, id sacrarum literarum trita phrasis habet. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; aiebat ille Psal. 131. v. 11. Et beata Elizabeth Mariæ *Benedictus fructus ventris tui*; Lucæ 1. 42. Sunt alia prætereà sine numero loca, vbi tali nomine donantur liberi. Vt ergo intelligeremus, in eo quemq; plecti, in quo deliquit, & ex fero culpæ ab artifice Deo cudi gladium pœnæ, idcircò hæc nobis doctrina in primo supplicio, quod de primâ peccatrice sumptum, tradita fuit, & salutare illud documentum datum, nam quoniam in arboris vetitæ fructu peccauit, in sui ventris fructu, hoc est, filiorum difficili partu pœnas luit: *Cùm fructu interdicto te non abstinueris, fructu vteri tui miserè cruciaberis.*

Filius malus malis filijs plerumq; plectitur.

Hæc ergo, vt diximus, causa esse potest insperatorum fructuum, quos ex liberis suis parentes plerumq; capiunt. Nam vt hi parentes fuerunt filii impii, sic Deus ad vindicandam eorum improbitatem permittit, vt quando sunt genitores, plectantur malis filiis, hoc est, talibus, quales illi in suos parentes fuerũt.

Hinc colligi potest ratio vna è pluribus, ob quam gloriosi Phænicis nostri Parentes summè fælices fuerunt in suorum procreatione liberorum: Ea sua illis inde nata est beatitas, quod ipsi, quamdiu sub Parentum potestate, & imperio vixerunt, præceptis eorum promptissimè obtemperarunt, & venerabiles canos eorum omni obseruantiæ studio coluerunt.

CAPVT VII.

Absoluta, & dignissima nobilitas non ea est, quam hæreditariò cum sanguine accipimus, sed quam virtutum studio comparamus.

Quanquàm fortunatus Phœnix noster è nobilissimo nido prodierit, & generosissimo sanguine natus sit, de illo nihilominùs & hoc commemorandum sanctus Gregorius Nazianzenus in Mon. putauit; quòd *primâ ætate sub magno patre, quem communem virtutis magistrum eo tempore Pontus proponebat, velut fasciis* inuolutus, *& egregius adolescens* eruditus fuit, tanquàm prudenter & ipse arbitratus fuisset, & commonere alios voluisset, parum referre, quòd quis à maioribus virtute insignibus descenderit, sanguinisque nobilitatem ab eis hæreditariò acceperit, nisi ipse hæres aliud secũdum, & proprium genus sibi comparet actionum, per quas illustretur, & virtutum, quibus opulescat, & locupletetur. Præclara enim progenitorum facinora non multum ornamenti, ac splendoris conferunt posteris, qui sublimi sanguine nati non seipsos propriarum illustrant, & condecorant, nobilitantque luce virtutũ. Prima namque, & potissima, queq; hoc nomine dignissima est, nobilitas non ea est, quæ à proauis, & solo patrio nascitur, sed quæ propriarum virtutum studio acquiritur, & magno sacrarum exercitationum impendio procuratur. In hac sententia fuit eloquentiæ græcæ parens Demosthenes 1. Olynth. cùm ait: *De nobilitate parum laudis prædicare possum, bonus enim vir mihi nobilis videtur, qui verò non iustus est, licet à patre meliore, quàm Iupiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.* Certè nonnimis magnam laudem merentur, quæ à proauis hæreditario obueniunt nobilitatis insignia, & ornamenta, in illum quippe, meo iudicio, aptè cadit generosi nomen, qui generosè agendo se illo dignum reddit: At, qui

Nobilitas præcipua studio virtutũ comparatur.

Nobilis, qui bonus; malus, tametsi Ioue patre natus, ignobilis.

qui à maiorum suorum probitate degenerat, is, me iudice rusticus, & vilis, & perquàm abiectus est, quanto vis sit patre natus: *Qui verò non iustus est, licet à patre meliore, quàm Iupiter sit, genus ducat, ignobilis mihi videtur.*

Confirmationem huius rei ordiamur ab inquisitione alicuius rei, quæ cuicunq; vel mediocriter sapienti (si eam de visu communi æstimemus) non exiguam pariet difficultatem. Dum sacer Scriptor patientissimi Iob prodigiosas actiones historico stylo dirigere instituerer, tale fecit narrationis suæ initium: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum;* Iob. 1. 1.

Obseruat hic sacer Constantinopoleos Archiepiscopus Chrysostomus modum, quo diuinus Historicus telam virtutum beati patriarchæ orditur, & ait: *Potuisset illius maiores insignes, ac nobiles enumerare, sed nihil horum eum ad animi elationem eduxit.* Hæc ille in catenâ græcâ. Potuisset vtique, qui canonicam sancti Iobtis historiam adornauit, progenitores illius illustres magno numero recensere: Inter præclara quippe ornamenta, quibus illum Superi honestarunt, illud insignitum fuit, quod à generoso, & summo genere præclaram originem duxit. Quid ergo tam alto silentio illius prosapia tegitur, cùm hoc summorum Oratorum mos peruulgatus habeat, vt cuius encomia parant, illius ab amplâ familiâ, & generosâ stirpe, & celebrioribus maioribus laudes accersant? S. Petrus Chrysologus serm. 92. in hanc rem sic aiebat: *Oratores magni quoties illustrium virorum parant narrare virtutes, auos, atauosq; commemorant, vt ad honorem præsentium accedat dignitas antiquorum, & laus patrum filiorum redundet ad gratiam.* Quod cùm ita sit, quid mysterij includit studiosa ista sacri Scriptoris negligentia, quâ tam silenter præterijt illustres heroici patriarchæ Iob progenitores?

Iob maiores curtaciti.

Ab hac nos educet hæsitatione lynce perspicatior cæcus Dydymus Alexandrinus in Caten. græcâ in c. 1. Iob, vbi ista habet: *Non ab hominibus, sed à splendore iustitiæ splendescentem assequitur nobilitatem.* Dùm vita iusti Jobtis texitur, mystico silentio præteritur longa series illustrium eius maiorum, à quibus descendit, vt hinc erudiamur, ac moneamur, veram nobilitatem, quæq; in domo Dei generosæ, & illustris existimationem habeat, non esse illam, quæ ab antiquis progenitoribus ortum trahit, vel à parentibus hæreditariò venit, sed eam, quæ suam à proprijs virtutibus originem ducit, & de proprij laboris studio nata descendit.

Iob nobilis à iustitiæ splendore, non ab hominibus.

Quàm lapidè hoc expressum à Philone Iudæo in lib. de Nobilitate, vbi sic ait: *Quid prodest oculis orbato suorum maiorum perspicacitas nequaquàm hæreditaria? Quid prodest ad dicendum elingui paterna, vel auita eloquentia? Ad eundem sane modum iniustis liberis iusti parentes, luxu perditis sobrij, & in vniuersum malis boni vtilitatem nullam adferunt.* Quid vtilitatis habet filius talpa ex parentibus lyncibus? Quid balbo conferre potest, quod eloquente sit patre natus? Nam si horum alter iter agere, alter pro concione dicere debeat, & hic quidem titubans, ille per viam cespitans, aut impingens dicat habuisse patrem, qui visu Aquilam, Ciceronem facundiâ superarit, certè perquàm ridicula fuerit vel gloriatio, vel excusatio: Ita ludificandi sui magnam de se occasionem præberet, qui vel parentem pium improbus, vel strenuos maiores ipse ignauus iactanter commemoraret. *Ideò puto ipsam nobilitatem:* (sic pergit Philo:) *si Deus ei formam, vocemq; daret humanam, sic allocuturam illos contumaces posteros: Gentilitas non solo sanguine æstimatur apud veritatem iudicem, sed factis, studijsq; similibus.* O si Nobilitatem Superi fecissent loquacem! Vocibus certè, ijsq; magnis subpudefaceret proteruos quosdam de maiorum suorum magnificè gestis, & proauorum fumosis imaginibus

Parentum perspicacitas nihil prodest filio cæco.

Nobilitas si loqui posset, quid diceret.

inaniter iactabundos, verbisq; talibus perstringeret: Vera nobilitas non de successione, non de vita ab illustribus maioribus per propagationem accepta æstimatur, sed de imitatione censetur operum præclarorum, quæ solis suis autoribus laudem conferunt immortalem. *Gentilitas non sanguine solo æstimatur, sed factis, studiisq; similibus.*

Attentam promeretur considerationem occasio, quâ Verbum diuinum à Patre æterno filius eius in monte Thabor vnicus, & legitimus proclamatur, & declaratur, vbi hæc illius vox insonuit: *Hic est filius meus dilectus:* Matth. 17. 5. Quo verò habitu apparuit Dominus, cùm fuit à Patre sempiterno filius declaratus? S. Matthæus ibidem v. 2. respondet: *Resplenduit facies eius sicut sol.* Quamobrem verò tunc potissimùm filium suum testatus fuit, cùm is velut sol alter splendicabat? Aut quare hic tunc non magis ignis instar, quàm ad similitudinem solis elucebat?

Christus tunc à Patre filius proclamatus, quãdo facies eius vt Sol splenduit. Cur istud?

Experientia, simulq; Ioannis Cluniacensis obseruatio causam docebunt. Is to. 1. serm. 2. de Nat. vel 38. sic habet: *Differt lumen, quod oritur ab igne, & quod à sole, quia ab igne semper habet fumum, & aliquam impuritatem admixtam, ideò dicitur à philosophis infumatum.* Non ità pulcher, & spectabilissimus Solis splendor, quia vt ignis lumen in atram obscuritatem desinit, ità Solis fulgor lætam semper, rutilantemq; habet clausulam. Quænam huius discriminis causa? Occurrit quæsito Cluniacensis dicens: *Quia ignis lumen est in materia alienâ, non sic quando procedit à Sole.* Ignis lumen sumptu, & impendio nutritur alieno, Sol de suo fulget, & splẽdicat.

Denudemus iã mysteriũ. Quod Christus sospitator noster non vt ignis eluxit, sed vt Sol resplenduit tunc, cùm æterni Patris filius proclamatus fuit, id factũ, vt intelligeremus, illam esse legitimã in Dei domo filiationem, illam verã, ac genuinã nobilitatem, quæ Solis ad modũ luceat, quę de suo splendeat, non verò eã, quæ instar ignis nutricationis alienæ impendijs, ac beneficio lucet, & propterea in fumum deniq; desinit; *Lumen ab igne semper habet fumum, quia est in materia aliena.* Sic lux, & nobilitas. quæ vult materiâ niti alienâ, factis suorum maiorum nutriri, non proprijs, est nobilitas, & lux ignis, quæ *semper habet fumum*, & velut fumus dissipatur, & euanescit, vacuaq; est, & inanis, & caduca. Sed vera nobilitas est velut Solis lux, quæ suarum actionum sumptibus nutritur, & fouetur. Qui ad eum modum lucet, hic audiet, quod Verbum Patris: *Hic est filius meus dilectus. Resplenduit facies eius sicut sol.* Hic nimirùm domus Dei censurâ est nobilis, qui de suo splendicat, qui suis manibus sibi lucem, & præclaram æxistimationem suscitat.

Sol de suo splendens

nobilitatis symbolum.

Illustre exemplum, & stabilimentum huius veritatis fuerit responsio, quâ Christus perfidorum, & mendacissimorum Iudæorum sæuam quandam, atrocemq; calumniam confutauit. Postquàm illos de contumacia in lucem, de odio aduersùs veritatem coarguisset, in vicem tam ingentis beneficij tanquàm rabidi canes in illum efferati dixerunt: *Nonnè bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Ioan. 8. 48. Huic sacrilegæ immanium luporum obiectioni respondit mitis Agnus: *Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me;* ibid. v. 49.

Doctus Euangeliorũ interpres (Mal. donatus) ait, *duo illi obiecta fuisse, quod Samaritanus esset, & quod dæmonium haberet, illud tacitum præterijsse* Cùm Samaritanus vocatur, muret, dæmoniosi appellationem diluit, & repellit.

Christus cur dæmoniosi appellationem refutauit.

Quamobrem verò Dominus ad calumniosam Samaritam appellationem tacet, dæmoniacus autem vocari non tolerat? Respondet eruditus commentator, quem dixi, inquiens: *Iniuriam anterioris probri dissimulauit, quod nihil in eo diuina gloria læderetur.* Quòd Samaritanus dicebatur, ea patriam, parentesq; notare contumelia videbatur: At quod

quod dæmone plenus putabatur, id proprias concernebat actiones virtutum, iustitiæ, æquitatis, & rectæ curationis officij, cui tanquàm Filius talis Patris adstrictus erat. Conuitio ergo appellationis Samaritani, quo patria, & cognati perstringebantur, nihil respondit, ignominiosam verò dæmoniaci appellationem explosit, & reiecit, vt nos tali exemplo moneret, absolutè loquendo, ad famam nostram vel amplificandam, vel tutandam non esse magnoperè curandum, quibus seu virtutibus celebres, seu vitijs insignes fuerint nostri parentes, alijq; maiores, multi namq; parentum sanctorum filij æternas luunt pœnas, & non pauci ex infamibus, & damnatis progenitoribus descendunt, qui perpetua in cœlis quiete, & beatitudine gaudent semper duraturâ. Ergò filiorum ornamenta, vel dedecora ab infamiâ, seu gloriâ parentum non dependent, quanquàm non inficiamur, præclarâ maiorum vitâ, & magnificè gestis progenitorum, tanquàm acristimulo, & peracutis calcaribus ad virtutis amorem, & probitatis studium vehementer incitari eorum liberos. Verùm communiter loquendo inhæreo axiomati Chrisostomi, quod tomo 6. in homil. de Ioseph sic habet: *Qui animo liber est, licet millies venditus fuerit, nec semel fit seruus; vt rursus qui moribus seruus est, etsi millies libertate donetur, nec semel quidem fit liber.* Quem sui iuris, ac mancipij virtus fecit, illum nulla captiuitas deditium facere alterius potest: At qui seipsum vitijs turpiter addixit, vilis seruus manet, quantumuis in libertatem sine numero adsertus. Nulla enim nisi de virtute venit libertas, nobilitas omnis de solo probitatis studio nascitur, infamiam, & seruitutem nil nisi vitæ sceleratæ consuetudo, & contaminati flagitijs mores pariunt.

Nobilitas vera, & libertas à virtute.

Quare sanctus Chrysostomus ibidem addit: *Quem proprij mores liberum non efficiunt, hunc sexcentæ chartæ, nigraq; litere nequeunt liberum reddere,* Quem sacrarum studia virtutum non ingenuum, non vt in sua potestate sit, faciunt, huic parum commodant honorificæ maiorum commendatitiæ, & illustria progenitorum priuilegia: Qui enim actiones eorum non imitatur, non exprimit virtutes, idem infami suâ vitâ, & vilibus moribus omnia euertit, fædat, maculat, inficit.

Male hic dissimulauero, quoddam eminentissimi Cardinalis Caietani opportunum præsenti causæ annotamentum, qui dùm expendit ætatem, quam sacer Scriptor tribuit Adæ, ait, non admodùm exactam videri calculationem annorum eiusdem. Ille Gen. 5. v. 5. sic habet. *Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti, & triginta.* Maiorem ætatem, & sexaginta annos ampliùs, vniuersimq; nongentos, ac nonaginta videtur habuisse Adam, cùm viuere mortalis desijt. Caietanus ait: *Adam creatus est vir perfectus, & cùm ætas virilis hominum viuentium annos centum sit ætas triginta annorum, consentaneum rationi est, si ætas virilis hominum viuentium mille annos, fuerit ad minùs sexaginta annorum.* At si hæc res ita habet, quomodo Adam, qui facilè talis fuit, qualis vir annorum sexaginta, quando creatus, (hi nimirùm sunt anni viriles eius, qui vitam in annos prope mille producunt) dicitur obijsse, cùm annos nongentos, & triginta habuit, (*& factum est tempus, quod vixit Adam, anni nongenti, & triginta*) cùm potiùs dici debuerit, vixisse minimùm annos nongentos, ac nonaginta? Cur vitæ illius spatio non fuerunt accensiti anni, quos simul cum vita ipsa, quando conditus, accepit? Hanc facilè diluit dubitationem doctrina, quàm hic traditum imus. Dicimus enim non oportere haberi rationem illius, quod hæreditario accepimus & absq; omni laboris impendio nobis obuenit. Cùm Adam virili, & perfecta homo ætate creatus fuerit, hanc ille ætatem suis augmentis expletam, absolutamq; vt sic loquar, inuenit, ac proinde

Adæ non computati in annis vitæ ij, quos cum vita accepit. Cur?

ad eam

ad eam conquirendam nihil ſtudij, nihil ſolicitudinis, nihil operæ ſuæ vertit. Ergo illa ætas, quam ſola illi conditio contulit, non recenſeatur in vita illius, neq; connumeretur annis, quos in mundo egit: ij autẽ ſoli computentur, quos ipſus vixitquos ipſus ſuorũ laborũ, curarũ, vigiliarũq; ſumptu ſuſtentauit, & ad hos calculos illius reducatur vita, quod annis non ampliùs nongentis triginta vixit: *Et factum eſt tempus quod vixit Adam, anni nongenti, & triginta.*

Hinc accipiamus, nihil penſi habenda, quæ hæreditariò nobis accidunt, nihil æſtimanda, quæ otioſis nobis labore alieno parta obueniunt, quæque maiores noſtri ſibi commeruerunt, & longâ vigiliarum, curarumq́, tolerantiâ, & virium ſuarum durâ, ac diuturnâ exercitatione, & extenuatione ſibi compararunt, ſed ea ſolùm, quæ ſuâ ſibi quisq; induſtriâ, ac diligentiâ procurauit: Nam *genus, & proauos,* vt ingenioſus Poeta 13. Metamorphoſios ſuis tã decãtatis verſibus ait, *& quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco.*

Narrat ſacer Textus, quod Dauit vſitatâ ſuâ fortitudine expugnauit, & *cepit arcem Sion,* 2. Reg. 5. 7. ſtatimq; commonet, dicens: *Hac eſt ciuitas Dauid.*

Dauidis ciuitas cur magis dicta Sion, quàm Bethlehem.

Quid neceſſum fuit illud huic narrationi aſſuere annotamentum? Reſpondet Caietanus: *Hoc eſt ad differentiam Bethleem, quæ erat ciuitas Dauidis, quia inde erat oriundus.* Ciuitas Bethlehemitica erat Dauidi locus natalis. Vt ergo diuinus Scriptor ciuitatem à ciuitate ſeceerneret, & verborum omnem ambiguitatem auferret, dicam meliùs, vt verum nobis conquirendæ nobilitatis iter demonſtraret, poſtquàm retulit, captam armorum vi à Dauide arcem redactamq; in illius abſolutam poteſtatem totam Hieroſolymitanam vrbem, mox adiungendum putauit: *Hac eſt ciuitas Dauid;* velud aliis verbis dixiſſet: Hæc verò, hæc eſt ciuitas Dauidis, non itã Bethlehẽ. Id enim quisq; abſolutè ſuum pronuntiare poteſt, quod ſuis viribus conquiſiuit, quod ſuo ſtudio ſubegit, quod ſuâ induſtriâ obtinuit. Quod enim hereditariò aduenit, alienum eſt, extraneum eſt, non de proprio veniens prouentus eſt, deniq; perexigui pretii res eſt. Nam vt Chryſoſtomus in c. 3. Matth homil. 4. Operis imperf. habet, *quid prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? Aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Ipſe ſe vacuum ab omnibus bonis actibus oſtendit, qui gloriatur in patribus. Aurum de terrâ naſcitur ſed non eſt terra, & ſtannum de argento egreditur, ſed non eſt argentum.* Ergo parum refert humili vel ſublimi origine naſci. Nam & qui verè malus eſt, effici bonus ſuorum proauorum virtutibus non poteſt, & ex aduerſo, quem præclarè geſtorum, & memorabilium facinorum ſuorum ſplendor illuſtrem reddit, & condecorat, ei nec contagium vilis ſua origo afflare, nec adferre obſcuritatem ignobilium maiorum tenuitas poteſt; quisque namq; ſuorum operum filius eſt, atque ex his nouum genus texitur, & alia propaſapia naſcitur.

Nobilitas nihil prodeſt ei, quem ſordidant mores.

Capvt VIII.

Is laudem meretur ampliorem, & coronâ inſignitiore dignus eſt, qui ex humilis, & obſcuri generis horrido ſenticeto tanquàm purpurea roſa fragrantiũ operũ inter medias ſpinas exurgit.

Ex amœno viridantium pratorum mari, inter medias ſuaueolentium florum ſtellas, qualis terrenus quidam ſol fulgens emergit, & exurgit roſa, vt partem anni iucundiſſimam ſuæ venuſtatis gratiâ ornet, & ſit plantarum princeps, quemadmodùm generoſus Leo brutorum animalium, velociſſimus Delphinus piſcium, rex eſt, & auium regina pugnax Aquila. Amabilis, ac deſiderabilis illius maieſtas eo ſe plurimùm oſtẽtat, quod prouida Natura illam regiâ purpurâ veſtiuit, & aureo diademate coronauit, denique in ſublimi viridantium ſmaragdorum ſolio collocauit. Hinc illa

ſibi

Rosæ elogia varia, & pulchra

sibi laudum insignia conflauit, vt verni temporis honor, plantarum ornamẽtum, hortorum oculus, viridariorum aurora, & decor, purpura camporum, terræ lumen, cœli speculum, auis Solis, Cupidinis schola, Floræ gloria, Musarum delitiæ, oblectamentum Veneris, mensarum lautitia, & corona iuuentutis dicatur.

Rosa cur præcæteris floribus coronata.

Sed quid sibi vult quod Rosa coronatur regina ob oculos garioplulli, & violæ tum purpureæ, tum albæ, & narcissi, & cæterorum florum, qui cum illâ certare de scepto possunt? Causa in vestibulo huius capitis iam indicata est. Fragrans rosa è syluestribus, & rusticis spinis nascitur, solùm illius natale humile, abiectum, obscurrum est sed illa originem suam & gratâ odoris suauitate, & medicæ virtutis præstantiâ transcendit, quâ innumeris malis, & affecterum corporum morbis adfert leuamen.

Rosa vera, & germanæ nobilitatis Symbolũ.

Ab aspero trunco suo decerpta suum nihilominùs constanter, ac renaciter seruat odorem, & fragrantiam, etiam postquàm exspirauit, spirat. Ea ergo sit spectabilis florum princeps sit florida plantarum regina, sit camporũ suprema imperatrix. Hæc enim summa gloria, hoc maximum decus est, ex humili, & obscurâ origine ad egregia facta emergere, & in vulgari plebeiorum natalium fundamento validas laudabilium actionum turres construere. Nam vt nouæ Romæ sacer archiepiscopus Chrysostomus homil. 3. Operis imperf. in Matth. ait, *melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius non est solius, sed cõmunis videtur cum genere: Qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota claritudinis gloria eius solius est. Item qui de contemptibili genere contemtibilis nascitur, omnis turpitudo contemptibilitatis illius non est eius solius, sed etiam generis: Qui autem de claro genere contemptibilis nascitur, omnis turpido eius illius solius est; ideò melius est, vt in te glorientur parentes, qui talem filium habent, quàm tu glorieris in parentibus.*

Nobilem de obscuro genere fieri laudabilius, quàm ob scurum de nobili.

Omninò satius, & laudabilius est celebrem se reddere, qui ab ignoto genere venerit, quàm ab inclytis maioribus descendisse, & eorum præclaras virtutes turpium actionum consuetudine fœdare. Qui generosâ è prosapiâ oritur, non sibi, sed natiuitati suæ acceptum ferre debet nobilitatis splendorem: At qui ex rusticæ familiæ horridis tenebris illustris progreditur, sibi debet, quod lucet. Ad eundem modum, qui abiecto genere ortus est, sibi omnem suam non potest adscribere vtilitatem, nec enim in potestate illius fuit sibi deligere patriam, prosapiamque: Verùm qui clarâ stirpe natus obscuram vitam ducit, nec iustam rationem habet obligationum, quibuscum lucis vsuram communem accepit, sed ignauiter agit, illustribus factis splendori generis non respondet, sibi soli suam infamiam, ignominiamq; debet imputare, non progenitoribus attribuere. Ergo magis conspicuam, magisque celebrem famam sibi conciliat, qui obscuros maiores suos illustrat, quàm qui suam sibi ab illis existimationem, dignitatemque vsurpat: *Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci.*

Plurimùm exagerant sacri Historiographi religiosam pietatem illarum mulierum, quæ pretiosis, & copiosis ab aromatibus instructæ multo mane venerunt, vt omnium cadauerum facilè sanctissimum vngerent, de quibus beatus Marcus c. 16. v. 1. sic ait: *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt vngerent Iesum.*

Cùm sanctissimus Pontifex Gregorius Magnus tam generosum opus, tamq; piam prolixitatem suis apud se ponderibus pensicularet, dicebat: *In sepulchro Iesus vngitur, cùm resurrectionis eius gloria prædicatur.* Hæc ille lib. 6. c 3. in c. 6. libri 1: Regum. Difficile intellectu est, quod dixit. Quid enim commune habet vnctio Christi sepulchro illati, & prædicatio gloriæ eiusdem à morte rediuiui?

diuiui? Vt sensum verborum illius assequaris, obserua illud, *Vngitur*, quantum ex antecedentibus, & consequentibus, totoq; contextu coniici potest, idem esse ac *exaltatur*, vel *Vt rex Vngitur.* Hoc ita constituto promptum est intelligere, quid voluerit magnus Doctor, cùm ait: *In sepulchro Iesus Vngitur, cùm resurrectionis eius gloria prædicatur.* Sed quam ob rem mortis rediuiuus triumphator tunc in tumulo exaltatur, cùm resurrectionis eius maiestas laudibus effertur? Ob eam, quam hîc tractamus. Nam cùm sepulchrum sit origo horroris, scaturigo putredinis, fons saniei, puris, & omnis immunditiei, quæcumque oculis, naribus, stomacho afferre nauseam potest, nihil gloriosius, nihil magnificentius esse potest, quàm tali è loco instar Solis exurgere, & ex officina mortis immortale triumphatoris decus prodire: *In sepulchro Iesus Vngitur, cùm resurrectionis eius gloria prædicatur.* Nam si ex refulgente cœlo illustre sidus, aut coruscus Planeta nasceretur, nec amplificationis materiam, nec admirationis causam nobis ille ortus ministraret. Tantundem in rem præsentem aio. Qui è nobilibus parentibus editus nobilis, & generosus esse pergit, nullas meretur gratias: At si quis abiectis è maioribus natus velut è spinis in rosam exurgit, & ab obscuræ originis tenebris in Solem proficit, hoc æstimatione non qualicunque dignum est, & plausum meretur.

Christus cur in sepulchro vnctus.

Notoria res, & scriptorum omnium magno consensu constitutissima est, in primariis diis, quibus Ægyptii adorationis cultum dependerunt, fuisse Crocodilum. Ita affirmant Clemens Alexandrinus, sanctus Augustinus, Hieronymus, Lylius Gregorius Giraldus, Natalis Comes, sanctus Fulgentius, & alii sine numero.

Crocodilus cur in dijs numeratus.

Quæri posset causa, quâ permoti fuerint illi delusi barbari, vt tanto in pretio talem haberent bestiam, ac supremâ veneratione tanquàm numen honorandam putarent. Pierius Valerianus, lib. 29. c. 11. Hieroglyphicorum, & Diodorus Siculus lib. 1. cap. 32. videntur diuinasse rationem, ob quam immanis illa fera tantam sibi apud cæcos illos Gentiles conflauerit existimationem. *Crocodilus ex minimis fit maximus*, inquit Diodorus Siculus. Et Pierius: *Illud de Crocodilo fertur, nullum animal à tam paruis initiis in tantam excrescere magnitudinem. Ouum enim non multo maius edit, quàm anseris, attamen ad cubita quindecim, vel etiam sexdecim crescendo porrigitur.* Cùm ergo Ægyptii viderent, ex tam pusillulâ reculâ tam ingentem, ac formidabilem nasci bestiam, & velut è paruulo granulo sinapis tam proceram vastissimi animalis arborem exurgere, arbitrati sunt, hoc vnicum inter omnia bruta adoratione dignissimum, cui meritò thus adoleri, humilibusq; animis, & submissis ad reuerentiam poplitibus cultus, qui aliis soleret, exhiberi deberet. Quod enim ex magnis principiis magnum nascitur, non habet dignam memoratu magnitudinem: Illorum verò admirabilis est granditas, qui ex humilibus principiis excelsi, ex tenuibus ampli, conspicui ex obscurris euadunt. Hanc nimirùm ob causam etiam *Crocodilum* illi *præcipuè adorarunt.*

Crocodil' ex minimo fit maximus.

Sanctus Matthæus euangelista refert, cùm verum æternæ vitæ iter in patriæ suæ quadam synagogâ cœlestis Magister doceret, ex auditoribus maleuolos quosdam (vt in frequente concione semper sunt aliqui nasutuli, & animo malè affecti) commurmurasse, ac dixisse: *Vnde huic sapientia, & virtutes? Nonne hic est fabri filius?* Matth. 13. 15. Vnde huic tanta scientiæ affluētia nasci potuit? Quis talem tam stupenda pati autem miracula hactenùs vidit. Nonne hic, qui tantam iactat sapientiam, fabro natus est patre? Nonne fratres eius, & cognati quidam è multis sunt, & medio vulgo? At si tam abiectis est natalibus, quomodo tam sublimiter prædicat? Vnde tanta virtutum copia ex maioribus minimè illustribus, ac nobilibus, opu-

lentisq;

lentisq; nato? Quomodo parentum talium filius à tantâ virtute, ac sapientiâ instructus?

Christus cur fabri filius dictus.

Abulensis qu. 83. in c. 13. Matthæi scisciratur: *Quare Nazareni dixerunt, quod Christus erat filius fabri.* Facile est coniicere sinistram intentionem, quâ permoti populares Christi illud interrogarunt. *Voluerunt* nempè *contemnere eum de humilitate cognationis sua*, inquit insignis Doctor. Eò ibat ista illorum percontatio, vt humilium natalium velut oppanso velo fulgentes virtutum, ac sapientiæ eius radios obnuberent.

Huic sacrilegæ perfidorum Nazarenorum obiectioni respondet Chrysostomus apud sanctum Thomam in cat. aur. in c. 13. Matthæi: *Per omnia erant Iudai insensati, vilipendentes eum ab eo, qui putabatur esse pater.* Ipsâ suâ murmuratione exaltabant Christum fatui detractores, ipsaq; eorum interrogatio maximam gloriam intextam illi adferebat. Nam cùm tam sublimem illi scientiam concederent, tamq; admirandis virtutibus ornatum faterentur, & nihilominus fabri filium esse dicerent, hac ratione illum plurimùm extulerunt. In hanc rem sic ait Tostatus: *Immò ob hoc potiùs Iudai Christum laudare, & honorare debuissent quòd homo de humili plebe natus ad tantam probitatem, & ingenti gloriam perueniret.* Quò nimirùm abiectius est cuiuspiam genus, eò ampliorem promeretur commendationem, & acclamationem, qui ex tam demissâ humilitate in sublime fastigium suo studio, ac labore penetrauit. *Melius est de contemtibili genere clarum fieri.*

Christus ex humili origine sublimior.

Clausula psalmi 71. diligentem meretur considerationem. Ea sic habet: *Defecerunt laudes Dauid filii Iesse.* Notandum quod in nullo alio psalmo, prætérquàm isto vocatur Dauid filius Iesse. Quamobrem verò hîc tam humili donatur titulo, vt filius Iesse appelletur? Humilem titulum voco, quia Iesse homo paganus erat, & non magnæ inter suos existimationis. Cur ergo in eo psalmo, in quo de pompâ, apparatu, & magnificentiâ filii sui Salomonis, deque illius incredibili opulentiâ, & regno, atque incomparabili maiestate agit, seipsum filium Iesse nominat? *Defecerunt laudes Dauid filii Iesse.* Respondet quæsiti copiosissimus psalmorum interpres Ioannes Lorinus in ps. 71. v. 20. *Ad exaggerationem laudis Dauid* id factum, *quod ex tam humili radice rex, & tantus propheta extiterit.* Filius Iesse vocatur Dauid ad singularem encomiorum illius amplificationem. Nam ex tam humili radice tam proceram enatam arborem, ex tam rudi lapicidinâ tam consummatam prodiisse statuam, ex syluestribus spinis tam fragrantem expullulasset rosam, id ampliore dignum est laude, & acclamatione.

Dauid filius Iesse semel tantû in psalmis dictus. Cur?

Dauid ex tenui parente amplus Rex.

Antonius Ricciardus Verbo Rosa, num. 14. to. 2. affirmat aliquid huc spectans: *De Dauide dicunt Hebrai*, ait ille, *quod veluti capis innutritus tandem fuit gloriosissimus.* Hæc porrò suprema Dauidis gloria, quod à sago ad purpuram peruenit, & pedum pastorale cum sceptro regio permutauit, & ex humili gurgustio in sublime solium ascendit, & qui buxos inflare solitus fuit, denique psalterium celeribus modulatè percurrere digitis assueuit. *Melius est de contemptibili clarum fieri.*

Quare Plutarchus dum virtutes Romuli, & Thesæi, insignium, & celeberrimorum virorum, inuicem componit, pro Romulo pronuntiat, eumq; maiore laude, quàm Thesæum, dignum esse affirmat. Vnde verò Romulo ista illustriorum encomiorum dignitas? *Quod à minimis principiis ad tantas res progressus est, ipse enim seruus, subulciq; filius.* Hæc ille to. 1. in Thesæi, & Romuli comparationibus. Thesæus natus fuit nobilis, opulentus, magnus: Verùm Romulus pauper censu, conditione seruus, patre rusticano bubsequâ ortus, qui quod ex tam tenuibus principiis tam sublimis effectus est, vt ciuitatem non qualemcumque, sed Romam caput mundi conderet, id est,

Romulus ex subulci filio conditor Romæ.

id est, quo æternam memoriam, quantum qui maximè, commeruit. *Quod à minimis principiis ad tantas res progressus est.* Qui enim velut è spinis rosa emergit, illustriumq; virtutum, & præclarorum operum suorum vsu, atq; exercitatione in Crocodili magnitudinem augescit, maioribus plausibus celebrari est dignus. *Melius est de contemptibili clarum fieri.*

Hæc scripsero propter eos, qui non sunt tam illustri, & inclyto genere nati, quàm Basilius Magnus (nec enim omnes nobilitate exæquare Basilium possunt) vt illis animos addam, conatusq; eorum ad magna tentanda accendam: Nec enim illis vel impedimento esse potest patriæ vilitas, vel obstaculo parentum obscura conditio, quo minus amplificare dignitatis suæ gloriam, & nominis famam reddere celebriorem queant. Imò verò illustrior fuerit eorum gloria, celebrior fama, & existimatio, qui gloriosè agere, & difficilia coronari, & rebus præclaris studere nec ex officio, aut statûs conditione tenentur, neque maiorum suorum vel hortatu, vel exemplo didicerunt.

Capvt IX.

Raram autem Phœnicem citiùs in mundo videris, quàm fidam, & veram amicitiam.

Amicus verus rara auis in terris.

PRopter huius capitis titulum possumus magno Basilio Phœnicis appellationem concedere, vt qui fidam, integram, synceram, perseuerantemque, quoad vixit, conseruauit amicitiam ergà charum suum Nazianzenum, cuius rei magnus hic theologus plurimis in locis gloriosam cum quâdam christianâ ostentatione facit mentionem, dicens, illam tam celebratam historicorum monimentis dilectionem, quâ Pylades, & Orestes inuicem deperierunt, si cum amore comparetur suo, & Basilii mutuo, talem esse, qualis paucula scintillulæ lux, si cum Solis copiosissimo splendore componatur. *Nec verò quidquam eiusmodi apud eos erant Orestes, & Pylades*, inquit ille Orat. 20. subaudi, cuiusmodi eramus ego, & Basilius. Cùm autem Nazianzenus, dum amici Basilii iam vitâ perfuncti laudes oratione persequabatur, mutuam suam cum illo beneuolentiæ consuetudinem singulariter commendandam putauerit, sine dubio indicare voluit, quam sit rara auis, quàm difficilis inuentu vera, & fida, & germana, quæq; ad vltimam lineam, & extremam vitæ clausulam perduret, amicitia. Ita certè affirmat doctus nostri Hispani Traiani magister Plutarchus in lib. de amicitiâ, dicens: *Est amicitia animal minimè gregarium, aut graculatim volitans. Dum amicum alterum seipsum esse putat, mutuo colloquio seipsum compellat.* Vera, & integra, & constans amicitia gemma est, quàm non facilè reperias, auis est, non ex iis, quæ agminatim cum multis incitato alarum remigio per aëris aperta circumferuntur spatia, sed tam rara, & singularis, vt ad mirationi sit, & cum plausu celebretur, si vel semel intra annos mille videri contingat.

Basilius & Nazianzenus integerrimi amici.

Amicitia animal minimè gregarium.

Ecclesiasticus cùm enarrat varias vtilitates, quæ in vero amico latent, & tanquam in Thesauro sunt repositæ, dicit, qui talis est, eundem esse panchrestum medicamentum, quod vitam immortaliter sospitet, & pretio, quidquid pretii est, transcendat. *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contrà bonitatem fidei illius*, inquit ille Eccles. 6. 16. Sed notandum id quod ante recensionem tantorum in vero amico repositorum emolumentorum præmittit, dicens: *Amicus, si permanserit fidelis*, si animorum nexu insolubili coaluerit, si consuetudinis intimæ fœdus perpetuò inuiolatum seruauerit. Itaq; priùs dubiam fecit amicitiæ durabilitatem, quàm indubitatas promitteret ex amico vtilitates. Et si *conditio*, vt Logicorum pronunciatum habet, *nihil ponit in esse*, cùm sacer Scriptor incertam facit amicorum stabili-

Amicus fidus panchrestum medicamentum.

Amicus fidelis res, quæ nihil ponit in esse.

stabilitatem, ambiguam fidelitatis perseuerantiam (*amicus si permanserit firmus*) videtur nobis indicare, quod de constante, & perdurabili amicitiâ dicitur, id esse velut quidpiam earum rerum, quæ nihil ponunt in esse. Hoc est, quod significare voluit magnus Theologus Nazianzenus epist. 114. cùm ait: *Amicitia pura, minimèq; fucata res sanè rara, quaque in paucis inueniatur.* Amicitia syncera, cui nulla propriæ vtilitatis scoria adhæreſcat, res est, quam vt in multis expetere, ita experiri vix in pauculis queas.

Suffulciet hanc veritatem diuinus Magister noster, qui cùm sub parabolæ secreto precum importunarum dissimulanter indicare vellet efficacitatem, ita suam ordiebatur orationem: *Quis vestrûm habebit amicum?* Lucæ 11. 5.

Hîc diligenter ponderandus venit dicendi modus, quo sacer Magister vtitur, cùm de eo, qui verum amicum habeat, loquitur. Mentem, cogitationemq; in eadem re defixerunt Iacobus Faber, Didacus Stella, Iacobus de Vitriaco, Thomas Beuxalmis, Guilielmus Ebroicensis, Ioannes Elrod, & innumerabiles alii.

Parabolæ nunc dominicæ, & difficultatis præsentis tale est initium: *Quis habebit?* Sed quid mysterii subest huic voculæ, *Quis*? Richardus de S. Laurentio lib. 6. de laudibus Virginis sic ait: *Quæstio fit per*, Quis, *in difficultatem, & raritatem, vt:* Quis potest dicere, mundum est cor meum? *Prouerb.* 20. 9. Quis putas est fidelis seruus, & prudens? *Matth.* 24. 45. Quis ascendet in montem Domini? *Psal.* 23. 3. *id est, quàm rarus?* Cùm ergo Dominus volens introducere verum quendam amicum ait: *Quis vestrum habebit amicum?* quæstionem facit per, *Quis*, indicare vult *difficultatem, & raritatem*, hoc est significare, perpaucolos esse veros, integrosq; amicos, adeò vix reperiri, qui sint tales.

Amicus fidelis hortus conclusus, fôs signatus.

Huc respiciens sanctus Gregorius Nazianzenus de tali amico sic ait Orat. 6. *Amicus fidelis hortus conclusus, fons signatus.* Vbi sine dubio alludit ad locum Canticorum, vbi Sponsa eiuscemodi titulis condecoratur, quod sit hortus solicitè custoditus, & fons singulari cautione obsignatus. *Fons signatus, hortus conclusus*; Cant. 4. 12. Quid verò volebat diuinus Sponsus, quando dulcem columbulam suam fontis signati, & horti conclusi nomine donabat? Venerabilis P. Caspar Sanchez in commentario eorum verborum ait, Sponsum hîc allusisse ad morem Regum Persarum, qui fontes suos, teste Athenæo, validè inclusos, inaccessosq; habebant, vt nemo subditorũ ad eos penetrare posset. Verba Athenæi lib. 12. cap. 13. eâ de re sic habent: *Agathocles libro de Cyzico tertio aquam auream vocatam esse scribit in Persis, atque fontes esse, ex quibus nulli bibere licet, præterquàm soli Regi, atque seniori illius exfiliis.* Ad hunc modum ait de sponsâ suâ sponsus, quod sit fons signatus, hortus conclusus, quem præter ipsum seu videre, seu contingere nemini fas sit, aut liceat. Tam solicitè custodiebatur, tam cautè seruabatur pudica, & circumspecta Sponsa. Quod ergo Nazianzeno affirmantæ, amicus est *fons signatus, hortus conclusus*, id perinde est, ac si dictum fuisset, integrum, verumq; amicum rem esse raram, & perquam pretiosam. Nam vt fons ille, & hortus vni soli homini seruabantur, illeque solus iis fruebatur: Ita fida dilectio, amicitia integra, charitas perdurabilis, & constans fons est, & hortus tam validè conclusus, tam firmiter septus, & obsignatus, vt vni soli reseruatus videatur, certè neque fructus est omnibus obuius, nec aqua, quam haurire cuiuis liceat: *Amicus fidelis hortus conclusus, fons signatus.*

Coronam imponat huic meditationi, qui virtutum corona est, & præmium, cælestis Magister noster, fulcrum subiiciente Doctore Angelico. Perfidiosus discipulus, & sacrilegus innoxii Agni proditor adueniebat, vt illum in atrocium, & sanguinariorum luporum potestatem traderet. Arguens autem Dominus periuram illius, truculentamq; in-

Amicos velut per risum Christus quosdam vocauit.

fidelitatem, his eum tam suauibus verbis perblandè appellabat: *Amice ad quid venisti?* Matth. 26. 50. Notauit hoc loco Expositor Angelicus, Dominum nostrum, quoties aliquem amicum vocauit, per improperium, risum, ac ludibrium sic appellasse, vt quando hac occasione Iudam ita nominauit, & illi de vineæ parabolâ querulo dixit: *Amice, non facio tibi iniuriam*; Matth. 20. 13. rursùmq; in regiis nuptiis, quando illi, qui splendido epulo cum sordidâ veste sese intulit ait: *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. 12.

Dicit nunc scholasticæ militiæ sacer antesignatus in cap. 26. Matthæi: *Quoties amicum aliquem vocat, improperando loquitur. Vnde dictum est suprà: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? Et alibi. Amice, non facio tibi iniuriam.* Quamobrem verò Redemptor noster *improperando loquitur*, quoties aliquem amicum vocat, & iocosè ludit eum potiùs, quàm seriò ita nominet? Quamobrem, dicis? Nimirùm vt nos doceat, cùm quis ait, esse veros in mundo amicos, id perinde esse, ac si dicat, esse sub Sole Phœnicem, quod nemo, qui veri amans sit, & iudicio valeat, undit, quin cum risu, & ioco dictum accipiat. Sic itaq; & Chrystus improperando loquitur, cùm amici nomine quempiam donat, qui enim affirmat, esse alicubi integrum amicum, is risum magis, quàm fidem meretur, sunt namq; pene omnes ficti amici, qui suis tantùm commodis attendunt, & propriæ vtilitati student, & si qui sunt amici veri, & fidi, iidem perrari sunt, & vix alicui visi.

Amicum verum qui reperisse dicit, risû magis, quâ fidem meretur.

Ea propter latinæ eloquentiæ Parens Tullius apud S. Aelredum lib. 1. de amicit. & Petrum Blesensem lib. de amic. cap. 2. sola tria, vel quatuor bonorum amicorum patria historijs celebrata repetit, nempe Theseum, & Pirithoum, Achillem, & Patroclum, Orestem, & Pyladem, Damonem, & Pythiam. *Vix, vt ait Tullius, tria, vel quatuor amicorum paria in tot retrò seculis fama concelebrat.*

Amicorū verorum vix quatuor paria historia profanæ celebrant.

Mirum sanè, si quid aliud, quod tot annorum volumina tam paucos viderunt, qui pro fidâ & cùm sanctè cultâ, tum integrè obseruatâ amicitiâ memoriæ consecrari æternæ in Famæ templo meruerint. Vix quatuor paria inuenias, tametsi plusculas præteritorum seculorum decadas animo relegas, paria hominum, inquam, qui pro syncerâ & perseverante, & annis vitæ exæquatâ ergâ intimos familiares fidelitate sublimem in celebri illo templo locum obtinuerint. Tam pretiosa res, tam rara auis est constans, & perdurabilis amicitia.

CAPVT X.

Quibuslibet aliis bellu, & contentionibus subigatur homo, non tam iniquè fert, quàm vehementer succenset, & inflammatur, cum in conflictu, & palæstrá ingeniorum succumbit.

Ingenio minus valere nemo facilè tolerat videri.

POst arctam illam Basilii, & Gregorii Nazianzeni amicitiam, post intimam illorum, & in portentis numerabilem familiaritatis consuetudinem ad aliud non minus nouum, & admirabile prodigium prouocamur. Quale illud? Dicat hoc Gregorius ipse, qui in Monad. sic ait: *Par spes doctrinæ hoc est, res omnium inuidiosissima, nos ducebat, & tamen aberat inuidia, æmulatio autem studio. Hoc vtriq; certamen, non vter primas ferret, sed vter alteri eas concederet, vterq; enim alterius gloriam pro suâ ducebat. Vna vtrique anima videbatur duo corpora ferens.* Duo Ecclesiæ lumina Basilius, & Gregorius studiorum collegæ Athenis erant, subtilitateq; & perspicacitate ingenii suprà omnes in celeberrima illâ Vniuersitate eminebant, magnitudine progressuum, quos in literis faciebant, facilè principes. Et quanquam certarent de copiis doctrinæ, & eruditionis, quibus nihil magis, nihil vel æquè axpositum inuidiæ, hi duo soles nihilominùs tam procul à vitiosa omni æmulatione aberant,

ſtant, vt de hoc ſolùm ardentiſſimè inter ſe contenderent, quis palmam alteri offerret, quis herbam porrigeret, cùm quisq; & videri inferior, & alterum eſſe ſuperiorem cuperet, eoque ſe ſublimiores exiſtimabant, quò profundius ſe mutuò deiiciebant, & primas ſe ille rapuiſſe arbitrabatur, qui alteri detuliſſet. Bina quippè corpora mens vna velut animabat, & moderabatur. Nonne hoc nouum, inuiſumque, & inauditum prodigium? Nonne rarum, & admirabile portentum? Si aliter putatis, audite Hiſpanum Martialem, intelligetiſq; illius de tali re ſententiam, quàm his verſibus expreſſit lib. 1. Epigram. 18.

Ingenio qui velit cedere, rarus.

Aurum, & opes, & rura frequens donabit amicus,
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Qui agros, qui numorum, & margaritarum totos aceruos promptis manibus, & magna voluntate donent, plures inuenias, ſed qui minus valere ingenio fateatur, neminem, perquam raros certè qui in tantam deſcenderint humilitatem, re enim vera nihil eſt, quod cruciabiliùs affligat, neq; dolor, qui animi intimos receſſus profundiùs penetret, quàm ingenii facultate ſe aliis imparem, inferioremque cernere.

Aptè cum hac varietate cohærebit, quod ſanctus Matthæus refert. Duas quæſtiones, cæleſti Magiſtro propoſuerant Iudæorum Doctores, & legisperiti, alteram querulam, alteram conſtruendæ calumniæ aptatam. Prima talis erat, cur diſcipuli ſabbatho vellerent ſpicas, quod per illum diem non liceret. Secunda eiuſmodi: *Si licet Sabbathis curare?* Matth. 12. 10. Vtrique tam cumulatè ſatisfecit, vt reſponſione confutatos, confuſoſq; reliquerit eos, qui interrogarant. Quòd cùm narraſſet Evangeliſta, ſubdit: *Exeuntes autem Phariſæi, conſilium faciebant aduerſus eum, quomodo perderent eum;* ibid. v. 14. cùmque reſponſa eius non poſſent ampliùs oppugnare, doctum benefactorem, & ſapientem humanarum infirmitatum curatorem profligare, & delere voluerunt.

Quærit hîc magnus Hiſpaniarum Doctor Toſtatus, quamobrem hac occaſione ſtomachoſi Phariſæi aduerſùs mitem Agnum tam atrociter efferati fuerint, qui blandâ reſponſione ſuauiter illis ſatisfaciebat, & neq; minas auſterus intentabat, neq; metum vultuoſus incutiebat. Si verbis duris in eos invectus fuiſſet, ſi vel ſontem aſſeueraſſet, hanc furoris ſui cauſam prætexere, & rabiem ſuam vtcunque tali excuſatione inumbrare potuiſſent. Quid ergo eſt, quod tam cœcè, ac præcipitanter ad conſciſcendam Domino necem concurrebant, & *conſilium faciebāt aduerſùs eum, quomodo eum perderēt?*

Ingenio ſuperari intolerantiſſimè ferebāt Phariſæi.

Huic difficultati occurrit Abulenſis quæſt. 41. in Matth. 12. dicens: *Phariſæi iraſcebantur Chriſto, quod concludebat eos, tacere cogens, & cùm ipſi honorem cuperent, & ſe peritos legis coram plebe oſtendere vellent, moleſtè ferebant, quòd concluderentur à Chriſto, quaſi nihil intelligerent, & ideò occidere illum volebāt, ne iſtam anguſtiam quotidie pati cogerentur.* Quod Phariſæi vſq; eò aduerſùs cœleſtem Magiſtrum commouebantur, vt furere viderentur, non inde proficiſcebatur, quod acerbis minis eos exagitaſſet, aut inflammaſſet, ſed quod ſapienter coarguiſſet, & conuiciſſet. Cùm enim illi hinc ſummam ſibi arrogarent eruditionis, & ſapientiæ gloriam, tanquàm populi ſui oracula eſſent interq; abſtruſiorum myſteriorum qualécunq; cognitionem efferrentur ingeniis, & intumeſcerent animis, atque inde Dominus ſuis reſponſis ita illos confutaret, vt neceſſariò obmuteſcerent, neq; priuatim refelleret, ſed palam conſtringeret, ob oculos, aureſq; confertæ multitudinem, quæ frequens concurrebat, & attenta, quæcunque dicebantur, excipiebat, intolerantiſſimé ferebant, quod ſuperari ingenio, ſapientiaque, & doctrinâ Chriſto oppidò inferiores eſſe, illis coram præſentibus, & audientibus, & animaduertentibus, deprehendebantur, apud quos

ingenij summam laudem, & eruditionis incredibilem admirationem eatenùs obtinuerant. Itaq; tanquàm insani bacchari cæperunt, & in eam sententiam capti mentis oculis ruere, vt vitam ei adimerent, qui ingenio, & sapientia illos tam magnis, quàm multis modis superabat: *Irascebantur Christo, quod concludebat eos tacere cogens, ideò occidere illum volebant, ne istam angustiam quotidie pati cogerentur.* Non enim est par dolor, ac videre se ingenio imparen, neq; atrocius tormentum, quàm eruditione superari, nec ludus, cuius perditio æquè pungat, ac in literario certamine succumbere:

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Commodum nostræ causæ veniet, quod Phil.osophus de serpente, & mustela affirmat Ait autem capitalia esse & continua horum animalium diffidia. Sic enim de mustelâ lib. 9. hist. animal. cap. 6. habet: *Serpentem impugnat eum præcipuè qui mures venatur.* Implacabile est mustelæ odium in serpentem, qui murium venatu viuit. Quam verò ob causam tam est infensa huic animali mustela? *Videlicet eâ causâ, quia ipsa etiam mures persequitur.* Mustelæ, & serpenti exoso commune studium est, & vnus vtrique scopus, rodentia, & improbula, molestaque animalcula pari vigilantia, & contentione insectari. Eamne verò ob rem tam capitales sunt hostes? Illam ipsam ob rem. Proprium nempè est illorum, qui idem negotium agunt, & pares operis tractant, æmulari mutuò, & persequi: literarum studiosis idem euenit, iis enim perquàm vsitatum est, inuicem vexare, & exagitare, & mortalis inuidiæ facibus aduersùm se inflammari mutuò. Cur verò tot inter eos contentiones, & tam pertinaces vexationes, & diffidia tam obstinata cooriuntur? Ob id *videlicet, quia & ipsi eadem persequuntur,* quia in communibus negotiis versantur, quia finem eundem appetunt, quia idem præmium anheli suspirant, & aspirant ad laurum vnam.

Mustella serpétem muricipē impugnat. Cur?

Literarū studiosis rarò benè conuenit. Quid ita?

Graue patrocinium accipiet hæc causa ab insigni Actuum apostolicorum interprete, eiusq; noua in funestam sancti protomartyris Stephani mortem commentatione. Quærit hic Doctor causam, quæ mouere potuerit Saulum (post hæc Paulum) vt tam anxiè expeteret, tam solicitè procuraret immaturum formosi illius, ac peruenusti iuuenis interitum, qui virente in ætate opimos abundantia copiarum magna proferebat sapientiæ fructus. Ab vno autem Saulo omnium enixissimè expetitam Stephani mortem, satis indicat gestorum Apostolicorum scriptor, cûm ait, periuros testes, & fatales iniquæ sententiæ executores, vt truculentam expeditiùs inferre necem Stephano possent, vestes suas vni Saulo custodiendas contradidisse: *Et testes deposuerunt vestimenta sua secùs pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus;* Act. 7. 57. Quod autem istorum vestimentorum custos fuit, hoc fecit, vt liberioribus manibus pretiosum illud tritici granum conterere validiùs, & saxorum opprimere tempestate possent. Ita sensit S. Augustinus, quando in Serm. 93. de diuersis ait: *Omnium vestimenta seruabat, vt esset in omnium lapidantium manibus.*

Paulus, quando Saulus infensissimus Stephano. Quam ob rem?

Vnde verò illa tam mortalis Sauli in Stephanum inuidia? Quare tam cæco furore armabatur aduersùs diuinum, & inuictum iuuenem, vt viderentur illum & manus, & saxa deficere, quibus Stephani constantiam quateret, florentisq; ætatis illius filum abrumperet? Respondet eruditus Commentator Lorinus in c. 7. Act. v. 58. *Videtur Saulus naturâ præferuidus, & paternarum æmulator traditionum, & maximè concitatus in Stephanum condiscipulum.* Quòd Saulus tam solicitè ardenterque procurauit necem Stephani, id primò quidem factum, quòd incitatione ingenio esset, stomachosusque, & intemperante studio teneretur traditionum, quas à maioribus suis acceperat, id verò illum acrioribus stimulis huc incitabat, quòd ingenio, eruditione, sapientia superari ab eo videbat, quem litera-

Ingenio, & eruditione à Stephano superari non ferebat Saulus.

literariæ exercitationis collegam habuerat, nunc autem tam longè superiorem habebat, vt magnitudini doctrinæ eius & se, & synagogam totam præmodùm imparem cerneret, nec enim *poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur*, Act. 6. 10. Itaq; cùm Stephanus, & Saulus condiscipuli essent, hicq; eâ re, quæ maximam secum adfert inuidiam, se multis parasangis ab illo anteuerti aduerteret, victumq; diffiteri non posset, hinc furere, & in rabiem agi, hinc tam promptè ac solicitè seruare vestes eorum cæpit, qui innoxium Stephanum sæuo, turbidoq; saxorum imbre obrutum ibāt: *Vt esset in omnium lapidantium manibus*, omnique ex parte sanguineo, & ferali bello illum appeteret *maximè concitatus in Stephanum condiscipulum*. Inter eos, qui communem discendi ludum frequentant, exitiabilem, & mortalem inuidiam suscitare solet, si quis cæteris emineat,& eruditionis palmam præripiat, vel sapientiæ laude excellat.

Hinc Ælius Adrianensis summa admiratione dignam rem putauit, quæ magistro illius Alexandro per id tempus celebri accidisse ab Aristide Orat. 12. to. 1. his verbis narratur: *Solus præterea Hesiodum mendacij conuicit, qui poëtam poëtæ inuidere dixerat, erat enim eorum, qui eandem artem colebant, tanquàm pater communis, nec minorem in illo omnes, quàm in se quisque spem positam habebat, & apud elegantiores homines summo erat loco.* Quàm appositè in rem præsentem dictum illud: *Solus præterea!* Nam velut Sol solus est, vnicusque,ita ferrè vnicus, & solus est, si quis est, qui alios ingenio citrà inuidiam superet, cùm ingenii excellentia, & scientiæ magnitudo singularis, & sapientiæ explorata præstantia seminarium acerrimæ & mordacissimæ inuidiæ esse soleat. *Par enim spes doctrinæ res est omniū inuidiosissima*, vt Nazianzenus suprà adductus aiebat, cùm & pignus sit, atq; monile,quod pretio suo dignitatem rerum aliarum transcendat, quod iam iam probatū dabimus.

Ingenii præstantia seminariū inuidiæ.

CAPVT XI.

Post virtutem, & sanctitatem non potest pater quisquam filio suo pretiosius, ditiusq; ornamentum procurare, quàm scientiam, & eruditionem.

POstquàm communis virtutum pater Basilius prodigiosum Phœnicem filium suum ad christianam pietatem institutum educasset, curauit vt & liberales Artes, cæterasq; humanas, & seculares literas condisceret, inquibus tam ingentes, insignitosq; progressus fecit, vt cum annum secundum supra vigesimum ageret, iam esset excellentissimus Grammaticus, eminentissimus Rhetor, ingnissimus Philosophus, doctissimus Logicus, eruditissimus Medicus, celeberrimus Musicus, præstantissimus Geometra, peritissimus Astrologus, quod de illo referunt sancti Gregorius Nazianzenus in Mon.& Amphilochius in vita S. Basilij. Quare Nyssenus illum, quod ad variarum scientiarum affluentiam attinet, cum Moyse componit Orat. in Basilium, dicens: *Sicut Moyses eruditus* fuit *in omni sapientia, atque scientia externarum disciplinarum*, Non est alia sublimior comparatio, per quam æquè innotescere possit, quantùm scientia Phœnix noster valuerit, & ingenio assecutus fuerit. Itaq; singulari studio, & curâ disposuit Phœnicis nostri parens Basilius, vt literariæ disciplinæ filius traderetur. Sic enim secum reputauit sanctus, & prudens pater, nec prætiosiorem supellectilem filio procurare, neque vel ampliorem hæreditatem, vel opulentius patrimonium relinquere posse, quàm si illum omni scientiarum genere excoli curaret,postquàm christianis,& religiosis moribus imbutum sanctè educasset. De sapientia enim rex olim sapientissimus affirmat, tantam esse illius dignitatem, vt nihil tam pretiosum mundus habeat, quod cum illa conferri queat. *Præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse duxi incomparatione*

Sanctitas, & eruditio hæreditas liberorum opulentissima.

Basilius penè omniscius.

illius, inquit ille Sap. 7. 8. Quod si ita est, quid mirum, quod sacer pater studuit, vt Phœnix noster, filius illius quàm eruditissimus, ac sapientissimus euaderet? Nam si illud assequeretur, tam diuitem, copiosamq; hæreditatem illi relinquebat, vt & regibus antecelleret, & affluentissimis omnibus opulentior esset.

Innocentius III. Pontifex Maximus obseruauit mysticum modum, quo æternus Pontifex supremum sapientiæ donum in primos Catholici gregis ductores, & pastores submisit. *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis*, ait S. Lucas Act. 2. 3. Itaq; in ignis specie altissimum sapientiæ donum cœlestis luminum Pater inde effudit. Quamobrem verò in ea potissimùm ignis, & linguarum forma ille tam pretiosus thesaurus, & sapientiæ donũ supremũ effusum fuit?

Sapientiæ donum cur in ignis specie in Apostolos descendit.

Respondet summus Ecclesiæ pastor serm. 1. de Pentecoste: *Ignis charitatem significat, lingua verò exprimit sapientiam. Et inter virtutes charitas est præcipua, & inter dona prima est sapientia. De illa dicit Apostolus* li. Corinth. 13. v. 13. *Maior autem horum est charitas; de ista dicit Propheta* Isaias 11. 2. *Requiescet super eum spiritus sapientiæ.* Quod ignis charitatem symbolo referat, id in sacris literis tam celebratum, quàm quod decantatissimum. Quod Charitas sit princeps virtutum, & imperatrix, id catholicæ fidei dogma ab Apostolo constabilitum habet. Quod lingua sit sapientiæ emblema, id eruditi omnes magna consensione docent. Descendit ergo diuinum sapientiæ donum in figura linguarum, & ignis, qui charitatem ducem virtutum significat, vt qui sociatas venire charitatem, & sapientiam videret, simul intelligeret, quod Sapientia primas inter dona obtinet, vti Charitas editissimo inter virtutes throno gaudet. Hanc Sapientiæ concedit excellentiam excellentissimus theologus Nazian. in Orat. de Episcop. & Orat. 20. dicens: *Sapiẽtia princeps est inter prima mundi bona bonum.*

Sapientia prima in donis, charitas in virtutibus.

Sapientia princeps bonũ inter prima mũdi bona.

Confirmatam dabit hanc veritatem Phœnix noster à germano fratre suo Gregorio Nysseno dilaudatus. Comparat hic in suo panegyrico virtutes Basilij cum virtutibus Patrum vtriusq; Testamenti, cumq; eò peruenit, vt illum cum Hebræi populi coriphæo Moyse componeret, sciscitatur, quibusnam gratijs, donis, prærogatiuis conferri cum illo queat. Respondet autem, conferri multis posse, sed eo maximè, quod maximo animo fortissimè gestum à Moyse. Ecquodnam illud? Quod excelso spiritu, & dedignabundo pede calcauit purpuram, obtriuit coronam regiam, & humilem Christi consuetudinem, teneumq; illius paupertatem, & nuditatem amplexus fuit. Testem huius rei habemus diuinum Apostolum, qui Heb. 11. 24. 25. ait: *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Præclarum facinus, & mirissimum, quia facinus hominis, quem vesana regnandi ambitio vi magna abripere solet, vt cæco impetu actus humanarum, diuinarumq; legum rationem nullam habeat. Quod Moyses filiã Pharaonis natus, vt credebatur, putari noluit, & in ærumnis versari cum suis contribulibus maluit, quàm inter aulæ Pharaonicæ delitias vitam transmitt re, factum incredibile videtur. Hac verò in re imitatus est illum Basilius. At quænam hic sceptra, quænam regna, vel diademata spreuit, & repudiauit, vt tam illustris æmulus Moysis esset? Exponat hoc Nyssenus, cuius sunt hæc ex Orat. panegyr. Basilij: *Cùm omnem ex literis, & disciplinis externis partam gloriam renuntiasset, vt ille regnum, ad humile vita se transtulit institutum.* In humanarum literarum editissimum locum Basilius penetrauit, & quod ad secularis sapientiæ gloriam attinet, parem non habuit, Phœnix sui seculi fuit! Vt verò Christum assecutus complecteretur, insignitam illam nominis existimationem, & famæ celebritatem contemnens pompæ, & plausui omni longum vale dixit.

Moyses cõteptus opum & bonorum magnus.

Hoccine fuit imitari Moysen? Hoccine vestigijs eius insistere? Quid verò commune habet contemptus regiæ coronæ cum aspernatione præclaræ famæ de sapientiæ opinione natæ? Magna est vtriusq; actionis affinitas, neq; exigua similitudo. Nam cum decentissimum, & dignissimum, & præstantissimum sit scientiæ donum & ornamentum, quisquis illius plausus renuntiat, & honores calcat, & videri sapiens contemnit, vt sequi Christum possit, idem de magnitudine animi, & ingenij generositate certare cum illo potest, qui coronam aspernatur regiam, & purpuram abijcit, & sceptrum dedignabundus refutat. Immò qui celebrem scientiæ opinionem refutat, ille muto illustrius facinus edit, quàm qui regni fasces refellit, eò quod præstantior sit sapientiæ, quàm imperij dignitas: *Præposui illam regnis, & sedibus.*

Sapientiæ famam cõtemnere, maius, quã regnum aspernari.

Rabidi hostes innoxij Agni Christi seruatoris nostri præfisi causarum momentis, quibus obligare Pilatum posse arbitrabantur, vt ignominiosæ Crucis morti autorem vitæ addiceret, cùm ab illo interrogarentur, quibus de rebus eum accusarent, quem datum neci cuperent, audacter, magnoq; cum supercilio aiebant: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum;* Ioan. 18. 30.

His occurrit aquilla Doctorum Augustinus Tract. 114. in Ioan. dicens: Malefactoremne hunc vocatis, perfidiosi accusatores: *Interrogentur, atq; respondeant ab immundis spiritibus liberati, sanati languidi, leprosi mundati, surdi audientes, muti loquentes, cæci videntes, mortui resurgentes, & quod omnia superat, stulti sapientes, vtrum sit malefactor Iesus?* Prodeant, & accurrant ad propugnandam diuini Accusati innocentiam & quos ille à tyrannica dæmonis seruitute exemit, & quos grauibus morbis leuauit, & quos à graueolente leprâ emaculauit, & quibus audiendi, loquendi, videndi facultatem, vitæ adeò vsuram restituit. Estnè aliud præterea, quod testari & clamare summam cælestis Magistri potestatem queat? Et quid his amplius esse possit? Est verò adhæc aliud, quod magnificentiam eius extollere, & inculpatæ vitæ illius existimationem amplificare, & contumeliam passi Domini innocentiam luculentius testatam facere valeat. Quid nam illud? *Quod omnia superat, stulti sapientes.* Quod tam multos rudes tantis scientiæ, & sapientiæ copijs collocupletauit, id vnum ad commendationem beneficientiæ Domini omnium maximè facit. Itanè verò? Imò, inquit Augustinus, *omnia superat:* Nam recuperasse loquelam, auditum, visum, bonam valetudinem, quin & è sepulchro in vitam reuocatum esse, & quidquid tale est, nihil est, si cum scientiæ nobili dono, & dignissimo sapientiæ ornamento conferatur. *Homo* enim *sine literis nihil aliud est, nisi asinus bipes,* aiebat sapientissimus, & doctissimus pontifex Pius II. epist. 4. Ergo quem scientia, & sapientiæ destituit, tametsi videat, & audiat, & obambulet, & ex tumulo rediuiuus exurgat, recensere in quadrupedibus bestijs, ex Pij II. sententia, possumus, nisi quod hæ minore periculo, ac securius ambulent, vt quæ pedibus quatuor nituntur, & circumferuntur, cùm homo amusus duobus tantùm pedibus gradiatur. *Homo sine literis nihil aliud est, nisi asinus bipes.*

Sapientẽ ex stulto facere, res omni alio miraculo maior.

Homo amusus, asinus bipes.

At si homo literarum expers bestiam olet, nihil est quod æquè Deum oleat, ac homo sapiens. Quo nomine donauit sapientiam Spiritus sanctus? *Vapor est,* inquit, *Virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera;* Sap. 7. 25.

Sapiens homo Deum olet, vt indoctus bestiam.

Cornelius à Lapide in cap. 1. Eccl. v. 1. ait: *Sapientia est quiddam subtile, & odoratum, quod à Deo efflatur, hominemq; diuino quodam vapore, & dolore recreat, vt oleat Deum, eiusq; vita, & sermo spirent quid diuinum.* Sapientia quidam halitus Dei, quem cùm homini afflat, cælesti quadam, ac diuina fragrantia eum sic tingit, ac perfundit, vt Deum quodammodò exhalet, & quasi piret diuinitatem in omnibus siue quæ agit, siue quæ loquitur.

 In

In verbis Cornelij notate ista: *Vt oleat Deum.* Sapiens saporem quendam habet Dei, illumq; in omnibus tum gestis, tum dictis suis sapit. Qui per compita vadens pastillos circumfert odoratos, mox innotescit, & percipitur, quacunq; pergat, & siue ingrediatur, siue aliunde exeat, suauem, acutumq; exhalat odorem. Ad hunc modum ait Cornelius de Sapiente: *Olet Deum, eiusq; vita, & sermo spirant quid diuinum.* In omnibus, quæ agit, quæq; loquitur, Dei quædam fragrantia est, & sapor.

Sapientia beatos, ac Deo proximos reddit.

Etiam Seneca hanc assecutus est veritatem, quando in lib. de Consolat. ad Helu. cap. 5. sic ait: *Quid ergo? Sapientem me esse dico? Minime. Nam id quidem si profiteri possem, non tantùm negarem miserum me esse, sed omnium fortunatissimum, & in vicinum Deo perductum prædicarem;* tanquàm verbis alijs dixisset: Tam ego sim proiectus, ac temerarius, vt me in catalogo Sapientum censere ausim? Absit procul à me tam vanus cogitatus. Nam si id assecutus essem, quod sapientibus adnumeraret, extemplo me de miserorum syllabo expungerem, & felicissimorum beato cætui adscriberem. Parum dixi: *In vicinum Deo perductum prædicarem;* hoc est, si ad ordinem Sapientum admitterer, etiam Deo proximum sedere posse arbitrarer. Momenta sapientiæ, quibus illa hominem extollit, grauioribus verbis amplificari non possunt. Est namq; ipsa quidam pastillus diuinus, & quidam terrestris Deus: quisquis illam habet, quaqua homo sapiens pergat, intret, exeat, suauissimum ex se odorem, & cælestem diuinitatis fragrantiam fundit. E contrariò miser, quem ignorantia occupatum habet, quem insipientia tyrannico dominatu oppressum tenet, quocunque se vertat, quidquid dicat, vel agat, quid aliud faciet, nisi vt grauem odorem exhalet, animosq;, & stomachos moueat omnibus, quibus loquitur? Nam homo literarum rudis, & imperitus quid aliud est, quàm informe ex impolito lapide simulachrum? *Inter hominem illiteratum, & marmoream statuam nihil interest,* aiebat Æneas Syluius epist. 4. Brachia marmorea, lingua saxea, pedes ærei quando mouentur, quid aliud efficere, aut præstare possunt, nisi vt feriant, & vulnerent? Tale quid est illiteratus. Marmor est, ferrum est, saxum est, si linguam moueat, aut manum, si quidquam loquatur, aut operetur, omnibus modis importunus est, & molestus, offenditq;, & lædit, & sauciat.

Homo illiteratus à marmoreâ statuâ nihil differt.

Ex aduerso autem quid pretiosius homine sapiente, quid illo dignius, ac venerabilius? Fidem huic rei faciet, quod de illo sapientiæ monstro Origine etiamnum impubere, eiusq; patre Leonide Eusæbius Cæsariensis lib. 6. hist. eccles. cap. 2. his uerbis affirmat: *Iam verò puero dormienti illum* (patrem Leonidam) *sæpè adstitisse, eiusq; pectus stragulis denudasse ferunt, atq; illud perinde ac si sacer Dei Spiritus ipsum sibi tanquam templum consecrasset, augustè, & cum reuerentia osculatum esse, seq; pro tali prole beatum, & felicem existimasse.* Nondùm ex ephebis Origines excesserat, iamq; in illo cælestis sapientiæ donum sic adoleuerat, vt pater eius Leonides, quando illum somno correptum videbat, pectus eius blandè detegeret, reuerentissimè dissuauiaretur, & gaudio exultaret, risumq; inter, & lachrymas paterna labia pectori imprimeret, ac dulcia oscula semel, iterumq; fieret tanquàm incomparabilium diuitiarum deposito, tanquàm opulentissimo ærario, tanquam sacrario pretiosissimi doni, hoc est, sapientiæ, eleuansq; cum oculis manus ad eum, cuius munificentia tam diuite pignore illum nobilitarat, hominum se, quotquot orbis terrarum habet, fortunatissimum arbitrabatur, *seq; pro tali prole felicem, & beatū* existimabat.

Sapiens filius beatitas parentum.

At si hoc cum Origene filio suo Leonides agebat, quid non fecerit Basilius cum filio suo Basilio, quem tam profundâ sapientiâ ornatum, & locupletatum habuit? Hic eam nempè laudem consecutus est,

tus est, vt Magni nomen, & appellationem Phœnicis apud omnes obtinuerit. Huic sapientia contulit, vt sacrum diuini Spiritûs templum consecratus, & diuinarum literarum oraculum, & omnis humanæ eruditionis portentum dictus, habitusq; fuerit. Itaq; & lætantissimè sanctissimus parens exclamauerit, *se pro tali prole beatum, & felicem exiſtimaſſe.* Ac iure meritò illud. Qui enim omnia fecerat, nec quidquam prætermiserat eorum, quibus filius sapientiâ quàm cumulatissimè ornati, & excoli poterat, sibi eâdem operâ pretiosissimam coronam elaborarat. Nam si filius sapiens est gloria patris, qui filio sapientissimo gaudere meruit, is celeberrimam, & fulgentissimam, insignitissimamque, & opulentissimam coronam obtinuit.

CAPVT XII.

Qui non ſtudet facultati, aut ſcientiæ, quæ cum genio ſuo conueniat, is eſt, quale ingenium, quod ijs rebus diſcendis nouat operam, quæ vim illius, capicitatemque ſuperant.

Scientia quænam cuique addiscenda.

NOn dissimulauit, neq; silentio texit sanctus Gregorius Nazianzenus causam, ob quam diuinus Phœnix Basilius euasit tam excellens in quouis genere scientiarum, tamq; insignis in omnibus, quàm eximius, & præclarus in singulis. *Ad ingenij acrimoniam ſtudium accedebat, ex quibus imperium artibus, ſcientijsq; comparatur,* ait ille Orat. 20. Erat Basilius ingenio acuto, viuo, expertecto, perspicaci, prompto, & expedito ad omnes artes, scientias, & facultates. Genio autem, & ingenio, quod illi Deus perliberali manu concesserat, adiecit studij contentionem, & lucubrationum assiduitatem, atq; ita factum, vt inter omnes sui seculi emineret, præcipuamq; scientiæ, & sapientiæ laudem vbiq; obtineret, & fama ingenij eius à primulis rudimentis vsque ad supremæ, & maximè arduæ scientiæ editissimũ culmẽ continuò celebritatis profectũ augesceret.

Basilius unde tam doctus euasit.

Hîc nobis tradit Nazianzenus monitum, & doctrinam perquam momentosam ad faciendos magnos in studio literarum progressus. Aptum scientiæ, siue facultati, quæ appetitur, genium, & ingenium habere oportet, ingenio autem curam, diligentiam, vigilantiamq; adiungere. Si abhorret ingenium à facultate, cui opera nouatur, si auersatur animus scientiam, quæ addiscitur, quantumuis peruigilet discipulus, quantumuis defatigetur, & insudet, tam inanis erit omnis eius labor, & conatus, quàm si quis præpetem ardeam pedibus insequi plumbeis velit. Duo ergo sunt necessaria studioso consummatam scientiam adipisci volenti. Primùm est, vt quadret ingenio, conueniatq; natiuæ eius facultati scientia, quàm appetit, insitaq; à supremo Numine propensione in eam feratur. Deinde, vt ad ingenij aptitudinem, & inclinationem accedant solicitudo proficiendi, labor, studium, & pertinax lucubratio, *ex quibus imperium artibus, ſcientijsq; comparatur,* efficiturque, vt perfectus euadat, qui scientiæ, vel arti cuipiam animum addixit. Cogere quippe ingenium ad scientiam discendam, quàm defugit, tantundem est, quantùm velle scientiam absq; ingenij admiraculo adipisci.

Scientiam ingenium aptum cõiunctũ studio parit.

Cùm generosus populi Hebræi ductor tam vehementer refutaret officium loquendi barbaro regi Pharaoni, petendiq; ab eo libertatem Israëlitis tamdiu, atrociterq; oppressis, vt eum ad prouinciæ maximè arduæ promptam administrationem supremus Dominus incitaret, sic appellabat: *Ego ero tecum*; Exod. 3. 12. cùmq; me auxiliarem habueris, omnia nobis de via cedent impedimenta, omnes nobis succumbent difficultates.

Quid sibi voluit Dominus, cùm ait: *Ego ero tecum?*

Glossa interlinearis vult hunc subesse verbis dominicis sensum: *Ego ero tecum, diuinitas cum humanitate*; hoc est, vt populus optatam assequatur libertatem,

id coniuncta cum humanitate diuinitas efficiet. Quando hæc duo fæderabuntur, sortietur effectum res, quæ desideratur.

Tantundem dicere in rem præsentem possumus. Vt scientiam quis consequatur, vt artem addiscat, in eaq; excellat, duo concurrere, & se velut per manus ducere debent, ingenium,& ars, scientia, & studium, ad hunc enim modum liberabitur intellectus à misera ignorantiæ captiuitate.Nam vt Romanæ eloquentiæ facundus parens lib. 2. de Orat. ait, *inter ingenium, & diligentiam perpaululum loci reliquum est arti.* Quando ingenium natiuis suis ponderibus ad scientiam fertur, & in artem inclinat, exiguo tempore, neq; magno opere secreta eius dispicit, & in abstrusiora eius animo penetrat, & quidquid in ea reconditum, cognitione assequitur.

Ingenio stupidus tam non capit literas, quam non pisces Petrus, qui tota nocte laborauit.

E contrario quantumuis quis laboret, quantasuis noctes peruigil, atque insomnis instudio transmittatis, qui non habet ingenium accomodatum arti,neq; aptum scientiæ, cui dat operam, huic eueniet, quod sancto Petro, qui cùm à creperà vespertinâ ad matutinam vsque crebris retium iactibus mare quaqua versum tentasset, casso labore, & inani piscatu victum nequicquam quæsiuit, adeòq; diuino Magistro querulus dixit: *Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus*; Lucæ 5. 5. omnis nobis sinistrè iactus cecidit. Idem multis accidit, qui noctes cum diebus impendunt studijs, & incessanter laborant, neq; manum ab opere aliquando auocant, nec quidquam tamen proficiunt, sed quotidie difficiliora intellectu illis redduntur, quæ multa cum anxietate scire desiderant, & contendunt. Quænam huius rei causa esse potest? Ea, quam Sapiens indicat Eccles. 22. 9. dicens: *Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam.* Erudire illum, qui sit ingenio ab omni scientia, & arte alieno, tale est, quale verbis apud illum disserere, qui laxas inerti, ac turpi somno indulserit habenas, Nam vt diuinus Plato in dial. de

Ingenio stupidum docere est cum dormiente loqui.

Iust. ait, *nulla anima violenta disciplina stabilis est*, & vanum cum natura belligerare, & vim inatæ ad scientiam, vel artem ineptitudini adferre. Quare & Spiritus sanctus monet Eccles. 4. 32. *Ne coneris contrà ictum fluuij*; postquàm enim totâ virium contentione præcipitem cursum eius sistere, & reprimere impetum conatus fueris, vano labore, & inutili defatigatione te frustra confeceris. Hoc ipsum consulere debemus ijs, qui non habent aptum alicui scientiæ, officio, arti ingenium, vt ne inaniter delassari velint appetitione eius, quod consequi nunquam poterunt.

Commoda huc ; veniet querimonia Prophetæ regij, quæ sic habet: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*; Psal. 101. 5.

Obseruauit in his verbis Doctor mellifluus, quod sanctus Rex maciem suam, siccitatemq; & gracillitatem corporis, ac pallorem non inediæ adscripsit, non illi, quod nihil comederit, attribuit. Vnde ergò illi sua macies nata fuit? Vnde profectus corporis languor, & virium extenuatio? Inde, quòd non edebat panem stomacho commodum, sed alimoniam parùm conuenientem illi ministrabat: *Non sunt naturales cibi, magis tamen hæc prouocant, quàm extinguunt*; inquit ille in id Euangelij, *Ecce nos reliquimus, &c.* Pascebatur vanis delicijs, & quoniam istæ neq; satiare possunt, neque sunt cibi apti humanæ sustentationi, idcircò absq; vtilitate comedebat, operamq; omnem, quam huc adhibebat, perdebat. Idem multis accidit, qui postquàm magnopere bonis literis studuerunt, & diligentissimè inuigilarunt, dicere possunt, quod Propheta: *Aruit cor meum*; manentq; steriles, & aridi, nec quicquam proficiunt, vel efficiunt, nisi quod frustra lucubrant,& laborant. Quæ causa hujus? Quòd scientia, cui student, & ars, cui dant operam, natiuæ illorum indoli, & ingenio non congruit: *Quia oblitus sum comedere panem meum.* Non est ille panis, quem ingenium eorum appetat,

petat, non ea facultas, vel ars, ad quam naturæ ductu ferantur, adeò fieri non potest, vt proficiant, quamuis animum totum eò vertant, aut quantacunq; studij, ac laboris contentione progressus aliquos faciant.

Quod in cibis accidit, id ad propositæ rei confirmationem adhibere possumus, eoq; huc vti, quod Bruyerinus Campegius lib. 1. de recibaria c. 21. talibus verbis affirmat: *Cibus similis debet esse nutrito, proprietatem autem quandam temperamenti omnibus cibarijs inesse, quæ huic natura quidem sit consentiens, illi verò aduersetur, omnium medicorum eruditorum confessione liquet.* Ergo quisquis cibis vescitur, qui non habeant certam cum natiuâ corporis sui conditione congruentiam, & proportionem, incommodat saluti, & officit valetudini ijs rebus, quæ vitæ protrahendæ, & sospitandæ conferre opem deberent. Tantundem in causam, quâ de agimus, affirmare possumus. Sunt res quædam, sunt artes, sunt facultates, & scientiæ, quibuscum ingenij indoles nonnullorum plurimùm congruit, â quibus tamen alij naturaliter abhorrent, sic vt mortaliter eas auersentur, & velut defugiant. Habent alij Theologiæ, Legum studio aptum ingenium alij. Hi ad Mathematicas, ad Rhetoricen illi inclinant. Hi faciles, ac prompti ad artes mechanicas, illi ad theoriam, seu speculationem tardi, & impediti. Iam si theoriæ se tradit, qui ad officia mechanica promptus est, aut mechanicis artibus dat operam, qui ad speculatrices scientias est natus: Si Iurisprudentiam deserit, & Mathematicis studet, qui accommodatum habet Iurisprudentiæ, non Mathematicis ingenium: Si ad Grammaticam se transfert, quem ad Logices studium Natura finxit, aut si ad Logices scientiam aspirat, cui ex genitali conditione tantùm ad Grammaticen apposita inest solertia: Si ad Theologiæ sacra conatur, qui ad solam Medicinam suapte industria propendet, aut Doctore Angelico destituto ad Arabem Auicennam confugit præceptorem, quem ad theologicas disciplinas cœlum aptauit: Si ad hos modos permutantur cibi, certum est invtile, & absq; profectu fore studium, nec progressum aliquem secuturum, quantivis huc adhibeantur conatus. Immò his, qui repugnanti naturæ vim afferre, eamq; cogere volunt ad Musas, à quibus omninò est auersa, euenit, quod peccatoribus, de quibus Propheta ps. 11. v. 9. ait: *Incircuitu impij ambulant*; quæ verba S. Bernardus Serm. 12. in ps. 90. acutè sic explanat: *Qui incircuitu ambulat, proficiscitur quidem, sed non proficit.* Qui orbem circumit, illi nec profectionem negare, neq; concedere profectum possumus, vt qui continuo rotatu vestigia eadum repetit. Similiter faciunt, qui studio persequuntur scientias, aut facultates, à quibus ingenio naturaliter abhorrent, nam totis licet viribus contendant, sine profectu est omnis labor, neq; incrementum faciunt, quantisuis etiam cibis sese infarciant, ac tametsi vel sapientissimos, exercitatissimosq; doctores, vel selectissimos, celeberrimosq; habeant libros, nihil ex omnibus commodi referent, quorum indoles aliena est ab ijs, quæ vel à magistris audire, vel reperire in libris possunt.

Ingenio ars, vt stomach cib⁹ cögruere debet.

Ingenium cogi ad facultatem per discendam non patitur.

Ingenio destitutū studiū nihil proficit.

Atque itá euenit nunquàm satis laudato Iurisperito Baldo, qui cùm Medicinæ quàm longam, & laboriosam, tam infructuosam operam nauasset, adultiore iam ætate, tanquàm adolescentiæ tenero nondum egressus esset annos, totum se Iurisprudentiæ tradidit. Hoc autem illius mutati studii propositum quidam apud Tiraquellum lib. de Nobil. tali dicterio exceperunt: *Serò venis, Balde, in alio seculo aduocatus eris.* Verùm decepti sunt, qui in illum ioeati, risumque, & ludibrium meruerunt, qui Baldum riserunt, de quo scimus, tantum Iurisprudentiæ studio profecisse, vt eminentiorem, admirabilioremq; illo facultas ea vix obtinuerit. Quid verò hoc fuit, nisi quod inuenit alimoniam stomacho ingenii sui accomodatam, & scientiæ cibum

Baldus medicinæ operam infructuosã diu nauauit.

Iurisprudentiæ studium illi feliciùs cessit. Quã obrem.

natiuæ suæ propensioni aptum, itaque factum est, vt pauci temporis spatio longissimum facultatis, quam deperibat, curriculum expeditissimè, ocyssimèque conficeret, vt quem naturæ suæ impetus ad Iurisprudentiam impetu rapiebat. E contrà cùm Tullius vidisset filium suum Marcum ab igne venire frigidiorem, ab instructissimâ dapsilissimaq; mensâ magis ieiunum, & famelicum, Athenis (hoc enim est, quod volo dicere) reuerti impetitiorem, indoctioremq;, exclamauit, vt est apud Doctorem Duartum Exam. ingeniorum c. 4. *Quid est aliud gigantum more bellare cum dijs, nisi naturæ repugnare?* Cæci & stulti gigantes bellum sublimibus, & potentibus dijs intentarunt, cæloq; exturbare illos cogitarunt. Tale quidpiam moliuntur, qui vim adferre sua indoli volunt, & alio contendere, quàm quo ab illa ducuntur.

Naturæ qui viæ adferant, diis cum gigãtibus repugnant.

Vt ne ergo vanè defatigeris, sed proficuum sit tuum studium, & fructuosus lucubrationum labor, necessum est hæc duo concurrere, nempe ingenium, & scientiam, seu facultatem illi congruentem, solertiam, & artem illi proportionatam, si enim duo hæc concurrant, magnam labor adferet vtilitatem, assiduumque literarũ cultorem copiosissimis prouentibus sua sedulitas collocupletabit.

Inter ipsa mundi primordia subindicasse id rerum omnium supremus Opifex videtur, quando sacer historicus, dum conditi orbis narrationem texit, primis verbis cælum cum terra coniungit, dicens: *In principio creauit Deus cælum, & terram*; Gen. 1. 1. Dicturus erat, quod terra fertilis, & fructuosa futura esset, ideòq; cum cælo illam coniunxit. Nam vt terra fructibus affluat, necessum est cæli operam illi adiungi. In hanc rem sic inquit Theophrastus lib. 2. c. 5. de causis plantarum: *Res vtriusque, tum cæli, tum soli occasio feliciter germen educit.* Et doctus naturalis historiæ parens Plinius lib. 17. c. 3. ità inquit: *Quidam cælum terræ parere cogunt, vt quæ in siccis serantur, Orientem, ac Septentrionem spectent, quæ in humidis, Meridiem.* Capitulo autem illi hunc præfixit titulum: *De societate cæli & terræ ad arbores*, & quanta arboribus ex illorum consotiatione venit fœcunditas, vt copiosos, & opimos edant fructus. Nam si terra partibus suis desit, cui rei seruiet concursus cœli? Et si cœlum opem suam subtrahat, quid sola terra præstabit?

Terra sine cœlo non fructificat.

Tantundem in rem, quàm versamus, dico, nempè fæderari debere artibus ingenia, & congruere natiuæ indoli scientias, sic vt genitalis industria suis ponderibus inclinet ad artem, siue officium, cuius addiscendi studium suscipitur: Nam si hæc duo concurrant, ingens sequetur profectus, & abundissimam messem adferet studij labor, quod medicinæ Princeps Hippocrates in lib. de decent. Ornat. talibus verbis expressit: *Principalissimum quidem horum omnium est natura, nam si hæc affuerit his, qui artibus animum applicant, per omnia prædicta penetrare poterunt.* Homini, cui promptum, accommodatumq; adminiculatur ingenium, nulla est imperuia quantarum vis difficultatum sylua, neq; vllum occurret tam abstrusæ dubitationis monstrum, quod non facilè domare, ac subigere possit. Nam vt Philosophus apud Ioannem Campegium lib. 1. c. 22. de reb. cibar. ait, *charum cuiq;, & suaue est, quod per naturam habetur*, voluptatemq; affert labor, quicunq; cum natiua ingenij propensione congruit. Itaq; felicissimè cum literarum studioso agitur, quando illi arti, scientiæ, facultati officio addicitur, cui cum ingenio ipsius benè conuenit. Nam si cum natiua indole congruat studium, cui dat operam, tunc vti suauiter operatur, ità & feliciter progreditur, & quemadmodùm naturalem ingenij sui ductum sequitur, sic & velociter, ac promptè assequitur, quod propositum habet, quia volatu pergit, quò natura præit. Ex quo fit, quod parum referat valere ingenio, nisi accedat studium, & studio quantumuis pertinaci parum

rum

rum obtineri, si de sit ingenium. Nam ingenium, quod non studet scientiæ vel arti sibi accommodatæ, ità frustratur omni labore suo, quemadmodùm inanibus lucubrationibus nequicquam se conficit, qui facultati dat operam, quæ natiuæ illius conditioni non congruit. Qua propter vbi deest ingenium, frustraneum est studium, & absque studio quid valet ingenium?

CAPVT XIII.

Is vnici Phænicis inclytâ appellatione nobilitari, & cohonestari meretur, qui inter voraces promptæ occasionis flammas tanquàm rara Salamandra non aduritur.

Occasio mala quę malum nō facit, is Salamādra in igne est.

SEcularium literarum studio sacer Phœnix in ipso viuentis iuuenturis ardore se tradidit. Et quànquàm hæc exercitatio varios habeat laqueos, quibus irretiri anima queat, & validas occasiones, quas nunc blanda sensualitas offert, nunc ineuitabilis conuictus, & necessaria condiscipulorum consuetudo, & familiaritas ingerit, qui plerumq; vt in flagitia procliuiter ruunt, sic ad omnem improbitatem periculosè præeunt: Tanta nihilominùs fuit Basilii constantia, tam incredibilis fortitudo, vt è mediis retibus, & periculis liber euaserit, non secùs ac velox auis solet, quæ pernicitate suâ fallaces astuti aucupis solertias deludit, instarque Salamandræ, quæ inter infestas eiacis ignis flammas tam suauiter obambulat tam illæsa manet, ac si amœno in horto degens blandi Zephyri grato afflaretur à spiritu. Hoc ità affirmat Nazianzenus orat. 20. dicens: *Quod si quis est, aut esse creditur fluuius per mare dulcis fluens, aut animal in igne, quo omnia consumuntur, saliens, hoc ipsi inter aqualium greges eramus.* At si Basilius quidam Alpheus fuit, qui per salsum mare occasionum dulcis salua vitæ honestate fluxit: si fuit Salamandra, atque è mediis periculorum flammis sospes, & victor de triumphatis præsentanearum malè agendi occasionum hostibus exiuit: iustum est, vt gloriosum Phœnicis titulum sibi vsurpet Phœnix enim procul dubio censeri debet, quià diuinâ ope adiutus laqueos, & flammas occasionis inoffensus præterit, cùm & robustissimi fugam pro extremo illius euadendi, & superandi remedio habuerunt. Nam qui cum occasione concertarunt, tametsi virtutum quidam Phænices essent, & puritatis laude celeberrimi, tam fœdè inquinati, & contaminati fuerunt, vt admiratione omnibus hominibus, stuporemque attulerint.

Occasionē fugere, quàm impugnare tutius.

Huc admodùm faciet, quod Propheta regius ad singularem misericordiæ Dei commendationem his verbis affirmat: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*; ps. 59. 6. Translatio Marci Antonii Flamini opportuna est causæ, quam tractamus. Ea sic habet: *Dedisti metuentibus te signum ad extollendum.* In sacris literis erectum, aut sublime gestare vexillum, idem est, quod cantare victoriam, iuxta illud Isa. 11. 12. *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israel.* Videamus nunc quomodo extollent vexillum, triumphatoresque abibunt, qui timent Dominum. *Fugient à facie arcus.* Quis hic sit arcus, id Cornelius Iansenius expressit, dicens: *Fugient hostilem arcum*, hoc est, mūdum, sensualitatem, lasciuiam. Is nempè arcus est, quo hostis generi humano mortaliter intensus nos insatiabiliter appetit, vt deiiciat. Qui à facie huius arcus, hoc est laqueorum, quos mundus struit, & occasionum, quas pronâ ad omnem lasciuiam caro ministrat, & dæmō tanquàm lethiferas sagittas iacit, fugiunt, his præbet Dominus signum, seu vexillum, quod extollant, hoc est, victoriam, quam obtineant, & trophæa, quæ erigant: *Dedisti metuentibus te signum ad extollendum*; illi nimirùm sublime gestant victoriæ signum, triumphi vexillum, qui fuga velociter se subducunt, & terga obuertunt occasionibus. Nam vt aquila Doctorum

S. Augustinus in lib. de singularitate Clericorum dixit, *nimium præceps est, qui transire contendit, vbi conspexerit alium cecidisse, vehementer infrenis est, cui non incutitur timor alio pereunte.* Cùm autem tam multi viri fortes perierint inter occasiones, cui non tremorem incutiat vis tyrannica occasionis.

Notorium est scelus furis illius, qui contrà Dei interdictum voce præconis publica proclamatum tam proiectè audax fuit, vt post occasum murorum Ierichuntinorum manibus sacrilegis clam surripuerit pallium coccineum, siclos argenti ducētos, regulam auream vnam, quod ille his verbis confessus aiebat: *Vidi inter spolia pallium coccineum valdè bonū, & ducentos siclos argenti, regulamque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli*; Iosue 7. 21.

Potest hoc loco curiosus quispiam sciscitari, vtrum Achan (is enim fuit, qui è vetitis spoliis, quæ iam iam commemoraui, surripuit) ante perpetratum furtum deliberatum habuerit depeculari, & compilare, quidquid pretiosum, opulētumue inter exuuias fortè occurreret.

Occasio furem fecit Achan.

Huic dubitationi satisfacit magnus noster Hispanus Alphonsus Tostatus in c. 7. Iosue. q. 69. sic dicens: *Achan quando iuit ad vrbem Ierichò vastandam, & diripiendam, non deliberauerat furari aliquid de anathemate, sed posteà casu vidit hac, & videns concupiuit atq; rapuit.* Fortuitò incidit oculis in argēteos nummos, & regulam aureàm, & coccineum pellium, atque hinc succenso desiderio, inflammatâque cupiditate tam miserè cæcatus fuit, vt contrà iussionem supremi Imperatoris, abreptus à passione, manus furaces attulerit iis rebus, quas sibi soli seruatas Dominus volebat. Ipse hoc videtur indicare Achan, inquiens: *Vidi, & concupiui.* Ex visu natum est illi desiderium, ex desiderio furtum.

Occasio multos nihil tale opinantes deiicit.

Quàm multis hoc euenerit, quod misero Achan, qui è domo suâ exeunt non solùm absque omni offendendi Dei cogitatu, verùm etiam cùm firmo proposito confitendi, communicandi, aut aliud quidpiam, quod Deo placeat, faciendi, offenduntque per viam laqueum, incidunt in occasionem, impinguntque, & miserabiliter prolabuntur, redeunt quales horribiles dæmones, qui prodierant, vt decentissimam Angelorum formam induerent! Hæc ad nostram institutionē, & cautionē scribūtur, vt animaduertam⁹, & animaduertentes, quantâ possumus celeritate tyrannicam occasionis vim, potestatemq; fugiamus, quæ tam violēter valentissimum etiam abripit, & constantissimum in omnem licentiam, deploratissimasque miserias dat præcipitem.

Salutaria mundo cœlestis Magister quondam dabat monita, dicens: *Si dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proiice abste, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in gehēnam.* Matth. 5. 30. De oculis similiter loquitur, inquiens: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te*; ibid. v. 29.

Palam est, quod cælestis Magister hìc non loquitur de manibus, & oculis materialibus, sed iis, quæ sunt occasioni, scandalo, offendiculo in viâ virtutis, quod plerumque faciunt, qui videntur nobis pedum, ac manuum loco esse, quos scilicet oculis nostris æquè charos habemus.

Transeamus nunc ad mysterium, quod nobis Dominus, ex commentatione Euthymii commendat. Quid est, quod Dominus de oculo, & manu ait; *Erue, proiice, scinde.* Audiamus nunc Euthymiū. *Neque dixit*, percute, *sed* amputa *manifestans omnimodam separationem. Dicens quoque* amputa, *non ibi permansit, sed vlterius sermonem extendit, addens*, & proiice abs te, *ne in proximo remanens fiat rursus familiaris.* Notandum ergo in verbis dominicis, quod manum, quæ scandalo sit, non castigare, aut verbere mulctare præcipiat, sed detruncare, vt denotaret, prorsùm submouendam esse occasionem. Nec hìc conquieuit cælestis moni-

Occasio prorsùm & procul amouēda.

monitor, sed adiecit prætereà, procul repellendam, vbi nunquàm deinceps videri queat: *Et proiice abs te.* Itane verò non satis est, amputasse manum, quæ offendiculi occasionem ministrat, sed procul adhuc submouenda est, vt ne oculis ampliùs pateat? Non satis est, inquit Euthymius, *ne in proximo remanens, fiat rursùs familiaris.* Tam sæua enim est vicinæ occasionis pestis, tam virulenta contagio, vt si ob oculos maneat, quantumuis sit amputata, facilè denuò adhærescat, & semel extinctus citò reuiuiscat ignis. Nullum quippe est tam diligenter oppressum incendium, quod lenissimus resuscitare aspectus non queat, dum ad illud combustibilis materiæ occasio qualiscunque propiùs accedat.

Occasionis pestis valde contagiosa.

Quàm commodum hîc occurrit, quod ex Prophetâ regio Doctor mellifluus considerandum suscepit! *Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* inquit ille ps. 54. 7. velut pluribus dixisset: Quis mihi concedet, vt pernici, qualis est columbarum, volatu me subducam tendiculis, & laqueis, quos in hac Aulæ confusâ Babylone crudelis occasio struit, & spargit, vt abstrusissimos etiam, reconditissimosque implicet, & capiat? Annuit precibus illius pius Dominus, concessit ardenti, & humili supplicis obsecrationi, quando ille de tam singulari beneficio alacer, & lætus ad psalterium cantare perrexit: *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine*; ibid. v. 8. tanquàm dixisset: Gratias habeo amantissimo Patri, cuius gratiâ, & ope procul me abstraxi ab omni periculorum tumultu, iamque securam, & tranquillam in abstitiore eremi recessu vitam dego.

Hæsit sanctus Bernardus in eo, quod diuinus Cantor ait: *Ecce elongaui fugiens, & mansi,* procul abscessi, longa plurium milliarium interualla relinquens in medio, atque ità quietam, pacatamque ducere vitam cœpi. *Non fuit contentus exire,* inquit Bernardus Serm. 53. in Cantica, *nisi & longè se faceret, vt posset quiescere.* Omninò non satis putauit sacer Propheta dixisse, quod turbulentos periculosarum confusionum motus declinarat, sed addit in abstitissima latibula sese recepisse, vt conquiescere, & optatæ securitatis spem validè fundare posset. Separari enim, & fugere, nisi in remota loca fiat recessus, non est separari, non est prorsùm euadere exitiale occasionis periculum: *Non fuit contentus exire, nisi & longè se faceret, vt posset quiescere.* Longissima namque diuortia sunt necessaria volenti euadere tam potentem inimicum, qui tot vicit, & prostrauit, tot Samsones subegit, tot Salomones in seruitutem redegit, ex tot Dauidibus triumphauit.

Ab occasione longe fugit Dauid.

Quadrat huic loco illud Plutarchi Problem. 90. quæsitum: *Cur Æsculapij ædes extrà vrbem posita est?* Reputabatur is medicinæ, & salutis Deus. Cùm verò bona valetudo maximam obtineat existimationem, quid est, quod Romani Deo, quem illius autorem, conseruatoremque arbitrantur, in loco tam solitario diuersorium concedebant, cultumq; venerationis dependebant?

Aesculapii ædes cur extra vrbem posita.

Respondet interogato magnus philosophus, dicens: *Quod foris salubriùs, quàm in vrbe habitare crediderunt.*

Nunc ad rem. Si Prophetam regem percunctemur quamobrem in tam remotam sese abdiderit solitudinem, ex prudentium doctrinâ Romanorum respondebit, dicens: *Quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in ciuitate*; ps. 54. 10 siue *quòd foris salubriùs, quàm in vrbe habitare crediderit*, vt illi aiebant. Sapienter arbitrabatur, quòd in ciuitatibus, in locis populosis emundari à periculorum febri nemo posset, adeò consultum esse, curare suam in eremo valetudinem, & quàm celerrimè fugere occasionis tyrannidem, quæ pestis suæ contagia tam potenter, longèque diffundit, ac tam venenatus est Basiliscus, vt etiam procul positos (teste Tertull. de coronâ militis c. 10.) suo toxico inficiat, interficiatque. In mediis namque prom-

Occasio basiliscus etiam procul positos inficiens.

ptæ occaſionis flammis nolle exuri, vel perire, eſt petere miracula, expectare prodigia.

Validiſſimè res hæc confirmabitur quadam non contemnēdâ obſeruatione. Ea eſt, quòd cùm perfrequens in ſacris literis fiat magnarum, & arcanarum mētio viſionum, nullam earum magnæ nomine donauit quiſquam, ſiue propheta, ſiue patriarcha, prætèrquàm illam, quā Hebræi populi ductor ſacer vidit in mōte Horeb, quando ait: *Vadam, & videbo viſionem hanc magnam*; Exod. 3. 3. Viſiones vidit Iſaias, Ezechiel, Daniel, Abraham, Iacob, & alii plures viri, ac ſerui Dei. At inuenies, nulli earum conceſſum nomen magnæ, tametſi valde reconditæ, & admirabiles fuerint. Legite ſacrum Oraculum, reperietiſq; certam, & indubitatam eſſe hanc varietatem. Cur verò ſola Moyſis viſio dici meruit magna, ingens, rara? *Videbo viſionem hanc magnā.* Quid illud in eremo ſacer paſtor vidit? Rubum in medio flagrantium, & voracium flammarum. *Et videbat, quod rubus arderet, & non combureretur*, ibid. v. 2. S. Gregorius Nyſſenus in lib. de vitâ Moyſis, & Philo Iudæus lib. 1. de eâdem vitâ notârunt, quod edax illa flamma humilem plantam non modò non conſumpſit, verùm etiam blandè velut irrorauit, ac fouit: *Quaſi flammâ perinde ac fonte deſuper manante rigaretur, viridior viſa.* Simulac Moyſes vidit prodigium tam nouum, tamque portentoſum miraculum, ait: *Vadam, & videbo.* Doctus Iſtella legit: *Videbo ſpectrum*, videbo viſionem, quæ phantaſma, vel ſimulachrū ſomnianti obiectum videtur. Nam quod fragilis arbuſcula ſit cincta flammis, & obſeſſa igne materia tam facilis exuri, & non cedat, non ſuccumbat tam valido hoſti, fabula tantùm, vel inane otioſæ imaginationis figmentum eſſe videtur, niſi ſomnium dicere malis. *Videbo ſpectrum.* Et ſi verum eſt, vt eſt veriſſimum, quod hoc prodigium vocatur magna viſio (*videbo viſionem hanc magnam*) eò quod tametſi omnes diuinæ viſiones ſint magnæ, hæc tamen rubi tenuis, & teneri in medio flammarum illæſi tam eſt rara, & inſolens, vt ſola videatur digna, quæ viſio magna, & viſionum Phœnix dici mereatur: *Viſionem hanc magnam.*

Moyſis quædam viſio ſola dicta magna. Cur?

Atqui ſi res ità habet, meritò Baſilium inclytâ magni, & Phœnicis, appellatione donamus. Ille nimirùm in medio ardentis ignis, in medio edacium flammarum, Athenis, quæ vt ſcientiarum ſchola, ita & licentiæ, libidinum, & omnis luxuriæ erat magiſtra, poſitus, non ſuccenſus, non inflammatus, non aduſtus fuit. *Vadam ergo, & videbo virum hunc magnum*, admirabor que tam nouum prodigium, tam inuiſum, inuſitatumque portentum. Quotuſquiſq; enim eſt, qui non ſuccumbat potenti promptæ occaſionis igni? Et ſi quis tanquàm Salamādra eiuſmodi ignem inoffenſus euadat ludibrium oculorum magis videtur, quàm verum factum. *Videbo ſpectrum.* Nam vt vbi neſcio quis poëta dixit:

Cæleſtes violare Deos occaſio poſſet;

Occaſio cæleſtes violare poſſet.

velut aliis verbis dixiſſet: Tanta eſt occaſionis vis, & poteſtas, vt illos etiam, qui in cæleſti arce ſecuri degunt, deiicere poſſe videatur, ſi in arenam, & pugnam cum illâ deſcenderent. Et ſi deorū nomine deſignentur ſancti, de quibus Propheta pœnitens pſ. 81. 6. ait: *Ego dixi, dij eſtis*, veraciſſimè id dici poteſt, complures enim viros inclytos, celebratiſſimoſq; heroes nouimus, de quibus ſæua ſæpè triumpharit occaſio. Quàm multos Hercules, Samſones, Dauides, Salomones in ſuo triūphali curru ducit captiuos? Quàm ſunt innumerabiles, quos illa ſub iugum duxit! Ea verò omnia ad noſtram cautionem, & eruditionem ſunt literis conſignata.

Iam ſi tam potens eſt occaſio, palam illud ſimul eſt, Baſilium Phœnicis appellatione iuſtiſſimè condecorari, & gloriari poſſe, vt qui per ſalſum mare, tanquàm Alpheus, dulcis fluxit, & Salamandræ inſtar ardentes flammas illæſus, inoffenſuſque perambulauit.

Truti-

Occasionũ muscis vicinũ esse, neque ab iis lædi, miraculum.

Trutinemus iterùm hoc portentum ad pondera alterius prodigii, quod Dominus in terrá Gessen operari velle olim promisit, dicens. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua est populus meus, & non sint ibi muscæ;* Exod. 8.22. Futurum erat, vt aspera Dei manus molestis, & importunis muscis totam Ægypti adoperiret terram, atque illâ in plagis quartâ proteruum plecteret Pharaonem, populo autem suo tam se propitium, fauentemque exhiberet, vt huius tam austeri, tam importuni, & ineuitabilis supplicii nulla pars illum contingeret. Vbinam tunc populus habitabat Hebræus; In Gessen. Quid est Gessen? *Propinquitas*, inquit Glossa interlinearis, terra enim Gessen vicina erat, & finitima illi, in quâ barbarus, & cæcus rex degebat. Quòd verò tota Ægyptus importunis perfusa fuit muscis, & tam contagiosæ pestis nihil redundauit in terram Gessen, illam proximè vicinam, quòd hæc tam propinqua veneno, & igni nihil ab alterutro detrimenti accepit, & neq; infecta illo, neque hoc adusta fuit, neq; submersa, quanquàm confinis abysso, hoc tale erat, vt meritò diceret Dominus. *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen*, prodigio inaudito, nunquam viso portento illam nobilitabo.

Quid erant Athenæ, quando in iis operam literis dabat noster Phœnix Basilius? Nazianzenus Orat. 20. id dicet: *Pestifera, quod ad animæ salutem attinet, Athenæ sunt.* Contagiosissima, contaminatissimaque ciuitas ea erat, & plurima passim animarum exitia fouebat, idola, malas libidines, turpes corporis voluptates, ventris sordidas ingluuies, studiosorum examina insolentium, dissolutorum, & in quæuis flagitia effusissimorum. In medio tantarum flammarum, tam ardentis ignis, tot laqueorum, & tendicularum, tam variæ pestis, & affluentis veneni Basilius vixit illæsus, liber, incolumis, & neque cecidit, neque deflagrauit, neque vllam qualiscunque culpæ muscam sensit. Nunquid de illo dicere poterat Dominus: *Faciam mirabilem in die illa?* Rarum certè prodigium, quod nemini ampliùs dubium esse poterit, qui apud Nazianzenum in Monod. legat, fuisse Basilium elegante vultu, continuâ totius corporis structurâ, liberali formâ, copiosisque, & opulentis parentibus ortum. Hæc enim omnia ad amplificationem miraculi faciunt. Cantu ergo celebremus Basilium tanquàm ætatis suæ miraculum, extollamus illum tanquàm rosam in mediis spinis integram, magnificemus illum tanquam dulcem salsi maris Alpheum, prædicemus illum tanquàm Mithridatem veneni innoxium potorem, benedicamus tanquàm solem illarum tenebrarum, tanquàm Salmandram igni imperuium, tanquàm Phœnicem illius seculi.

Basilius Alpheus, Salamandra, Mithridates, Sol.

Caput XIV.

Non debet omnem à magistro doctrinam expectare discipulus, verùm sui ipsius etiam ipse esse magister.

Discipuli etiam sui ipsorum fiant doctores.

POst exactum literarum curriculum sacer Phœnix, vt fert Nazianzenus Orat. 20. Athenis, Cæsaream ad patrium nidum volauit. *Domum reuersi iuris nostri efficimur, ac ex imberbibus inter viros censemur,* inquit ille. Postquàm Athenas matrem scientiarum destituerant Gregorius, & Basilius, domi se literarum studiis totos denuò tradiderunt. Sed quare reliquerunt magistros, si rursùm operam, eamque tam strenuam nauaturi Musis erant? Causa ea est, quam indicauimus, quià non omnis à solis magistris expectanda est doctrina, non semper frequentandæ scholæ, neque perpetuò adhærescere Doctorum vberibus discipuli debent. Postquàm præcipua facultatum audierunt documenta, postquàm lac doctrinæ imbiberunt, auellere se ab vberibus magistrorum, suàque sibi ipsis diligentiâ, & solicitudine doctores, & magistri esse debent.

Cùm extremum spiritum iam ageret Propheta regius, optaretq; à morte suâ quibusdam facinorosis, & perfidiosis hominibus, qui per quàm flagitiosè egerant, iusta infligi supplicia, loquens filio suo Salomoni aiebat, vnum ex omnibus Ioabum promeritum pœnam, quæ ab illo ad aliorum terrorem expeti meritò deberet, sic demùm inquiens: *Facies ergo iuxtà sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad inferos*; 3. Reg. 2. 6. velut aliis verbis dixisset: Mori illum necesse est, sed commeritæ necis modum, & sententiæ tam iustæ executionem tuæ sapientiæ, & prudentiæ commendo.

Alphonsus Tostatus q. 8. in c. 2. 3. Regum ait: *Quomodo dictum est Salomoni à Dauid, quod prædicta faceret iuxtà sapientiam suam?* Postquam successori filio parens Dauid imperauit, vt periuri Campi ductoris Ioabi sceleratum sanguinem funderet, dignum certè interrogatu est, cur executionem iustæ sententiæ voluerit fieri ad amussim sapientiæ ipsius, & prudentiæ? *Facies iuxtà sapientiam tuam.* Quando illi caput rei, siue substantiam operis commisit, cur non simul docuit, & commonuit quomodo, quando, quoue mortis genere perimere deberet proditorem ducem, qui contra omnia iura Amasam, & Abner filios Iether perfidiosè trucidârat?

Occurrit huic quæstioni magnus Doctor, dicens: *Noluit Dauid ei limitare modum aliquem, sed dimisit in prudentiâ suâ, scilicet quod faceret, sicut prudentia ei dictaret veniente tempore.* Noluit Rex Dauid Salomoni certum, ac singulare designare necis genus, quo Ioabum militiæ principem exanimalem factum perimeret, sed cum summam rei imperasset, modum illius, tempusque, & circumstantias arbitratui eius, ac prudentiæ reliquit, vt eo exemplo doceret, non omnia dici, & doceri, non omnia declarari, & moneri debere, sed non nihil relinquendum voluntati, labori, industriæ, discretioni illius, qui executurus mandata, & rem iniunctam est perfecturus. Fieri enim non potest, vt vnus omnia magister suggerat, aliquid ex se præstare discipulus, aliquid de proprio addere, suoque studio, & ingenio vti, & de scholæ nido auolare. suisq; lucubrationibus victum sibi parare debet.

Magister non potest omnia tradere discipulis.

Propheta Rex de animâ quapiam sanctâ loquens sic ait: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam*; Psal. 44. 10. 11. Dextram diuini coniugis chara sponsa tenebat, vestem auro intextam induta, quando ei dictum: Aduerte sis filia aures, animumque ad verba mea, quæ loquar. Hâc iussione monebatur, vt se in disciplinam scholæ cælestis daret. Sed cultum, quo exornatur, quæ cælestem est auditura magistrum, dispiciamus. *In vestitu deaurato* adstitit. Hebræus textus sic habet: *In Maßâ Ophir.* Pila, siue rudis moles auri fuit, quâ diuini doctoris ornabatur discipula. Quod aurum sit sapientiæ symbolum, id tam tritum, peruulgatumque, vt aliud communius symbolum vix, vllæ seu prophanæ literæ, siue sacræ habeant. Sed non est prætereundum silentio aliquid à Cardinali Caietano hac in re asseruatum, eò quod rei præsenti veniat commodum. *Per massam auri intellige aurum informe, multum simul iunctum, seu compactum tanquàm dotem, seu munus*, inquit ille.

Hinc nunc exurgit quæstio. Si aurum est typus doctrinæ, & institutionis, cur dicit Cardinalis Caietanus, compactum, & in pilas conglobatum aurum esse pretiosius, eò quod Christi doctrinâ fingi, formarique possit? *Aurea quidem*, ait ille, *quia optima, in maßâ autem, quia formabilis per Christi doctrinam.* Sed cur sapientia in massam compacta, cur in molem densata doctrina traditur? Nonne magis è re foret, si doctrinæ aurum in varias vasorum, taliumque rerum formas transfusum, aut effigiatum traderetur? Quamobrem informe datur? Dicam. Id fit, vt moneamur, doctrinam

non ita

non ita minutim semper tradendam, neq; ab radice passim ostendendam, sed studio, & labori auditoris relinquenda nonnulla, in quibus illius desudet industria: *In massâ Ophir.* Satis est aurum doctrinæ velut conglobatum, spissatumq; relinqui: *Per massam auri intelligitur aurum informe.* Ex his auri densati pilis, globis, laminis, ex eo, quod generatim traditur in scholis, discipuli deinde in suorum ingeniorum conflatorijs, & studiorum officinis sibi fundant, vel elaborent peculiaria vasa, exemplo Doctoris Angelici, & aliorum plurium, qui illum imitati ex massâ scriptorum Augustini, aliorumq; Doctorum Ecclesiæ suo ingenio, & pertinaci studij contentione sibi elucubrarunt tam pretiosa vasa quæstionum, tam subtilia opera difficultatum, tam arctos, tenacesq; laqueos dubitationum, tam varios, promptosq; modos responsionum, & resolutionum.

Verbis explicari non potest magnitudo desiderij, quo Philistæi cupiebant scire, quanam in re monstrum illud forfortitudinis Samson vires suas, roburq; collocata haret. Vt verò id exploratè cognoscerent, amiculam illius Dalilam conuenerunt, muneribusq;, & blandis verbis eam demulcentes sic appellarunt: *Decipe Samsonem, & disce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem*; Iud. 16. 5. omnis enim securitatis nostræ spes in eo posita, vt id consciamus.

Dalila Samsoné fallere rogata, cur non simul fallendi modum docta.

Serarius q. 7. in c. illud 16. ait: *Generatim loquuntur*, cùm volunt, vt expisceretur, vel expalpet, eblandiaturq;, quâ in re Samson suam positam haberet fortitudinem. At si tanto huius rei desiderio feriebant illorum animi, cur ita generatim loquebantur? Cur non specialibus monitis, & verbis instituebant, quomodo adornare fraudem, & in sua vota incautum adducere Samsonem deberet, vel posset? Consultiùs facturi videbantur, si clauem illi adulterinam ministrassent, quâ obseratas pectoris illius fores aperire, & in penitissimos illius recessus se insinuare, atq; inde dubitationis secretæ arcanum proferre in lucem potuisset. Superuacaneum hoc, certè non omninò necessarium erat, sufficiebat summam illi rei, quam confectam optabant, vniuersè commendasse, & hoc solùm præcepisse, vt circumueniret: *Generatim loquuntur.* Non omnia singulatim exponenda, sat est generatim loqui, relinquendum est aliquid diligentiæ auditoris, & ingenio discipuli. Et hanc fortè ob causam gymnasia, & ludi literarij, in quibus artium liberalium disciplina traditur, vocantur *Vniuersitates*, quod satis sit ibi generalia principia, & vniuersales doctrinas tradi, & quæ communiora sunt, à Magistris exponi, specialia, & quæ peculiarem habent in scientijs difficultatem, ea studiosi discipuli, & impigri auditoris solicito labori, lucubrationibusq; sunt relinquenda.

Scholæ plurium facultatũ cur dictæ Vniuersitates.

Ductori populi sui Moysi hæc olim præcipiebat Deus: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra*; Num. 10. 2.

Inter varia, quæ Salomon Hispaniarum, cùm de harum tubarum formâ agit, Tostatus, inquam, sciscitatur, est & illud, vtrùm Deus illi præfigurârit certam speciem, ad cuius similitudinem buccinas eas effingeret, quemadmodum cæterarum, quas ab eo fieri voluit, rerum prototypa ostendit, cùm ait: *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. 40.

Occurrit huic dubitationi quæst. 17. in cap. 10. Num dicens: *Potest dici, quod Deus nihil dixit Moysi de figurâ, & magnitudine tubarum, nec enim ostendit exemplar aliquod, sed reliquit istud ingenio Moysis.* Arbitratui ducis sui hoc dedit, vt pro suâ libidine fingeret, funderet, formaret tubas. Nec enim omnia docere debent Magistri, neq; fieri potest, vt cuncta tradant. Discipulorum studio, & industriæ relinquenda sunt nonnulla, quæ excogitent, inueniant, amplificent. Præceptor rudi penicillo designare debet imaginem, quam discipulus viuis,

natiuis

natiuisq; coloribus expoliat, & elaboret. Si discendi nullus finis esset, quis docendi munus susciperet? Vt ergo sint & doctores, & discipuli, prouidè, ac sapienter dispositum est, vt nec tradantur, nec discantur omnia, vt sibi posthac debeat discipulus, si quid elucubrauit, quod etiam ipse tradere alijs possit, & radiantes sapientiæ orbes proprijs quoq; splendoribus illustrare queat.

EX VNIVERSITATE ATHENIENSI AVOLAVIT SACER PHÆNIX AD LOCA SACRA HIEROSOLYMITANA, vbi ab illius vrbis Patriarchâ sacris Iordanis vndis tinctus, & initiatus fuit, & quædam in baptismo prodigia euenerunt.

POstquàm diuinus Phœnix Athenis, in communi illo bonarum literarum emporio, admirandos in omni scientiarum, & facultatum genere progressus fecisset, prudensq; adolescens consideraret, omnibus studiorum laboribus, & lucubrationum contentione non se reperire, quod tam ardentibus votis expetebat, hoc est, intimam cum Deo creatore, & saluatore suo coniunctionem, diuq; ac multùm talibus cum desiderijs concertasset, demùm inter tranquillæ noctis silentia superus quidam splendor animum illius collustrauit, & ad diuinarum literarum cupiditatem inflammauit. Cœlesti hoc impulsu incitatus Ægyptum petijt, vbi Dei ordinatione in religiosum Archimandritam Porphyrium, eximiâ sanctitate, & præclarâ famâ celebrem virum incidit, à quo cùm sacra Biblia demissè, ac humiliter petiisset, obtinuissetque, dici non potest, quantùm lætitiæ, & voluptatis ex cœlesti illo, atque opulento thesauro Spiritûs illius hauserit. Annum totum in contubernio venerabilis huius patris transmittens, solis campestribus herbis, & fontanâ ad victum vtebatur. Posthac cùm sacri moderatoris sui benedictionem præcepisset, adire Ierosolymam, & loca sacrosancta, in quibus dulcia redemptionis nostræ mysteria peracta fuerunt, inuisere decreuit. Prius autem, quàm hanc sacram viam iniret, lucis Euangelicæ radios effundere cæpit in omne genus hominum, Hebræorum, Græcorum, Gentilium, Barbarorum, idq; tam felicibus auspicijs, vt flagrantis prædicationis suæ reti, ex errorum abysso, in regionem veritatis innumeros pertraheret. Vna magistri sui Ebuli conuersio amplissimam laudem, & celeberrimam existimationem Euangelico piscatori peperit. Is nempe maximum apud omnes plausum habebat, propter insignem oratoriæ facultatis peritiam, quæ per id tempus magnoperè colebatur, & plurimam vbiq; habebat

Basilius dat operã literis sacris.

Pergit Hierosolymam,

Multos per viam cõvertit.

Eubulum magistrũ suum ad fidem adducit.

venera-

venerationem. Talibus autem verbis, argumentisq; præceptorem suum, Basilius aggressus est, & subegit, vt futilibus popularium acclamationum vanitatibus calcatis, suaui doctrinæ Christianæ iugo liberam humiliter submittere ceruicem coëgerit. Præclarum, & memorabile facinus, quod suis momentis post hæc expendemus. Iam hi duo animis consentientes, & mutuæ amicitiæ dextris datis, sacræ Ierosolymorum vrbis visitandæ propositum, opere perficere studebant. Atq; vt temporis, itinerisq; simul compendium facerent, verbi diuini cæleste semen pœnitentes, & humiles peregrini per viam deuotè seminabant. Et si cum exultatione metent, qui cùm lachrymis seminant, vt Propheta Rex aiebat, id veritas hâc occasione testatum dedit: Nam dum Catholicam doctrinam cum fletu seminarent, copiosissimam messem lætantes collegerunt, quàm supremo Domino velut primitias suæ prædicationis obtulerunt. Atq; vt profectio illorum per omnia diuinis accepta esset oculis, omnes facultates suas, quarum liberam habebant potestatem, sacri Peregrini vendiderunt, magnâque cum voluptate, & liberalitate in pauperes erogârunt, vt Apostolicam consequerentur perfectionem, quàm in suo Euangelio tantoperè nobis commendatam cælestis Magister reliquit. Dum transirent Antiochiam, accidit, vt hospitis filius, quædam magni Poëtæ Homeri verba intelligendo, assequi non posset, cùm subtristem adolescentem Basilius animaduerteret, arripiens librum, tam sublimiter, atq; eruditè illi ea exposuit, vt pueri Magister magnus Libanius, qui & Basilij nostri doctor fuerat, interpretationem audiens exclamauerit dicens: Per Dei prouidentiam iuro, hominem hâc ætate tam sapientem reperiri non posse alium, qui sensum illius Homerici textûs tam secretâ, & profunda commentatione producere queat. Cumq; interrogasset discipulum Magister, quis ille tam felix, & incomparabilis interpres principis Poëtarum fuisset, respondit puer, esse peregrinum, qui domum ipsius hospes inierit. Tum Libanius rursum: Imò verò perrarus hospes est, quisquis ille est, cui similem incolam Græcia nostra tota neminem habet. Mox tam admirabilis viri cognoscendi desiderio abreptus adijt diuersorium, in quod se Basilius receperat, cumq; discipulum suum agnosceret, blandè, ac suauiter illum complexus, deinceps tanquàm Magistrum est veneratus, quem ante hac auditorem habuerat. Non tam secundos euentus habuit nostri Phœnicis cum Libanio dissertatio, quàm nuperus cum Ebulo congressus: Ille nempe densis gentilium suorum errorum tenebris altè demer-

Transit Antiochiam.

Homeri quendam obscurrũt locum dilucidat.

Admiratur Libanius eius eruditionẽ.

Libanium conuertere frustrà conatus fuit.

ſus manſit, quanquàm lux ei ſacroſanctorum orthodoxæ fidei myſteriorum oblata, & exhibita fuit. Huic ergo valedicentes perſecuti ſunt iter ſuum, poſtquàm diſcipulis Libanij vtilia monita reliquiſſent, per quæ iuuentutis nauem integram, atquæ illæſam ſeruare poſſent inter ſcopulos, & tempeſtates periculorum, quæ teneræ illi, & mollicellæ ætati offerre malas occaſiones ſolent. Ieroſolymam cùm veniſſent, felicem ſuæ profectionis clauſulam fecerunt. Facile autem eſt diuinare, quàm ardente affectu, quantiſq; perfuſi lachrymis ſeſe humi proſtrauerint, pronique, & venerabundi oſcula fixerint ſacroſanctis ijs locis, in quibus amantiſſimorum pientiſſimus Rex noſter tanto ſui ſanginis ſumptu creaturas ſuas ab intruſi Principis tyrannide vindicauit. Actum hîc cum venerabili ſacræ vrbis Antiſtite, vt baptiſmum reciperent, & myſtico illo fonte abluerentur, cuius eſt tam admiranda virtus, vt omnem labem, & quantaſcunq; turpitudinis notas emaculet. Archiepiſcopus Maximus ad ſacra Iordanis fluenta cum deuotis, & ſanctis Peregrinis deſcendit, qui cùm ſeſe ad baptiſmatis ſacramentum, quod, cæterorum myſteriorum porta eſt, comparâſſent, mirum portentum accidit, nempè refulgens ignis tanquàm rutilum fulgur in Baſilium cùm deſcendiſſet, ex ardente globo candida columba ſubitò erupit, & rapido volatu aëris regionem ſuperiorem petijt, vbi renouata videntur prodigia, quæ eiſdem in aquis, dum illis Verbum incarnatum baptizaretur, euenerunt. Cùm reliqui, quotquot aderant, obſtupeſcerent inſolentis admiratione ſpectaculi, vnus Patriarcha diuini illius ſacramenti miniſter intellexit, eum, qui baptizatus fuerat, eximium, rarum, ſingularem, incomparabilem futurum: Tam admirandis namq; auſpicijs, & prognoſticis volebat alta Dei prouidentia manifeſtare theſauros gratiarum, & virtutum, quos in illo iuuene reconditos habebat, qui poſthæc futurus propugnator, & columna Eccleſiæ, flagellumq; hæreticorum, & inferorum terror. Cùm abeundi veniam ab Archiepiſcopo Maximo exobſecraſſent, relictis ſacroſanctis illis locis, quæ tamen intimis animis penitiſſimè inſculpta gerebant, redierunt Antiochiam, vbi Baſilium Meletius illius vrbis paſtor Diaconum ordinauit. Hoc ordine initiatus ſacer Phænix apoſtolicæ prædicationis officium perſecutus eſt, idq; tanto cum fructu, & emolumento, quantum expectari poterat à prædicatore, cuius erant ſancti, & inculpati mores, vita euangelica, & dona, quibus illum permunifica Dei manus nobilitarat, eximia, & admiranda.

Baptizatus in Iordane.

Prodigiũ, quod ſub tempus baptiſmi viſum.

Diaconus Antiochiæ ordinatus.

PHÆNICIS GRÆCIÆ, S. Basilij Magni,

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Quanquàm eodem vtero nati germani fratres videantur Doctus, & Docilis, nihil tamen magis arduum, & difficile, quàm duo illa coniungere.

Doctus, & docilis, qui simul sit, rarus.

VT euangelici Phœnicis magnificentia innotescat, palamque fiat quantum sermone valuerit, & quanta fuerit illius ad persuadendum efficacitas, non opus est longâ excursione, sed vnum illud commemorare sat fuerit, quod inter ipsa vitæ suæ apostolicæ primordia, ex cæcis gentilitatis erroribus magistrum suum Embulum eduxit. Embulum, inquam, cuius in illâ ætate, & ciuitate *erat existimatio celeberrima*, vt loquitur S. Amphilochius in vitâ S. Basilii, c. 3. & præclara fama, & insignis apud omnes nominis opinio. Rationibus discipuli sui Basilij conuictus Ebulus, vt est apud eundem Amphilochium ibidem, attonito similis exclamabat. *O Basili cælestis demonstrator Trinitatis, per te credo in Vnum Deum Patrem omnipotentem.* Maximum hoc est admirabilissimorum operum omnium, quæcunque terrenis in annalibus recenseri possunt. Nihil enim magis difficile, ac operosum, quàm sapientem dedocere suos errores, neque alii bona monita tam ægrè suscipiunt, quàm scioli, qui se doctos, & peritos arbitrantur.

Doctum dedocere suos errores, & emendare, perdifficile.

Apparebat Angelus Pastoribus, gaudiosissima noua illis perferens, dicensque, natum esse orbis instauratorem, & locum simul indicans, vbi tam ingens bonum inuenire possent. Et monet euangelista, concito gradu cucurrisse ad perquirendam salutem mundi: *Et Venerunt festinantes*; inquit Lucas cap. 2. v. 16. Venerunt item reges Magi, vt Regi supremo cultum penderent debitum, quod S. Matthæus talibus verbis cap. 2. v. 1. narrat: *Ecce Magi ab oriente Venerunt Ierosolymam.*

Hugo Cardinalis obseruauit, quod tametsi eodem animi consilio Pastores ad præsepe accurrerint, quo Reges Magi aduenerunt in Bethlehem, similem tamen aduentum verbis non omninò similibus Lucas, & Matthæus referunt: Lucas enim *non dicit*, *Ecce Venerunt festinantes* Pastores, *sicut Matthæus de Magis*. Magorum aduentum velut admirabundus narrat Matthæus, inquiens: *Ecce Magi*; Pastorum accessum Lucas simpliciter memorat, dicens: *Et Venerunt*. Tantundem in Matthæi verbis annotauit Claudius Guillaudus, sic aiens: *Ab euangelistâ non sine admirationis notâ ponitur, Ecce Magi.* Quamobrem istud? Annon æquè notatu dignum, quod puerum Iesum adorârunt Pastores, ac quod illum supplices venerati sunt Reges? Quare admirabilior visa Matthæo submissio, & conuersio Regum, quàm reuerentia, & veneratio opilionum? Respondeo. Matthæus in iis, qui conuertebantur, & Deo se submitebant, non considerauit, quod Reges essent, sed quod sapientes, & quanquàm vtroque fulgerent, Regesque, & sapientes simul essent, dicit nihilominùs euangelista: *Ecce Magi*; velut alijs verbis dixisset: Plausu celebrate miraculum, notate stupendum prodigium, quòd sapientes dedoceri, quod Magi conuerti, & reuocari à suis erroribus sunt passi. Non hoc tam nouum reputatur in Pastoribus: Nam quod homines rudes, amusi, rustici instituì sinant, erudiri permittant, non multum habet admirationis: verùm quod sapiens imbui toleret, quod eruditus iudicium suum arbitrio subjiciat alieno, quod doctus quis sit, idemque docilis, nouum hoc, & perquàm mirum est.

Indocti Pastores ad Christum facilè adducti.

Magorum aduentus ac Christũ admirationi fuit. Quare?

Magorum conuersio verè admirabilis.

Quæ hactenùs dicta, ea cohærebunt aptè, & congruent, cum quodam eruditi Patris Aloysii Nouarini annotamento. Sanctus Matthæus refert numerosam

turbam hominum, qui ex vrbe Ierosolymitanâ, totaque Iudæâ turmatim, certatimque in eremum confluebant, vt rerum illud, & nouum pœnitentiæ monstrum Ioannem viderent, dicens: *Exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa*; Matth. 3. 5. Et Lucæ 3. vv. 10. 12. 14. *Interrogabant eum turbæ* &c. *Venerunt autem & publicani* &c. *Interrogabant autem eum & milites* &c. Omnes illum tanquàm oraculum vitæ austerioris consulebant, magni promiscuè, & parui, Publicani, & milites.

Hac in re Nouarinus illud singulariter animaduertit, quod sacer Præcursor, cùm Sadducæos, & Pharisæos velut emendandæ vitæ cupidos ad se venire conspexit, cùm ingenti admiratione illos intuens, asperis verbis appellauit. Matthæus rem ita narrat: *Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à venturâ irâ?* Matth. 3. 7. Cùm omnes sine discrimine ad Ioannis baptismum accurrerent, aulici Ierosolymitani, diuites, pauperes, publicani, & quod amplius est, etiam milites, hominum genus maximè corruptum, & contaminatum, dissolutumque, nihil ille admirationis ostendit, solos autem Pharisæos, & Sadducæos aduenientes attonitus cum stupore vidit. Quid causæ esse possit? *Non miratus est.* inquit Nouarinus, *quod alij ex populo accederent. Difficilè videbatur Ioanni salutis viam didicisse Pharisæos, & Sadducæos, quia aliorum doctores erant. Hinc est, quod ad Deum faciliùs idiotæ conuertantur, quàm scioli, & qui sibi sapientes esse videntur.* Quod alii variarum conditionum, & qualitatum homines venirent, cuperentque erudiri, & in viam reduci, non mirabatur Ioannes: Sed quod se instituendos, corrigendosque sisterent Pharisæi, & Sadducæi, qui erant cæterorum magistri, id nouum, stupendumque prædicatori pœnitentiæ videbatur. Quod imprudens expectat consilium, & literarum imperitus doceri optet, & rudis pastor suos sibi errores detegi cupiat, nihil habet admiratione dignum: At quod doctores se imbuendos offerant, & magistri coargui, & reduci sinant, id tale est, vt nouitate suâ obstupefacere possit. Itaq; cùm sapiens quis conuertitur, cùm magister emendatur, & à summæ doctrinæ fastigio, ad humilitatem docilitatis se demittit, id in annalibus inter stupore dignos euentus recenseri potest, vt qui horum quidquam videt, exclamet: *Ecce Magi!* Miraculum! Portentum! quod sapiens reduci passus est, & à pallio docti, ad sagum docilis transiit.

Doctorum hominum operosa conuersio.

Immò miraculi rarè similis.

Sanctus Ioannes Chrysostomus quærit, cur Gentium Apostolus, cùm initiò Saulus vocaretur, post admirabilem conuersionem suam mutato nomine appellatus fuerit Paulus, qualem se in omnibus epistolis suis vocauit, dicens: *Paulus seruus Iesu Christi. Paulus Apostolus Christi.* Ab eâ nuncupatione literas suas, præter vltimam, omnes orditur. Quam ob causam Spiritus Sanctus beato illi apostolo nomen suum permutauit?

Paulus cur sic dictus, qui Saulus ante vocatur.

Respondet Chrysostomus, inquiens: *Quemadmodùm dominus, qui seruum mercatus est, ostendere volens se dominum serui, nomen illius mutat, ità & Spiritus Sanctus fecit, vbi Paulum captiuum accepit, vocabulum eius mutauit, vt etiam inde disceret Paulus se habere dominum, nominum enim impositio domini signum est, & præcipuum.* Hæc ille homil. de ferend. reprehens. & conuers. Pauli to. 3.

In his Chrysostomi verbis notate ista: *Vt etiam disceret Paulus se habere dominum.* Quis verò erat Paulus, vt ad eum modum erudiendus esset, esse alium, qui illi imperare posset, quique viribus ipso superior esset? Fortean rex; princeps, aut absolutus quidam monarcha erat? Palam est, nihil horum fuisse. Quid ergo necessum fuit mutare illi nomen, vt spiritus remitteret, & humilem Domini seruum se agnosceret? Non erat Paulus rex, non princeps, non monarcha. Quid verò illud erat? Sapiens erat, eruditus

erat, doctus erat. Ipsus hoc confitetur Act. 22. 3. dicens: *Eruditus iuxta veritatem paternæ legis.* Et adGalat.c.1.v.14. *Proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos.* Vbi videre licet *acerrimum Pauli ingenium*, vt loquitur Claudius Dausquius sanctit. Paulil. 2. c. 15. disciplinis *exoticis exsatiatum*, quo omnibus & ætatis, & scholæ suæ collegis antecellebat. Cùm ergo Paulus doctus, eruditus, & sapiens esset, rege, principe, monarcha etiam maior sibi videbatur. Meritò ergò illi nomen mutatum, quando conuersus, & à viâ malâ, per quam cæcus ferebatur, in bonam adductus fuit, vt illi inde humilitas, gloria victori nasceretur, *vt etiam inde disceret Paulus, se habere dominum.* Nam cùm sapiens existimet, nullum esse talem Regem, vel Imperatorem, qualis ipse est, vt potentiam suam Dominus ostentaret, sapientem Paulum deiecit, strauit, subegit. Gloriosior namq; triumphus est, qui de conuersis doctis agitur, quàm qui de superatis regibus reportatur. *Ecce magi.* Ex docto enim facere docilem, maximum omnipotentis dexteræ Dei opus videtur.

Pauli conuersio hinc etiam admirabilis, quòd docti conuersio fuit.

Doctum conuertere gloriosius, quàm Regem bello superare.

Videtur id confirmari posse ex eo, quod idem Paulus 1. Tim. 1. v. 16. ait vbi conuersionis suæ causam exponens sic habet: *Ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi.* Quæ exponens Primasius ait: *Vt nemo desperet* posse reduci, & ab errore reuocari, quantumuis cæcus sit peccator. Notate illud: *Vt in me ostenderet*; quod sic dictum videtur, quasi Pauli conuersio ad ostentationem facta fuerit. Metaphoram dicto subesse puto sumptam à similitudine excellentis pictoris, qui vt insignis peritiæ celebrem existimationem sibi compareret, elaboratissimam picturam è superliminari domûs suspendit, perque eam, quantùm industrius penicillus valeat, tacito præconio prodit. Sic Paulus ait, se in sua conuersione quoddam velut indicium fuisse omnipotentis dexteræ Domini, & primum peccatorum, quorum saluandorum causâ ille in mundum hunc venerit: *Quorum primus ego sum;* 1. Tim. 1. v. 15. velut plurima, & præstantissima manûs diuinæ pictura. Priores Paulo fuerunt Latro, Magdalena, Matthæus, Samaritana, & allj multi, sed ille se primum vocat, tanquàm principem, conuersionis picturam, quàm fecit Dominus, vt è superliminari portæ suæ Ecclesiæ suspenderet, *vt ostenderet* venustam brachij sui facultatem, & virtutem, *vtq; nemo desperet*, tametsi in profundissimam malitiæ abyssum descenderit.

Paulus velut ad ostentationem conuersus

Et facilè fuerit intelligere, quàm sint hæc vero affinia. Vt enim Ananiæ, (qui Paulum adire, & baptizare iussus trepidabat suscipere officium, quod sciret quàm sanguinolentus persecutor, quàm atrox flagellum esset Christianorum) animos faceret Dominus, aiebat: Ne formidaueris illum adire, *ecce enim orat;* Act. 9. 11. Notate illud, *Ecce*, Domini, quod ex commentatione Dionysij Carthusiani artic. 9. in c. 9. Act. tale fuit, quasi dixisset: *Mutatus est in alium virum, factus est de lupo agnus, de Saulo superbo humilis Paulus.* Aduerte, ergo, Anania, miraculum, quale aliud nullum audieris, quia is, quem tam vehementer formidas, humilis, terræq; affusus nunc incumbit orationi, ex truculento lupo in mitissimum agnellum, in Paulum ex arrogante Saulo mutatus. *Ecce enim orat.* Affinia sunt hæc illis Matthæi: *Ecce magi.* Nam qui sapientem reuocare, doctum prosternere, eruditum dedocere errata sua potuit; idem quod maximum in reuocandi, & conuertendi negotio fieri potest, præstitit, & fortitudinis lineam extremam attigit.

Tam admirabile est hoc facinus, vt Henricus Farnesius in lib. de cognit. sui q. 14. de illo dixerit: *Lex est in symbolis non atramento, sed admirabili prodigio scripta.* Tam præclaræ, & insignis actionis symbolum edidit secundus Mundi parens Noë, quando post quadraginta dies diluuij *dimisit coruum* (Gen. 8.6.)

ex arctâ arcæ illius custodiâ, & post hæc *emisit quoq; columbam* (ibid. v. 8.) vt exploraret, quo in statu ira diuina versaretur. Ambæ volucres, coruus, & columba ex arcâ euolârunt. Sed de coruo monet sacer textus, quod *egrediebatur, & non reuertebatur* (ibid. v. 7.) vt fumum non colore tantùm atro referret, verùm etiam abitus similitudine exprimeret, cùm non reddijt, postquàm semel abijt, vt nunquàm redire fumus solet. Verùm columba *reuersa est in arcam* (ibid. v. 9.)

Quid mysterij includit, quod coruus non redijt in arcam, columba redijt? Cuius rei symbolum est coruus? Cuius hieroglyphicum columba? Respondet Farnesius vbi supra: *Coruus Mercurij ales, Veneris ales columbus.* Coruus typus est sapientis, ideòq; attribuitur Deorum nuncio, & interpreti Mercurio. Columba simplicitatis symbolum est, candorisq;, & synceritatis nota hieroglyphica, velut auis est, de quâ aiunt, sine felle esse. Vt ergo indicaretur, inquit Farnesius, quàm difficulter reuertatur, & reducatur ad arcam rectæ sententiæ sapiens, & quàm facili negotio reuocetur simplex, candidus, imperitus, idcircò coruus, sapientis typus, cùm semel ab arcâ recessit, non redijt, *egrediebatur, & non reuertebatur*, columba verò *reuersa est in arcam*, nuperumq; in quo hospes, & sospes fuerat, repetijt diuersorium, *imperitus enim eò, quàm prudens, resipiscit faciliùs*, vt verbis Farnesij dicam.

Coruus non rediit ad Arcam, rediit columba, duplici mysterio.

Magnum ergo fuit illud Basilij opus, quo Ebulum ad Fidem adduxit, illum suum magistrum, illum tam sapientem philosophum, illum tam eruditum, & doctum, illum tam insigni existimatione, tàm celebri famâ, & omnium plausu commendatam virum.

Capvt II.

Quando in sanguinolento conflictu non ignauus alioqui, nec imbecillus hostis parum facessit negotij suo aduersario, amplus oratori campus relinquitur, in quo expetitas explicare laudes queat.

EBulus itaq; fuit, quem gloriosus Phœnix noster reduxit, & ad Christianam veritatem erudiuit. Ebulus tam insignis, & excellens oratoriæ facultatis magister, qui temporum illorum maximâ admiratione, & communi omnium plausu celebrabatur, quod iam suprà monuimus. Illum Basilius conuenit, *disputantemq; illum superueniens reprehendit*, inquit S. Amphilochius in vitâ S. Basilij, quod vanis, futilibus, & nihili de rebus nequicquam disceptaret. Eâ obiurgatione, & institutione lucem illi attulit, ad quam cælestia mysteria videret, humiliterq; tanquàm simplex agnus ad gregem veræ religionis sese adiungeret. Hoc beatus Amphilochius in primis, & præclarissimis sancti Basilij actionibus numerat. Quò enim operosius fuit, quod iuuenis virum, imperitus celebrem doctorem, magistrum discipulus subegit, eò magis laude, & æternâ memoriâ dignus fuit Basilius, qui hoc fecit. Qui enim famam suam consecrare immortalitati cupiunt, & memoriam sibi conflare perpetuam, tantundem facere debent, & ardua suscipere negotia, & difficiles, operosasq; aggredi prouincias. Qui res faciles, ac minimè arduas tractant, nunquàm sibi locum in templo famæ, nunquàm admirationem, venerationemq; aliquam comparant.

Victoria de hoste valido gloriosa.

Cùm propheta euangelicus pulchram magnificentissimarum diuinarum misericordiarum ostentationem faceret, gaudio exultans succlamabat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; Isa. 7. 14. velut alijs verbis dixisset; Prodigium

eueniet

eueniet, quale nullum aliud mundo auditum, misericordia exhibebitur afflictis, qualem nemo vel imaginando fingere possit, integerrima nempè virgo communem omnium humanarum infirmitatum medicinam salutifero partu edet. *Dabit Dominus ipse vobis signum*, ibid. v. 13. signum, quod sit omnipotentis manus diuinæ index, & testis.

Magnus Basilius ait, Hebræos hoc loco reclamare LXX Interpretum translationi, ac dicere, in textu originali esse nomen, quod non *Virginem* sed *adolescentulam*, vel *puellam* significet, adeòq; verba superiora sic vertenda: *Adolescentula*, siue tenera in primulo flore ætatis *puella concipiet*, verùm non sine iacturâ sua integritatis. Sed *aduersùs hos ex sua ipsorum scriptura facilè occurri potest. Signum vtiq; si est demonstratio, est rei cuiuspiam prodigiosa, & à communi hominum consuetudine omninò aliena*, inquit magnus Pater in c. 7. Isaiæ, & homil. de humana Christi generatione. Signum Dominus promittit, signum autem non rei passim obuiæ, sed insolentis, & inauditæ, & stupendæ, quæq; à communi more longè abeat, indicium est. Ergo si Dominus diceret, pauculorum annorum puellam concepturam, omneq; in eo fore prodigium, quod illa tam rudibus annis conciperet, tàm ridicula esset promissio, quàm vulgare, & vsitatum, quod eiusmodi puellulæ concipere, & parere, cum temerati pudoris detrimento soleant. Aliud itaq; vult Dominus, nempè quod concipiet absque vllâ virgineæ puritatis, & integritatis attaminatione, vel offensione. Nam adscribere partum adolescentulæ, quæ virum admiserit, itaque amiserit, quod nata fuit, idque in prodigij loco habere, perridicula sanè foret miraculi nota. *Quid admiratione dignum censetis*, inquit rursùm Basilius, *si è tam multis vna aliqua cohabitans viro mater fuit paruuli?* Velle res triuiales in mysterijs recensere, & vulgarium operum studio famam comparare singularem, insania est, non qualiscunque stultitia. Qui cupit singularis haberi, & videri insignis, insignia opera edere, & singularia patrare facinora debet.

Famam de rebus paruis magnū soli fatui expectant

Aptè in hanc rem cadet quæstio illa, quamobrem in nouem decalogi præceptis nec supplicium præuaricatori, nec præmium obseruatori eorum constituitur, cùm tamen certa remuneratio designata sit illi, qui præcepti quarti iussioni obtemperet, dicente supremo Legislatore: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram:* Exod. 20. 12. & Deuterominij 5. 16. vbi idem iteratò inculcatur mandatum, tantundem agitur, & dicitur *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt longo viuas tempore, & bene sit tibi* &c. Cùm in supremo tribunali iustus ille iudex habeat & præmia pijs constituta, & supplicia improbis decreta, solis tamen ijs, qui parentibus ferunt opem, eorumq; commodis student, sua parata videtur remuneratio, quibus prolixior in mundo vita, & multa felicitas promittitur. Quod cùm ita sit, cur non æquè parentibus sua deputata merces scribitur, qui bonæ liberorum educationi, & sustentationi tam solicitè student, eorumq; profectus, & incrementa tam anxiè procurant? Et quid est parens ergà filium aut filius cum patre compositus, vt illi pro cultu parenti exhibito sua statim addicatur compensatio, & pro officio beneficium mutuæ gratiæ tam citò, indubitatòque promittatur? *Vt sis longæuus super terram!*

Parentum cultorib⁹ solis, cur decreta remuneratio

Parentib⁹ liberorū rectæ educationi intentis cur nulla constituta remuneratio

Sancti Ioannis Chrysostomi officina dabit hanc affabrè decisam dubitationem. Is homil. 2. Op. imperf. in Matth. sic habet: *Quod est in herbis, aut arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Humor de radicibus ascendit in herbam, de herbâ autem non reuertitur ad radices. Sic & charitas de parentibus ascendit in filios, de filiis autem non reuertitur ad parentes*. Vt se habent ergà ramos radices, ita ergà liberos parentes. Radices ramis succum vitalem submittunt, rami

Parentum charitas ascendit in filios, à filiis non redit ad parentes.

radici.

radicibus nihil tale remittunt. Sic parentes liberis suam alimoniam ministrant, nec quidquam similis beneficij à liberis recipiunt. Si videremus ab ramis vitalem humorem descendere in radices, obstupesceremus nouitate insolentis rei, sed quod ab radice aqueus liquor ad ramos ascendat, id nemini vnquàm admirationem adfert. Ecce hîc vnam quandam è pluribus rationem, inquit Chrysostomus, cur filio debitum parentibus honorem deferenti, tam anticipatò sua decernatur remuneratio (*vt sit longæuus*) nam quod pater filium amet, colat, sustentet, foueat, quid mirum, aut magnum? Radix ministra humoris est pater, filius ramus, *nec debent filij parentibus thesaurizare; sed parentes filiis*, vt inquit Apostolus 2. Corinth. 12 14. At quod filius parentem honoret, blandè, ac laute habeat, alet, protegat, id tam admirabile, quàm quòd radici ramus vitam, alimoniamque ministret. *Humor de radicibus ascendit in herbam, de herbâ autem non reuertitur ad radices.* Eapropter decernitur remuneratio filio, quipa-rentes piè colit, & amanter, reuerenterque fouet, quia ramus patris tanquàm suæ radicis est, quod autem ramus radicem sustentet, id mirum, quià insolens, & rarum. Hac re indicare nobis supernus legislator voluit, nihil mereri nomen strenui operis, & insignis, præclarique facinoris quod non sit arduum, magnaq; cum laboris difficultate coniunctum. Nam vt ingeniosus poëta lib 3. de tristib. eleg. 11. canit:

In causa facili quemuis licet esse disertum,
Et minima vires frangere quassa valet,
Subruere est arces, & stantia mœnia virtus,
Quamlibet ignaui præcipitata premunt.

Nepos Abrahæ in suâ natiuitate dictus fuit Iacob, id est, luctator. Causa nominis fuit, quod cum germano, & gemello fratre suo Esau, intra suæ matris Rebeccæ aluum depugnauit, cùmque alter prior naturæ carcerem euaderet, *protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu*, tanquàm impedire volens exitum, & tùm *ideò*, siue illam ob causam, tum ob anteriorem concertationem *appellauit eum Iacob*, Gen. 25. v. 25. Et quoniam posthæc cum Angelo conseruit manus, eumq; vicit, nobilis colluctator illustri appellatione hominis fortis cum Deo illum donauit, & cumulauit, dicens: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel*; Gen. 32. 28. Israel autem idem est, quod *fortis Dei, vel fortis cum Deo, scilicet luctator, qui cum Deo, id est cum Angelo fortiter luctatus est.*

Quærit nunc Hispaniarum secundus Salomon Tostatus, quare Iacob, qui iam inde à primulo ortu dicebatur luctator, posthæc auctus fuerit nomine, vt luctator *cum Deo* prætereà nominaretur? (Iacob cur luctator cum Deo dictus, qui luctator cum fratre ante fuerat.)

Respondet autem q. 3. in c. 34. Gen. *Quia illud nomen primum significabat paruam dignitatem in Iacob, imposuit ei Angelus nomen magnæ dignitatis. Maior enim dignitas erat cum Angelo, vel cum Deo fortiter luctari, quàm cum Esau fratre suo qui mortalis erat.* Quod sanctus patriarcha dictus fuit Iacob, siue luctator, propter duellum, quo cum fratre conflixit, parum honorifica appellatio erat. Verùm cùm deinceps totâ lacertorum vi, & omnium neruorum contentione cum valentissimo spiritu Angelo depugnauit, tunc cœlestis colluctator ampliore nomine donandum illum putauit, vt fortis cum Deo diceretur, inquiens: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Mortalem quippe, imbecillem, & caducum hominem superare, *parua dignitatis est.* Desinat ergo *Iacob* vocari, quod vocatus est, quando natus, atq; inuicem ornetur appellatione *fortis cum Deo*: Nam insuperabilem vincere, subigere illum, qui subigit omnia, id rarum quid est, id admirabile, & eximium; at si grandia videri opera velint, quæ non communem cum prodigio habeant originem, & plurimam

cimam cum miraculis affinitatem, vana potiùs affectatæ amplitudinis ostentatio fuerit, quàm sanæ mentis rectum iudicium, verùmq; arbitrium.

In hanc rem insignis benè dicendi magister noster Hispanus Quintilianus lib. 10. c. 5. sic aiebat: *Illud virtutis indicium est, fundere quæ natura contracta sunt, augere parua, varietatem similibus, voluptatem expositis dare, & benè dicere multa de paucis.* Ille peritiæ oratoriæ singularem iure facere potest ostētationem,

Oratoris magni nomine quis dignus,

qui collecta explicare, & vi rethoricæ facultatis astricta extendere, angusta amplificare, de muscâ elephantem fingere, scrupulum grandire in montem, tenuem riuulum in vastum, latissimumq; mare, & vulgaribus non vulgaritèr oblectare, & paucula pluribus, exigua magnis modis disertè exaggerare, eloquenterq; efferre nouit. Nam vbi abundantia copiam, viresque oratori ministrat, non magnam laudem meretur, si qui verbis plusculis magnum faciat, & amplificet.

Pœnitens maleactorum suorum Rex propheta, cùm animum ad castigandam peruicacis carnis licentiam firmissimo proposito obstinâsset, hæc ardente affectu aiebat: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*; ps. 6. 7. ac si verbis alijs dixisset: Nulla mihi nox abibit, quâ non amarè deplorem fallaces voluptates, quibus animam meam fœdè contaminaui. Tam affluenter porrò ardens ex oculis descendet irrigatio, vt lectus quidem inde madescat, animæ verò peccatis indignè conspurcatæ pristina sua venustas, & formæ dignitas redeat.

Dauid cur noctem fletui dedit.

Sanctus Gregorius Nyssenus homil. aduersùs eos, qui judic. ait: *Vbi luctu & squalore corpus excruciat, sibi noctes ad lugendum præscribit*; tanquàm apertiùs dicat: Notandum, quod cum ad luctum, fletumq; se Rex propheta damnat, noctem sibi ad tam austeram pœnitentiæ exercitationem vsurpat. Lachrymarum tempus, inquit Nyssenus, nocti deputat. *Per singulas noctes.* Quamobrem verò nocturnas horas luctui, & fletui destinat? Causam eam reddit Nyssenus, *quod id tempus communi laborantium quieti sit datum.* Relaxationi, & vacationi eorum, qui duris per diem extenuati, & delassati sunt laboribus, nocturnum tempus, & otium prouida mater, Natura consecrauit.

Nox communi laborantium quieti data.

Quid verò, egit Rex Dauid: Quod singulare, quod rarum, quod insolens erat. Nam si communitèr quies per noctem captatur, & otio negotia interpellantur, singulare fuit, quod pœnitens Rex noctem inter ploratus, & pœnalium operum acerba studia transmisit, quando cæteri omnes curis soluti vacabant: *Per singulas noctes, quod tempus communi laborantium quieti datum est.* Itaq; cordatè prudenterq; agit qui tritam viam deserit, cùm ad nominis celebritatem conquirendam tendit, & singularem famam vulgaribus operibus minimè obtineri posse credit. Nam qui facit, quod omnes, atque inde plus omnibus vult splendescere, & plausum sibi, admirationemque singularem excitare, næ illius fæminea est, & deridicula futilitas.

Diogenes Seminudus æneā brachiis stringebat statuam.

Haud dubito, quin eâ doctrinâ vsus fuerit quidam Lacon cui accidit, quod subiiciam. Vidit is quondam tempore hyberno Diogenem Cynicum tantùm non prorsùs nudum, qui æneam statuam arctis stringeret complexibus. Interrogauit ergo illum, num quam frigoris inclementiam ex rigido illo, & gelido simulachro perciperet? cumque respondisset, non plus molestiæ, vel offensionis inde accipere, quàm si molle holosericum, aut blandas mustelæ syluestris pelles, brachiorum complexu teneret: hæc ille apud Plutarchum lib. apophteg. vulgarium, to. 2. ait: *Quid igitur magnifacis?* Quantum facinus, velle eâ re philosophicam tuam austeritatem, & Cynicam ostentare patientiam, quæ nec tibi nouitatem aliquam, nec sensibus tuis singularem vllam adferat molestiam? Si frigus experireris, & tolerares, si frigore ex gelidâ statuâ dirigesceres, & patientèr ferres, id laude, & admirati-

one dignum foret. Is nimirùm commendari meretur, qui valenti viribus hosti negotium facessit, qui sensibus dolorem adfert, qui robustum aduersarium sollicitum reddit, & de ancipiti victoriâ dubiū.

Cùm vrbanus Propheta mentionem faceret illustrium facinorum, à quibus Saluator mundi suam auspicaturus esset diuinam infantiam, hoc vnum in multis memorat: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit*; Isa. 11. 6.

Sanctus Hieronymus, hunc loquendi modum prophetæ diligenter considerauit, dicens: *Hoc notandum, quod non agnus, & hædus habitent, & accubent cum lupo, & pardo, sed lupus, & pardus agni, & hædi imitentur innocentiam*, Quod iis verbis vult Hieronymus, id tale est. Transformatio agni, siue hædi in tigrim perfacilis est, nam vt vel iustissimus aliquis peruertatur, vel mundissimus defœdetur, vel formosissimus deuenustetur, id nullo negotio quàm expeditissimè fieri potest: Sed vt obscurum splendescat, vt Æthiops inalbescat, vt opulescat rerum omnium inops, id arduum, operosumq; est, & rarum, quám difficile. Propterea dicit, & prædicit propheta: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, non quod agnus, & hædus habitent, & accubent cum lupo, & pardo, sed lupus, & pardus agni, & hædi imitentur innocentiam.*

Quare Hispanus noster Stoicus Seneca epist. 71. monet, ingentes animos & magnos spiritus, & validum pectoris robur arduis casibus, & rebus operosis reseruare, si in fortibus numerari optamus, & robustorū famam, opinionemq; comparare nobis cupimus: *Non mirum est in tranquillitate non concuti: illud mirare, ibi extolli aliquem, vbi omnes deprimuntur, ibi stare, vbi omnes iacent*; inquit ille. Secura per mare pacatum nauigatio haud quaquam alicui noua accidit, sed eum, qui ne vacillet quidem, vbi alij plerique corruerint, nemo sine graui admiratione vidit, & censeri in miraculis queat, si quis ibi constante vestigio gradui suo rectus insistat, vbi infidæ fortunæ turbidus ventus sæuo aspiritu omnes euerterit. Deniq; tunc magnum loquendi negotium linguis relinquetur, quando manus multum operis, quo exercerentur, habuerint.

CAPVT III.

Bonum non benè vocari videtur, quod cùm deriuari in multos posset, cum nemine communicatur.

CVm in sacrâ peregrinatione religiosi viatores, Basilius ex discipulo magister, ex magistro discipulus Ebulus versarentur, innumeras hominum ethnicorum animas Christo lucrabantur. *Ibant Ierosolymam*, inquit beatus Amphilochius in vitâ sancti Basilij, *ingentem hominum gentilium turbam Christo lucrifacientes*. Basilius velut Sol quidam cœlestis doctrinæ suæ radios longè, latèque diffundebat, nec passum ambulabat in terrâ, quin plurium animarum quæstum faceret cœlo. Nolebat sapiens Peregrinus occultare lucem, quam Deus in vase pectoris illius reposuerat, sed liberaliter eam omnibus offerebat, exhibebat etiam libenter. Bonum enim dici nequit, quod non partitur cum alijs, qui communicare potest, eatenus nempe bonum videtur, quatenùs in vsus aliorum vertitur, & deriuatur, publicæque vtilitati, & profectui consecratur.

Bonum minimè bonum, si stagnet, non effluat.

De magno sacerdote, & rege Melchisedech affirmat aliquid Apostolus, quod sit difficile creditu. *Sine patre, sine matre, sine genealogia* fuit, *neque initium dierum, neq; finem habens*, inquit Heb. 7. 3. Abstrusum habent ea verba sensum, in quem penetrare nemo facilè queat. Cùm enim Melchisedech fuerit creatura, omnis autem creatura suam habeat originem, & definitos durationis limites, quid est, quod sanctus Apostolus de rege, & sacerdote summi Dei Melchisedecho ait, fuisse sine patre, sine matre, & neq; initium dierum, neque finem vitæ habuisse?

Sanctus

Sanctus Ioannes Chrysostomus Orat. 12. in c. 7. ad Heb. paucis decidit hanc difficultatem, dicens: *Sine patre, & sine matre, neq; initium dierum, neq; finem habens, propterea quod scripta non sunt.* Res indubitata est, habuisse Melchisedech patrem, & matrem, velut cæteros hominum, item viuere cæpisse, ac desiisse, quemadmodùm homines alij nati sunt, ac denati. Quod ergo dicitur, nec primordia vitæ habuisse, neq; finem, & parentibus caruisse, id fit, quia origo eius, & clausula nullis est, literis consignata, vt proinde notitiam hominum parentes eius fugiant, omnesq; lateat quis vitæ illius introitus, quis exitus? *Propterea quod scripta non sunt.* Nam tametsi res aliqua sit, aut fuerit, quamdiu hæc ignota sunt, perinde est, ac si nunquàm in mundo fuerit. Vt eleganter dixerit Magnus Basilius in psal 48. *Si qua in cordis arcano bona quis habet, nolit in apertum sermone expromere, huic illud dicetur, Sapientia occulta, & thesaurus absconditus, quæ vtilitas in vtroq;?* Eccles. 20. 32. Si quis ingentes omnium scientiarum copias intra pectoris armarium reclusas teneat, neque in publicum forum, vsumque per linguæ fores producat, quid eæ commodi adferre hominibus queunt? Bonum enim quod non lucet, sed oculos fugit, & in vsum non venit, sic est, tanquàm non esset.

Difficultatem ingerere in bonâ Astrologiâ potest, quod sacer historiographus, dum infantiam mundi, & exortûs illius primordia describens ait, quando de Sole, & Lunâ loquens refert, duas à supremo Artifice lampades ex cæruleâ testudine huius templi, cuius Orbibus vndiq; includimur, suspensas, vt alternis successionibus mundum vicissim illuminarent: *Fecit,* inquiens, *duo luminaria magna, luminare maius, vt praeesset diei, & luminare minus vt praeesset nocti;* Gen. 1. 16. In his luminare vocat etiam Lunam. At si benè rem expendas, inquit sapientissimus scripturæ expositor Tostatus, inuenies, quod *secundùm demonstrationes astrologicas quolibet astro visibili Luna ad minus octo vicibus minor est.* Hæc ille in c. 1. Genesios, quæ si vera sunt, quomodo Sol, & Luna vocantur luminaria magna, tanquàm vastitatis mole singulariter hæ faces excellant? Quod Sol maioris luminaris illustri appellatione donatur, nihil incommodi habere videtur, at quod Luna simili grandioris luminaris nomine insignitur, quæ tanto minor est omnibus conspicuis astris, quomodo rectâ cohærere cum ratione potest?

Luna cur luminare magnum dicta.

Luna ceteris astris oppidò minor.

Respondet quæsito magnus doctor, dicens: *Luna vocatur magnum luminare, non quantum ad rem, sed quantum ad apparentiam, propinquitas enim eius orbis ad nos in comparatione ad alios orbes facit magnitudinem apparentiæ.* Omnibus alijs planetis, & stellis, quæ sub visum cadunt, oppidò minorem esse Lunam, inficiari nemo potest, aliam cùm reliqua sydera magnitudine octuplâ superent, facilè est intelligere, quantus sit vastitatis excessus, Vocatur nihilominùs luminare maius, non quod absolutè maius sit; sed quod tale videatur, eò quod illa plus lucis terræ affundat, quam cæteræ stellæ coniunctim omnes. Vt ergo sacer Scriptor nos doceret, bona vsque eò magna esse, quò talia se visui, & vsui offerunt, granditatemque illorum non in eò positam esse, vt sint, sed vt videantur, & appareant grandia, idcircò Lunæ datur nomen luminaris maioris, quia etsi minor stellis, magis tamen iis lucet, post Solem namq; nihil est, quod æquè terrã irradiet, illustretque, ac Luna: *Duo luminaria magna, luminare maius, & luminare minus.* Philo Iudæus in lib. de creat. Princip. ait: *Oculi, dũ nõ vidẽt, mortui sunt, sicut aures dum nõ audiunt.* Defunctos vitâ dicas visum, & auditum, cùm suis non funguntur officiis. Tantundem de quauis aliâ re bonâ affirmes, apud homines velut prorsùm non esse, tametsi valde alioquin bona sit, & in mortuis censeri, nisi copiam sui, vsumq; præbeat.

Lunæ magnitudo apparens

Luna plus lucis terræ affũdit, quàm stellæ omnes.

Oculi dum non vidẽt, mortui sũt

Quàm opportunè huc venient quædam di-

Ioannes venturo...

dicebat Christum, qui iam perdiu advenerat,

dam diuini Præcursoris perdifficilia verba, qui de humanæ salutis cælesti Reparatore loquens ita Israëlitico dicebat populo: *Qui post me venturus est, fortior me est*; Matth. 3. 11. Quid sibi vult istud, *Qui post me venturus est?* Triginta anni, & suprà sunt, quod illum iam tunc venisse nuntiauit, etiam inde èx obscuro alui maternæ ergastulo, aduentumque eius singulari, inauditâque exultatione gratulabundus excepit, & nunc illum venturum ait! *Qui venturus est!* Quomodo hoc rectè intelligi debet.

Christus annos iam triginta natus quasi non dùm aduenerat Cur hoc?

Huic difficultati occurrit Abulensis episcopus Tostatus q. 66. in c. 3. Matthæi dicens: *Christus iam venerat quantum ad subsistentiam personalem, quià iam erat non tamen venerat quantum ad operationem, ad quam ipse mittebatur.* Triginta annos iam in mundo exegerat Christus, ergo tanto ante homo per natiuitatem etiam aduenerat, officio tamen, ad quod ab æterno Patre inprimis destinatus fuerat, ità supersederat, veluti nondum aduenisset. Vt nos redimeret, & in libertatem, assereret, non solùm nasci illum oportebat, & in mundum venire, sed etiam concionari, nouas leges ferre, facere miracula, deniq; post acerbam passionem pretiosissimum sanguinem suum in ligno crucis fundere. Quoniam verò in illum diem vsque nihil earum rerum operatus fuerat, dicebat Ioannes Messiam venturum: *Qui venturus est.* Hæc ita dilucidat Tostatus: *Christus non venerat in mundum, vt homo esset, sed vt salutem nostram operaretur. Et quia Christus nihil adhuc fecerat de illo, ad quod veniebat, rectè dicitur nondum venisse.* Hinc illud documenti eruimus, quod gratiæ, dona, & quæcunque siue corporis, siue animæ facultates, velut non sunt, quamdiu apud nos feriata delitescunt, nec ad vsum aliorum expromuntur. Qui enim vires exercendi alicuius operis accepit, easq; in opus demandatum non exerit, is est tanquam non sit, inanimæ statuæ quàm viuo homini similior.

Aptissimè in hanc rem cadit expositio verborum, quæ Iudas fratribus suis dixit, vt eos à sanguinario proposito trucidandi innoxii Iosephi reuocaret, cùm ait: *Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem eius?* Gen. 37. 26. Quid commodi nobis mors fatri illata allatura est, quam dissimulare, & modis omnibus occultare post hac debeamus?

Quid causæ habebant ij fratres, quod neci dare sanctum Ioseph volebant? Id solùm, quod dixerat somniâsse, à Sole, Lunâ, stellis vndecim se adoratum, deinde manipulos suos stetisse erectos eisq; à fratrum manipulis pronis cultum reuerentiæ, & venerationis exhibitum. Eo somnio significabat se regem illorum futurum, vt proptereà talia ei cum stomacho dedignabundi reponerent: *Nunquid rex noster eris?* Genes. 37. 8. Ne verò rex, aut dominus ipsorum, vel per somnium fieret, necem illi intentabant, vt etiam certam ex eiusdem morte lætitiæ voluptatem sibi consciscerent. Quam illam? Respondet Abulensis: *Delectatio quam ipsi cõsequi volebãt de morte fratris sui, erat, vt possent publicè dicere, nos cecidimus illum pessimum somniatorem.* Id gaudii ex occisione fatris quærebant, vt iactanter gloriari possent, delirum interemisse somniatorem, qui cùm minor omnium esset, Sol, & solus princeps inter illos esse voluerit. Sed hac de illius morte gloriosâ gaudere absque certo exitij periculo non poterant. Proinde aiebat Iudas: Quid lucri reportabimus ex ipsius nece, quam silentio tegere necessum erit? quasi dixisset, inquit Tostatus: *Si nobis liceret occidere fratrem, & publicare sine damno, gauderemus quidem, accipientes vindictam de eo, sed quia non licet nobis illum occidere, & publicare; ideò nulla vtilitas est nobis eum occidere.* Si vitâ exuere fratrem somniatorem, eaque re palam gloriari possemus, id vnum nobis iucunditatem, simulque gloriam adferre posset, iam verò cùm necem illius celare necessum foret, prædicare minimè liceret, operam perderemus, dum

Iosephum pro somnio occidere voluisse, stultitia fuit, Quare?

illum

illum perimeremus, nam velut nulla est vindicta, quæ nulli nota, & quidquid illud est, quod ignoratur, quasi non est, quamdiu non in publicum effertur, & quod factum cùm sit, non etiam palàm factum est, tale est, quale quod nunquàm factum. Tantundem dicere possumus de opum copijs, de scientiâ, corporis, vel animi viribus, naturæ, vel gratiæ donis, alijsque talibus, quæ vsûs publici esse, & verti ad communem vtilitatem possunt, nisi ea commodis aliorum seruiant, non alio loco censeri debent, quàm si nunquàm in mundo, vel hominibus fuerint.

CAPVT IV.

Quantùm abest pictum à viuo, tantùm ab auditis visa differunt.

Visus auditur certior.

PErfidios è peccauit contumax ille populus, dum infami adoratione fictam bestiam coluit, quæ ex igne, in quo fusa fuit, manifesta secum protulit brutæ suæ conditionis indicitia. Id ololatricæ gentis ductor Moyses in edito mõte cùm timore suaues cum supremo Domino sermones miscebat. Cùm vidisset Dominus cæcæ plebis obscænam impietatem, monuit charum seruum suum de immani scelere, dicens, per impotentem præcipitantiam bruti animalis pudendum simulachrum erexisse, eique barbaros ad reuerentiam submittere poplites. Simul ac nefarium ausum ardens dux intellexisset, effusus in terram propudiosi flagitij veniam multis cum lachrymis poposcit, dicens: *Esto placabilis super nequitiâ populi tui*, Exod. 32. 12. Cui Dominus: Descende è monte in campum, & vide brutum idolum, & iustam, sanguinolentamq; sume de sacrilegis veri Dei desertoribus vindictam. Post sumptas, quas iussus fuerat, de insanis idololatris pœnas reuersus ad iratum Dominum succlamabat: *Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, dimitte eis hanc noxam*, (ibid. v, 31.) & condona peruicaci huic populo nefandum, quo se contaminauit, flagitium.

Insignis Lusitanus Hieronymus ab Oleastro in Annot. morali in c. 32. Exodi sic habet: *Magnum discrimen est inter audire peccatum, & proprijs oculis videre. Non reputabat vir sanctus tam graue fuisse peccatum, quando Deum narrantem audiuit, sicut cùm illud proprijs luminibus vidit, ideò ad Deum reuersus graue asserit.* Meritò hìc notes ingens discrimen, quod inter auditionem rei, visionemq; illius intercedit. Audijt Moyses à Domino, quod populus idololatriæ crimine se obstrinxisset, & absque vllâ sceleris amplificatione solùm nequitiam vulgari vocabulo nominauit, rogans eam condonari, & inquiens: *Esto placabilis super nequitiâ populi tui; cùm* verò *appropinquâsset ad castra, vidit vitulum, & choros* (Exod. 32. 19.) iamq; oculis arbitratus est, quod paulò ante solis hauserat auribus, tunc illi turpissimum flagitium visum est, & immane scelus, & grande nefas, sic vt diceret: *Peccauit populus iste peccatum maximum.* Quæ namq; audimus, velut picta sunt, sed quasi viua, quæ oculis vsurpamus. Quare & illustris ille senator Cassiodorus lib. 5. epist. 29. aiebat: *Necesse est vt ampliùs visa permoueat, quàm audita calamitas*: Quando per aures sese insinuat hominis noti cuiuspiam infelicitas, vix ad commiserationem excitat: Verùm cùm per oculos ad animum penetrat, ad condolescendum vehementèr mouet.

Visu maius deprehensum peccatum Israëlitarum, quã auditu.

Visa magis, quàm audita, mouet calamitas.

Dubitationem mouere possit, quàm ob causam summus sacerdos Heli tam remissè, ac blandè obiurgarit filios suos, homines consceleratissimos, & enormibus adopertos vitijs. Tam execrabiles erant, vt sacer Scriptor infami appellatione filiorum dæmonis eos notet, dicens: *Porrò filij Heli, filij Belial, nescientes Dominum, neq; officium sacerdotum*, &c. 1. Reg. 2. 12. Exaggerari vehementiùs insolentia; & impietas non potuit, quàm cùm dicitur, fuisse filios Belial, id est, mali dæmonis, ignorasse Deum, nescisse munus, quo ministrare populo sacerdotes debebant. Cùm ergo hi tam propu-

Heli cur tam frigidè suos obiurgauit filios.

propudiosi, & flagitiosi homines essent, quid est, quod parens illos tam frigidè reprehendit, tam languidè coarguit? Pater erat Heli, summusq; & sacerdos, & iudex erat. Vtroq; nomine debuit filios, ac subditos seueriore censurâ perstringere, & acribus supplicijs grauiter plectere: Nunc verò tam leni, ac leui manu eos non tam mulctauit, quàm palpauit, vt Devs illi summæ dignitatis perpetuam iacturam, & necem, interitumq; filiorum comminaretur. Cur ergo tam ignauiter, molliterq; eos increpuit, quos contentè castigasse, & duriter exagitasse debuit?

Respondet Salomon Hispaniarum Tostatus, ex sacro textu causam erui posse, quæ tamen eiusmodi sit, vt culpam sacerdotis Heli non minuat. *Heli autem erat Senex valdè, & audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli*; 1. Reg. 2. 22. ait diuinus Scriptor. Grandæuus, & capularis senex iam erat sacerdos Heli, plurimumq; caligabat, & cæcutiebat, vt eorum, quæ filij actitabant, videre nihil posset, omnisq; illi per aures fama innotesceret: *Audiebat omnia*. Non ergo mirum, quod nimis quàm benignus ergà filios, quantumuis impuros, & nefarios, fuerit, inquit Abulensis, cuius sunt ista: *Amplius autem, quod nimis nocebat, erat Heli caligans oculis, ideò non poterat videre ea, quæ faciebant filij sui, sed solùm audiebat per famam, & licet omnia audiret, non tantùm moueretur auditu, quantum si ipse vidisset, ideò minùs mouebatur ad corrigendum filios.* Decrepitus, & cæcutiens Heli solo auditu percipiebat impudentissimorum, & impientissimorum filiorum scelera, oculis ea arbitrari, immania licet, ac prægrandia essent, non poterat, adeò nec tam vehementer illum exasperabant, quàm irritassent, & exulcerassent, si videre licuisset. *Auribus* enim, vt latinus Pacatus in Paneg. Theos. ait, *sensus est leuior*, quàm oculis, & aures multa dissimulant, in quibus non conniuerent oculi, si ea perciperent.

Heli auditu, non visu accepit scelera filiorum, ideò remissiùs puniuit.

Auribus sensus leuior, quàm oculis.

Benè hæc congruent cum quadam beati Matthæi narratione. Populus Dominum plurimus consectabatur, in quo non pauci affectâ valetudine corporis (quibus tamen ab animo ægriùs erat) & multi magnis modis miseri. Tam lugubre ærumnosorum hominum spectaculum statim mouet tenera pientissimi Sospitatoris nostri viscera, eo vel maximè, quod palabundos, omniq; solatio destitutos cernenet. Matthæus id tali verborum compendio reddit: *Videns turbas misertus est eis*; Matth. 9. 36.

Claudius Guillaudius in ea verba sic disserit: *Obserua. Non dicit Euangelista, Iesus* audiens, *sed* videns, *plus enim ad commiserandum tangimur visu, quàm auditu. Nec dicit*, audiens *querelas vulgi, tantùm ait*, videns turbas, *declarans Christum ipso duntaxat conspectu populi miserrimè habentis promotum esse ad misericordiam, & commiserationem.* Non auditam, sed visam Domino sequacis populi calamitatem scribit Matthæus, vehementius quippe ad condolescendum excitant ærumnæ, quæ per oculorum fores penetrant ad animum eius, qui depellere malum potest, quàm quæ per aurium tubas influunt. Idcircò etiam non dicit, audisse quærimonias miserorum, sed vidisse illos sine pastore, & ductore, similes ouium, quæ per in culta deserti, quocunq; vagi oculi ferunt, erroneæ sequuntur. Sat enim erat videre miseros, non paucis, neque leuibus ærumnis afflictos, tantumq; non confectos, vt eorum curationi, & remedio sese accingeret, *quia necesse est, vt ampliùs permoueat visa, quàm audita calamitas.*

Christus cur vidisse magisquâ audisse turbam memoratur.

Tale quidpiam permouit diuinum Phœnicem, vt profectionem susciperet ad sacra loca, in quibus copiosa nostra redemptio peracta fuit, *vt eius loci miracula videret*, vt venerabundus deoscularetur felicem illam terram, in quâ tot prophetiæ expletæ fuerunt, in quâ Christus tot mysteria operatus, morte suâ hominum vitam instaurauit. Quanquàm enim ad luctum, commiserationemque

inflammare animum possit, si quis vel auditu percipiat, vel meditando secum reputet loca illa, in quibus Dominus noster, immensâ charitate suá incitatus, tot probra excepit, tot genera tormentorum tulit, pœnalissimèq; laniari, & excruciari, tolerauit, quousq; vitam ignominioso in stipite clausit: Nihilominùs nescio quid illud ampliùs habet ipse talium locorum aspectus, cum oculis legimus vestigia, quæ ibi Saluator reliquit, & dimetimur passus, quos ibi fecit. Tunc enim teneriùs afficitur animus, & cor faciliùs, vehementiùsq; mollescit, tametsi in æream, adamantinamq; duritiem obriguerit, *quia necesse est, vt ampliùs permoueat visa, quàm audita calamitas.* Proprijs enim oculis arbitrari loca, in quibus tolerati casus acerbi, visu ipso æstimare exhaustas ab alijs calamitates, magnam vim, efficacitatem que habet ad incitandum illum, qui opitulari potest, vt citum adferat ærumnosis remedium.

Quibusdam Regibus, & Principibus, cùm sint dij quidam terræ, non absurdè dici potest illud ex psalmo 21. 3. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Inclamat miserè saucius miles alterum suum deum, Regem dico, inclamat vastata patria, inclamat afflictum, oppressumq; immodicis tributis, & crudelibus extorsionibus regnum, inclamat sub direptione facultatum suarum inops vidua, inclamant orbi parentibus pupilli, dum ficto ad scelus inumbrandum nomine suis nudantur bonis, inclamat vim passa per improbos ministros iustitia, omnia deniq; inclamant, personant, vociferantur, *& non exaudies,* & ille deus, quem omnia noctu, atq; interdiu tot clamoribus appellant, & implorant, non auscultat, non attendit, cor saxeum habet, ferreumq; pectus. Quid causæ, quod tam & ingentibus, & miserandis vocibus, clamoribus, ærumnis aures minimè præbet? *Tu autem in sancto habitas.* Ex hebræo: *Et tu sedens.* Ille deus, qui

Regnorū suorum ærumnas audiunt tantùm, non etiam audiunt. Hinc excidia.

Solis instar omnes obire domos, collustrare, ac videre calamitates omnes debebat, præmodum deses omnem in otio, somno, quiete plurimâ vitam exigit. Qui si regnum suum lustraret, & qualis alter Cæsar primus in campum prodiret, suisque oculis conflictûs discrimina arbitraretur, videretque quanta, & facere, & pati in bello necessum sit, enixiore, scio, cum pietate, maioreq; generositate, & liberalitate remuneraret, milites, succurreret regno, tristibusque & afflictis opitularetur subditis, *quia necesse est, vt ampliùs permoueat visa, quàm audita calamitas.*

CAPVT V.

Nullum est donum, nulla gratia, vel indulgentia, quæ non à supremâ Dei sede dimanet.

RArum portentum fuit, quod in caput Basilij fulgurans è cælo flamma descendit, & ex flammâ volucris columba prodiit, quæ cùm turbâsset Iordanis aquam, quâ Basilius baptizabatur, volatu cælum repetiit. *Et ecce coruscus ignis incidit,* inquit S. Amphilochius in vitâ Basilij. Inter admirabilis illius mysterij rationes, quas excogitare possumus, hæc vna, nec vulgaris, aut qualiscunq; esse potest, quod flamma è cælo decidit, vt moneremur, omne donum, & quodcunq; gratiæ beneficium indidem descendere. Nam cùm in baptismo ineffabile illud munus recipiatur, quo maculæ originalis fœda labes diluitur, cùm in sacro fonte nudemur vetere Adam, & vestiamur nouo, quando hoc mysterium in aquis Iordanis celebrabatur, *coruscus ignis* è cælo *incidit,* vt certo documento esset, tam ingentem gratiam, tam cumulatum donum inde è loco superiore à propitio Patre luminum descendere. Et verè totum hoc necesse est fieri, vt agnoscat homo, omnem gratiam, quâ est ornatus, & locupletatus, munificis Dei manibus debere ferre acceptam, & non inaniter esferatus

Gratia omnis à Deo.

feratur animo, tanquàm à se illam habeat, vel suæ industriæ viribus, & molitione sibi compararit.

Perbeneuolentem, perque liberalem ergà sanctum patriarcham Abrahamum sese ostendens Deus, sic illi aiebat: *Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium*; Gen. 17. 4. tanquàm pluribus dixisset: Ego sum, qui æternùm perduro, cuius pollicitatio est infallibilis, fœdus (quod ad me attinet) mihi tecum perpetuò inuiolatum manebit, posterique ex te nascentur tum plurimi, tum felicissimi. Promissam semel gratiam mox iteratò munificus Dominus pollicetur, dicens: *Ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur*; ibid. v. 6.

Posset hîc quisquam attentum Dominum arguere, quod tametsi constante sit voluntate, infirmâ tamen & labili videatur esse memoriâ, vt qui vixdum desierat patriarchæ Abrahæ dicere, quod multarum gentium futurus esset pater, quando eandem statim denuò pollicetur gratiam, inquiens: *Ponam te in gentibus*, Quamobrem idem rursùm inculcat, quod paulò ante promiserat?

Eminentissimus Caietanus monet, primam diligenter pensare pollicitationem, moxque conferre cum posteriore, ita fore, vt validum causæ nostræ suffulcimentum reperiamus. Quid primo loco aiebat Dominus? *Eris pater multarum gentium.* Quid secundo? *Ponam te in gentibus.* Prima promissio absoluta est. Tu *eris*, inquit, *pater multarum gentium*, vbi non videtur habere autorem beneficium gratiæ, aut certè significari, Abrahamum suâ diligentiâ, & industriâ consecuturum fuisse eam gloriam, vt fieret pater multarum gentium. Et quoniam natiuâ procliuitate homo in suum hortum deducere aquam solet, idcircò Dominus ex templo sensum suum, exposuit, dicens: *Ponam te*; ego illius gratiæ fons, ego beneficij scaturigo ero, ego tantæ gloriæ autor, ego primus tantæ excellentiæ sator, & parens. Audiamus doctissimum Cardinalem: *Prius dixerat*, eris pater multarum gentium, *modò dicit*, ponam te in gentibus, *vt sciatur, quod non ex naturâ erit in patrem, sed ex Dei dono datus est pater.* Tantâ cautione præoccupandus, & præmuniendus est animus hominis aduersùs familiare superbiæ vitium, vt intelligat, & sciat, omnem gratiam, & quidquid boni habet, totum è cœlo à beneuolente Deo descendere. Homo ad superbiā pronus.

De Samsone, illo fortitudinis monstro, hæc sacrum affirmat oraculum Iudic. 13. vv. 24. & 25. *Creuit puer, & benedixit ei Dominus, cœpitque Spiritus Domini esse cum eo in castris Dan.* Glossa Ordinaria monet, à quibusdam ea sic legi: *Cœpit Spiritus Domini per vices adesse ipsi, & per vices agitare eum.* Aderat ergo Samsoni spiritus Dei, eumq; roborabat, non cōtinuè, sed perinterualla. Samsoni per vices aderat Spiritus Domini. Cur?

Quando autem semel Dominus tam admirandis, & stupendis viribus roborare voluit Samsonem, quare non simul voluit, vt hoc apud illum perennaret beneficium, sed per interualla suspendit gratiam, tantumque per vices eum agitauit?

Factum id sine dubio ad comprimendos spiritus, & compescendam arrogantiam animosi iuuenis, vt cognosceret tam immanes vires, tam robustam dextram, quâ concerpebat leones, & cardinibus suis eximebat vrbium portas, injiciensq; humeris suis in editiorum montium cacumina, perinde ac leues arundines fuissent, efferebat, à maiore potestate sibi concessam, omnemque illam fortitudinem tantùm mutuò accommodatam, quandoque repetendam, arbitrarios gratiæ census esse, non perpetuos debiti, quod redimi nequeat. Gratiæ cēsus arbitrarij.

In publico theatro sæuarum plagarum, quibus Ægyptus magno suo merito durè mulctata fuit, nunquam Dominus (quæ fuit magni Origenis obseruatio) prodiisse videtur, vt heroëm tam sanguinolentæ tragœdiæ repræsentaret, cùm tamen ipse tantorum suppliciorum præcipuus autor fuerit: Soli Moyses, & Aaron omnes inflictasse pœnas videntur;

illi enim sunt, qui virgâ tam stupendâ miracula sunt operati. *Aaron extendit manum suam super aquas*; Exodi 8. 6. *Extendit Aaron manum virgam tenens*; ibid. v. 17. *Extendit Moyses virgam in cælum*; c. 9. v. 23. Ecce hîc solos in theatro Moysen, & Aaron repræsentantes personas iudicum vindicantium, & inferentium plagas, ac supplicia. Quando tandem verò prodibit Dominus? Cui rei actus hic præcipuus, & maximè insignis reseruatur? Scenæ, quæ lamentabilis tragœdiæ extrema erit, inquit Origenes. Vltimo flebilis huius repræsentationis supplicio de Ægyptiis sumendo, & internecione delendis omnibus barbaræ gentis primogenitis, deputatus est Deus, de quo Exod. 12. 29. sic dicitur: *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti*. Concubiâ nocte iratus Dominus iustæ indignationis suæ acutum gladium vaginâ exemit, eoque obtruncauit quotquot maximos natu Ægyptus habuit, tam non parens regiæ basilicæ, quàm nec obscuro, rusticanoque gurgustiolo. Audiamus Origenem, cuius ex homil. 4. in Exod. sunt ista: *Illa non mihi minus intuenda videtur obseruatio, cùm quadam verbera Aaron inferre dicitur Pharaoni, quadam Moyses, quadam ipse Dominus*. Quando verò prodiit Dominus, vt pœnas, quas decretas habebat, infligeret? *In decimo verò finis, & perfectio totius operis à Domino ministratur. Ita enim scriptum est: Factum est circa mediam noctem, & Dominus percussit omne primogenitum in terrâ Ægypti*. Itane verò extremæ scenæ, & finali plagæ, & vltimo supplicio, cruciabilissimoque dolori inferendo, supremus ille reseruatus est monarcha? Omninò, idq; vt omnes intelligerent, ipsum omnium etiam priorum suppliciorum fuisse autorem, admirabilemque à terribili, & intolerabili seruitute liberationem, non Moysi, vel Aaroni, non virgæ, vel alteri cuiuis instrumento, sed inuictæ ipsius dextræ, & omnipotenti brachio ferri debere acceptam. *Finis, & perfectio totius operis à Domino ministratur*. Nisi enim Dominus libertatis Hebræorum tragicomediam obtruncatione Ægyptiorum confecisset, ac finîsset, nunquam funesta illa repræsentatio absoluta fuisset. Omnia hæc ita disposuit Dominus, vt cognosceretur, ab ipsius manu venisse vniuersa, tamque accuratum, & exquisitum libertatis modum, nulli præterquàm ipsius valentissimo brachio adscribi debere.

Deus vltimam plagam inflixit Aegyptiis, cæteras Moyses, & Aaron, Cur?

Perdignum expensione est, quod Moyses refert de Patriarchâ Noë sciendi cupido, num terra diluuio nuper contecta iam tantillum siccata esset, vt habitationem hominibus commodam permitteret. De hâc re sic scribit: *Aperiens Noë tectum Arcæ aspexit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ*; Gen. 8. 13.

Obseruauit hîc Henricus Castaneus in libr. Exercitat. suarum in c. 8. Gen. quod tectum Noë aperuit, vt videret, an habitationi apta esset, cùm fenestram haberet arca, quam c. 6. v. 16. facere iussus erat, & ostium ex latere, vnde totam terræ conditionem satis dispicere potuisset. *Noë non fenestram, vt anteà, quod ad superficiem terræ contemplandam sufficiebat, sed ipsum arcæ tectum aperuit*. Quamobrem verò ad cognoscendum terræ statum tectum aperuit, non fenestram, quæ ex latere erat, cùm hinc commodiùs id explorare potuisse videatur, quàm è tecto, vnde cœli serenitatem potiùs, quam terræ siccitatem perspicere potuit? Quid mouere potuit sanctum Patriarcham, vt superiora Arcæ priùs, quàm inferiora aperire vellet?

Moyses è tecto Arcæ explorauit terræ siccitatem. Cur non è fenestra?

Respondet Autor, quem dixi, inquiens: *Quoniam inferiora in superioribus concluduntur, ad terrena exploratè perspicienda, priùs superiora perlustrari necessitas exigit*. Certum habebat beatissimus Patriarcha, è cœlo venisse supplicium diluuij, quo terra tota vastata fuit, è cœlo cum aquis descendisse iram Dei, quæ extinxit quidquid extra Arcam vitâ præditum fuit, quare tectum Arcæ denique sustulit, vt cœlum primò arbitraretur, mox

tur, mox terram consideraret, nam si hanc aridam, habitabilemque optabat, nouerat hoc aliunde, quàm è cœlo venire beneficium non posse: *Ad terrena explorate perspicienda, prius superiora perlustrare necessitas cogit.* Denique omne beneficium, omnis gratia, omnis facultas, siue ea naturalis sit, siue acquisita, è diuinâ, & liberali Domini manu profluit, ac dimanat. Libertas, sapientia, prudentia, opulentia, expedita loquendi promptitudo, & quidquid aliud gratiarum, sunt Dei gratuita dona, adeòque illi tanquàm fonti, & scaturigini omnium pro omnibus humiles, & immortales referendæ gratiæ.

CAPVT VI.

Quomodo saluari absque perseuerantiâ creatura queat, cum absque eâ saluare, & redimere creaturam Saluator, & Redemptor ipse non potuerit?

Perseuerantia parens vnica salutis.

ALiud mysterium eruere ex admirabili flammæ, & columbæ prodigio possumus. *Ex eodem fulgure columba exijt in Iordanem, turbansq; aquam reuolauit in cœlum,* inquit S. Amphilochius. Magnum Sacramentum, quod ex flammâ ignis nata columba fuit! Quid nos voluit cœlum tali docere portento? Id, quod in limine huius capituli indicauimus, nempè eum, qui in cœlum pernicis columbæ instar euolare velit, ardentem ignem esse debere, qui naturæ suæ impulsu, & genitali procliuitate sursùm contendit, vt in suâ sphærâ conquiescat. Ita Christianus quisq; tanquàm flagrans ignis debet constantèr sursùm conari, & perseuerantèr ad superiora anhelus eniti. Nam animosè inchoare, & sacra exercitia ingenti cum feruoris impetu aggredi, & mox languescere, & animo deficere, tepidèque, & ignauitèr subsistere, est vanè laborâsse. Ex huiusmodi feruoribus nulla vnquàm in cœlum columba euolabit. Vt ergo lætitiam quis consequatur cœlestem, & æternam, debet vt feruenter inire, sic & ardenter, perseueranterq; absoluere curriculum, quo ad illam contenditur.

Huc appositè faciet, quod sanctus Matthæus de ciuibus Genesarethanis memorat, nimirùm eos, postquàm Saluatoris nostri omnipotentem virtutem exploratam habere cœpissent, primùm quidèm illi obtulisse omnes ægrotos, & malè habentes, vt solitâ suâ pietate ergà miseros vteretur, eosque suis infirmitatibus leuaret, dein verò etiam quàm demissè obsecrâsse, vt sacræ vestis suæ oram extremam extremis reuerenter attingere digitis permitteret: *Et rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent*; Matth. 14. v. 36. Promisit Dominus, inclinatus eorum precibus, vt ardentibus humi prostratorum supplicum desiderijs fieret satis, & extremum sacri vestitus marginem venerabundis manibus vsurpare possent.

Quid verò ex hoc deuoto, & religioso studio consecutum fuit? Illud, quod euangelista his verbis subnotauit: *Et quicunq; tetigerunt, salui facti sunt*; ibid.

Singulare mysterium habet, quod euangelista adnotandum, submonendumque putauit, omnes persanatos, saluosq; factos esse, quicunque vestis dominicæ fimbriam, siue oram extremã attigerunt.

Quid eo annotamento Spiritus Domini monere nos voluit, quod *quicunq; tetigerunt, salui facti sunt?* Quid sacris literis fimbria vestimenti significat? Ex sententiâ Magni Gregorij, & dulcis Bernardi, & Venerabilis Bedæ, & sancti Paschasij Radberti, & Wolmeronis Abbatis, & Strabonis Fuldensis, & Glossæ Angelicæ, & aliorum plurium, fimbria, siue extrema vestis ora est perseuerantiæ typicum symbolum, & hieroglyphica nota. Quod ergo euangelista scribit, illos saluos factos, qui fimbriam vestitûs dominici attigerunt, & ad extremam oram vsque peruenerunt, tali narratione id secretò commonere voluit, illos salutem consecuturos perpetuam, æternùmque saluandos, ac beatos semper futuros, qui

vsque

vsque ad fimbriam, vsque ad vitæ præsentis marginem, & finem vltimum in officijs Dei constantes perseuerabunt, perque durabunt.

In hâc cogitatione fuit Venerabilis Pater Simon de Cassiâ libr. in Euang. cap. vltimo, vbi in superiora Matthæi verba sic differit: *Fimbria ista, vt perseuerantiam sonat, ornamentum est virtutum, quoniam ipsa fimbria ponebatur in fine cuiuslibet vestimenti, in designationem perseuerantiæ, quæ sola inter virtutes nanciscitur præmium, quoniam non qui inceperit, sed qui perseuerauerit, hic saluus erit.* Nam vt Philo Carpathius lib. 5. in Cant. ait: *Multorum est incipere, perpaucorum admodùm benè cœpta finire.* Innumeri planè sunt, qui incitatissimè, maximoq; cum impetu adoriuntur sacrarum opera virtutum, sed non multò post intepescunt animis, & quoniam vsque ad perseuerantiæ lineam vltimam excurrere desierunt, & benè agendi finem ante fecerunt, quàm vitæ, idcircò æternæ quietis immarcescibili coronâ non fuerunt redimiti, hæc enim intrepidis illis, & laborum difficultati cedere nescijs seruatur, qui ad supremum halitum vsque constantes perdurant.

Perseuerantiæ donum paucorum.

HocApostolus sub metaphorâ eorum, qui certatim ad promerendum præmium currebant, indicauit 1. Corinth. 9. 24. dicens: *Ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium.* Constituta est certa remuneratio, pendet corona victoribus proposita, plurimi sunt, qui ad eam aspirant, & quantâ maximâ possunt pedum celeritate, vt eam obtineant, contendunt, sed omnium, quotquot eam anheli appetunt, vnus assequitur, *vnus accipit brauium.* Quis iste vnus, qui omnibus cursûs pernicitate, & sortis felicitate excellit?

Perseuerantia vna brauium accipit.

Respondet Seraphicus Doctor sanctus Bonauentura in ps. 67 inquiens: *Omnes currunt, sed vnus accipit brauium, de virtutibus potest dici. Nam virtutes ad regnum Christi currunt, sed vna sola accipit brauium. Nam currunt paupertas, eleemosyna, obedientia, abstinentia, patientia, sed sola perseuerantia coronatur. Nam qui perseuerauerit in finem, saluus erit. Non enim incipere, sed perficere pro virtute habetur.* Vltronea bonorum temporalium contemptio, & abdicatio spontanea, & abhilari animo profecta facultatum in pauperes erogatio, malarum cupiditatum moderatrix temperantia, religiosa victûs parsimonia, fortis ærumnarum, & quarumuis aduersitatum tolerantia, omnesq; simul virtutes incitato cursu petunt regnum, cui Princeps æternitatis præsidet, verùm sola ex omnibus *perseuerantia* laurum assequitur, & *coronatur.* Atq; vt Simon de Cassiâ paulò ante citatus aiebat. *Sola perseuerantia ex agonibus portat brauium, & coronam. Ipsa est omnium virtutum, & bonorum vltimum ornamentum. Frustrà sudatum est in actione virtutum, si non aderit finis laus.* Perseuerantia est decentissima Christianarum actionum obsignatio. Inanis est omnis delassatio, vana omnis cursûs, & laboris contentio, quam digna laude clausula, & felix finis destituit.

Admirabilitèr conducet causæ nostræ, & rei, quàm tractamus, corroborandæ quædam melliflui Doctoris commentatio, qui fixâ cogitatione multùm inhæsit ijs Verbis, quæ Sospitatori nostro à sacrilegis, ac nefarijs eius æmulis dicta fuerunt eâ tempestate, quâ ille flammis immensi amoris ardens cruentum ignominioso in crucis ligno holocaustum æterno Patri pro totius mundi redemptione offerebat. Verba eiusmodi erant: *Alios saluos fecit, seipsum saluum facere non potest. Descendat nunc de cruce;* Matth. 27. 42. Quis verba tam blasphema, nisi reprobus omnis mendacij pater dictare potuit? Alios saluauit, aiebant, saluare seipsum non potest. Itemque: *Descendat nunc è cruce.* Itaque hâc ratione seipsum saluare posse arbitrabantur, si ex atroci crucis equuleo se demitteret, in quo peracerbos cruciatus tolerabat.

Hæc verba dæmonis per infidos Iu-

dæos prolata sanctus Bernardus Serm. 1. in die S. Pasch. ita perstringit: *Immò verò si descenderit, neminem saluum faciet, cùm enim saluus esse non possit, nisi qui perseuerauerit vsq; in finem, quantò minùs poterit esse saluator? Nouit, inique, quid cogites, non tibi dabit occasionem surripiendæ nobis perseuerantiæ, quæ sola coronatur.* Videbatur id optare veterator hostis, vt Christus cruce solutus, liber, ac saluus euaderet? Verùm è contra euenisset, & tam non sospitâsset quenquam, nisi in cruce perdurasset, quàm saluari nemo, qui non perseueret in bono, potest. Peruidit callidi cacodæmonis perniciabilem cogitatum Dominus, quod is huc iret, vt propositum nobis perseuerantiæ prototypon eriperet, ipsamq; adeò virtutem adimeret, quæ sola est omnium religiosarum exercitationum, & piorum laborum corona, & gloria. Quàm insigniter illud à Bernardo dictum: *Cùm saluus esse non possit, nisi qui perseuerauerit vsque in finem, quanto minus poterit esse saluator!* Perseuerantia, vel conditio, sine quâ non, vel forma, vel anima est virtutum omnium, quâ sine salutem mundo nec ipse Saluator attulisset, qui si à cruce seipsum, vt blasphemi hostes consulebant, exoluisset, neq; cruciatus suos ad extremum vitæ spiritum vsque constanter tolerasset: neq; vita mundo reddita, neq; reseratum cœlum, neq; expugnatus, spoliatusq; infernus fuisset; sed omnia in vetere, misero illo, statu mansissent. At si perseuerare oportuit Saluatorem, vt saluos nos præstaret, quomodo salutem consequi absq; perseuerantiâ quisquam possit? Si humanæ saluti procurandæ omninò necessaria fuit perseuerantia Salvatori, quomodo sperat salutem consequi posse creatura, quæ non curat perseuerare?

Defixus meditatione in hac tam salutari doctrinâ sanctus Iob c. 29. v. 18. aiebat: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.*

Difficile aliquid hisce in verbis beatissimo Patri Gregorio occurrit, quid nempè causæ, quod patientissimus Iob magis vt palma, quàm alicuius cæterarum arborum instar vitam finire optarit, cùm mortis suæ exemplar à similitudine cuiusuis alterius arboris expetere potuerit.

Hanc dubitationem diluit libr. 19. Moral. c. 19. dicens: *Habet palma, quo à cunctis arborum generibus distat. Omnis namq; arbor in suo robore iuxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur. Palma verò minor ab imis inchoat, & quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit.* Quod ergo sacer Patiens optabat in morte suâ similis esse Palmæ (*sicut Palma multiplicabo dies meos*) indicare voluit, vt Deo in fine curriculi sui placere posset, cupere tunc palmæ similitudinem habere, cuius extrema sunt ampliora, & augustiora, & diffusiora, quàm initia. Tales debent esse serui Dei, inquit Gregorius, palmæ scilicet, non aliarum arborum similes: nam hæ quidem inualescunt, & crassescunt eâ parte, quâ ab radicibus primùm assurgunt, sed quo magis crescunt, eò attenuantur ampliùs, Palma verò ijs palmam eripit, simulque & proceritate, & vastitate, & amplitudine in supremo vertice augescit. Serui ergo Dei non debent pro arborum aliarum similitudine ardenter incipere, & paulò post intepescere, sed Palmæ instar, si cùm palmâ, & victoriâ cursum vitæ optant absoluere, in fine dilatari virtutum copijs, augescere meritorum affluentiâ, bonorum operum opibus, & conatu proficiendi, etiam sub extremo vitæ defectu inualescere.

CAPVT VII.

Vt cuiquam præsagias, fore vt frigescat, non alio opus est, quàm vt intepuisse probes.

SPiritualia vitæ, & religionis Christianæ exercitia magno & animo, & ardore suscipere necessum est. Nam si Prophe- Frigescet facilè, qui semel in-

tepescere cœpit. Aqua ad natiuam frigiditatē procliuiter redit

Propheta regius ps. 21. v. 15. dicere potuit; *Sicut aqua effusus sum*; ego similiter affirmo, esse quasdam animas aquæ similes, quæ illius instar facilè effundantur. Aqua quantumuis caleat, & ferueat, simul atque ab igne submouetur, ad priorem suam frigiditatem reuertitur. Similiter cum animabus agitur. Feruentes licet viuant, ardeantq; piorum vsu exercitiorum, si tamen remittere de feruore, & ab igne sollicitudinis elongari, minusq; diligenter spiritualia tractare studia incipiant, ad veterem frigiditatem procliuiter redeunt, & in vanitates, & insanias falsas leuiter effunduntur. *Sicut aqua effusus sum.* Itaque cùm videmus animam tepidam, futuram frigidam indubitatò illi prædicere possumus.

Propheta regius loquens de quodam, qui intrà secretos cubilis sui recessus scelus aliquod adornabat, sic ait: *Astitit omni via non bonæ, malitiam autem non odiuit*; psalm. 35. v. 5.

Notandum, quod sacer Propheta vult nobis indicare enormem peccatorem, & illum per negationes definit. Astitit omni viæ *non* bonæ, malitiam *non* odiuit, inquit. Peccator est, de quo Propheta loquitur, hoc enim nomine illum donat, inquiens: *Dixit iniustus.* At si perditum peccatorem descriptum offerre volebat, nonne meliùs fuisset dixisse apertè, abhorruisse à virtute, quàm affirmasse, nō odisse malitiam? *Malitiam autem non odiuit.*

Cardinalis Caietanus ait: *Minus dicit, & plus significat, scilicet quod malum amplexus est.* At si Dauid significare voluit, quod iniustus singulari cùm voluptate amplexus est improbitatem, dicere absolutè potuit, *iniquitatem amauit.* Cur ergo potiùs dicere voluit, *malitiam non odiuit*? Id hauddubiè fecit, vt nobis indicaret, quàm sit periculosus tepidorum status, quàm facilè, qui tepent, frigescere incipiant. Nam vt perditissimè flagitiosum aliquem depingas, non aliis vel coloribus opus est, quàm quibus tepidum exprimas, aut verbis, quàm quibus dicas, non odisse malitiam, non abominatum fuisse scelus, non detestatum improbitatem.

Tepidorū status quā periculosus.

Irascebatur quondam, neque parùm, aut leuitèr Dominus, turpi rusticitati eorum, qui ad opulentum, splendidumq; epulum inuitati noluerunt admittere beneficium, quod gratis præbeneuolenterque oblatum fuerat famulumque rursùm tali cùm mandato emittebat: *Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc*; Lucæ 14. 21.

Notandum quod Theophilus Antiochenus lib. 3. in euang. *luscos* vocat eos, quos noster vulgatus textus dicit *cæcos*, tanquàm altero solùm capti fuerint oculo, quos euangelista cœcos appellauit. Sed quomodo lusci, hoc est, vno tantùm lumine orbi, dici cæci possunt? Mysterium subest rei præsenti percommodum, id nimirùm, quod vtroque oculo priuatus, hoc est, prorsùm cœcus appellari potest, quisquis vno tantùm ad spiritualia exercitia vtitur. Si quem enim tepidum inuenias, hunc frigidum fore affirmare certò potes.

Cœcus est qui ad virtutum operalusc°.

Verùm quòd non aqua solùm, verùm etiam terra sit hieroglyphicum animæ symbolum, id sacri Expositores magno consensu docent, in quibus Lauretus, Ricciardus, Pierius, Geminianus, Berchorius, Georgius Venetus, & alij sine numero. Vnus omnium instar sit Propheta pœnitens, qui psal. 142. v. 6. aiebat: *Anima mea sicut terra sine aquâ tibi.*

Videamus nunc qualis terra primulis mundi conditi diebus fuerit. *Terra erat inanis, & vacua*; inquit sacer Chronologus Gen. 1. v. 2. Symmachus apud S. Gregorium Nyssenum in Hexam. & verba sic transtulit: *Terra erat iners*, hoc est, segnis, ignaua, desidiosa, remissa, tepida, omnes enim hi significatus vni illi vocabulo, *iners*, subsunt. Alij verterunt: *Terra erat inanis, & nulla*; Theodotion verò, & Aquila: *Terra erat nihil, & nihilum*, hoc est, semel, iterumque, siue bis ni-

bis nihil. Coniungo nunc omnia. *Terra erat inanis & vacua*, & inferiata, & remissa, & tepida, *erat iners* denique. Sed quare de eadem dici potest, quod *erat nihil & nihilum*? Vt mysticè admoneamur, dissolutum, remissum, negligentem, desidem, languentem, tepidum, inertem nihil distare à nihilo, aut nihilo minus quid esse, si tamen illo minus aliquid esse possit. *Erat iners, erat nihil, & nihilum.* Vt ergo terra, animæ typus, nihil, & nihilum erat, quæ inanis, quæ vacua, quæ feriata, languida, iners, sic anima, quæ negligentiùs agere, remittere de curâ, & solicitudine, & feruore, ac intepescere incipit, in nihilo virtutum, & spiritualium exercitiorum numerari potest. Quæ *iners*, eadem *nihil* est *& nihilum.* Si quam tepidam esse probâsti, eandem frigidam futuram euicisti.

Tepidus, & remissus homo à nihilo nihil distat.

Nemo magnum putabit, quod hîc diximus, qui Dionisium Vticensem dicentem audiat, quantum studium, quanta cura, & diligentia ad continuam terræ culturam adhiberi debeat. Is lib. 2. de Agricult. c. 49. sic habet: *Si vnam saltem diem praterierit, operarum ordinem subuertet, & non solum præsentes fructus lædet, sed ipsam terram peiorem reddet.* O cælo vsibus terræ animæ nata doctrina! Si ad pauculum tempus laborem piorum exercitiorum intermittas, si pensum spiritualis operis è manu deponas, si cursum, quo ad perfectionis culmen contendebas, vel tantisper sistas, quàm citò vitiatur affectus, & frigescit spiritus! *Si vnam diem præterieris*, quàm desidiosè, quàm tepidè, quàm tardè, quàm impeditè & ignauiter ad sacra exercitia redit! Quid causæ? Quoniam anima est aqua, est terra, quarum altera ad antiquam frigiditatem se recipit, mox vt ab igne submota fuerit, alterâ sylueścit, nisi rastris, ligonibus, vomere perpetuò subigat, qui colendam suscepit. Itaque si quam animam negligentem, incuriam, tepidam videas, dic esse nullam, & nihili. *Erat iners, erat nulla, erat nihil, & nihilũ.*

Terra cõtinuam culturam requirit, peritque nisi habeat

Intermissio spiritualium exercitationum damnosissima.

In humanis adeò literis lucem inuenimus, ad quam id videre possimus. Æneas loquens de ærumnis, quæ illum inter fatale Troiæ excidium infestarunt, vidensque se varijs curis ad ferendum pluribus rebus afflictis remedium vocari, Didonem Reginam (quando luctuosam iacturam, & conflagrationem tam opulentæ, & copiosæ ciuitatis intra breue tempus narrabat) hospitem suam sic appellabat:

Hic mihi nescio quod malè numen amicũ
Confusam eripuit mentem. Æneid. 2.

Tale est, quod ait: Tam ingentes inter furentis incendij, & flammarum globos quidã non satis propitius Devs meus ab animo seuocauit, quo factum, vt charam coniugem meam Creusam perdiderim.

Donatus in commentario illorum versuum ait: *Malè amicum numen, inimicum numen accipiunt.* Iuxtà hæc dicere Poëta voluit, capitaliter infensam fuisse deitatem, quæ attentionem Æneæ ademerit, animumque totum conturbauerit. Cur ergo malè amicum, & non potiùs inimicũm numen vocauit? Nonne satius, consultiùsque fuisset, inimicum, vti reuerà erat, sic & vocâsse, quàm malè amicum numen? Voluit ita loqui Poëta, vt sententiam nostram, & causam præsentem confirmaret, comprobatumque daret, tam esse facilem, pronumque à tepore ad frigus transitum, vt sat sit dicere, esse quempiam malè amicum, quo intelligatur, esse inimicum. Nam frigidè amat, quisquis malè amicus est, quàmque certò frigescet, quod intepuit, tam indubitatò infensus hostis fiet, qui remissè diligere, & malè amicus esse cœpit. Itaque cùm, *malè amicum numen*, dixit, tantundem fuit, quantum si *inimicum numen* dixisset.

Pulchram nobis hâc de re doctrinam regius Propheta reliquit, quando ait, non ante vacare, aut qualemcunque corpori remissionem permittere velle, quàm sumptuosam, & magnificam Deo basilicam excitârit, dicens: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, &*

requi-

requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob; pſ. 131. 4. 5.

Expendit in his ſanctus Auguſtinus animi conſilia Prophetæ regij, qui, vt ſemper vigilaret, propoſitum habuit nunquàm temporibus requiem aliquam permittere. *Non Vult oculis ſuis dare ſomnum, nec palpebris dormitationem*, inquit aquila Doctorum. Sed quid eſt, quod vt in perpetuis vigiliis ageret, etiam nunquàm dormitandi neceſſitatem ſibi ſeuero propoſito impoſuit, temporibus etiam, nec quod ſomni periculum incauto obreperet, omni requie interdixit? *Si dedero palpebris magis dormitationem, & requiem temporibus meis.* Quid inſomnes illæ capitis partes, quas tempora vocamus, huc faciunt, vt nequam ex ſomno quietem capiant oculi? Reſpondet Auguſtinus: *A requie temporum ſomnus Venit ad oculos.* Vt ergo perpetuò experrectus rex peruigil viueret, dicit non ſolùm non dormitare, ſed nec momentaneam quietem permittere temporibus ſuis velle. Si tepor inuadat tempora, certò occupaturum oculos eſt frigus: *A requie temporum ſomnus Venit ad oculos.* Hinc accipiant, quicunque ſpiritualis profectûs ſunt cupidi, quàm ſolicitè, quàm feruentèr tractare ſpiritualia exercitia debeant. Anima namque aquæ ſimilis eſt, & naturaliter ad ſuam frigiditatem ſe recipit, cùm adeſſe igni feruoris, & vigilantiæ deſinit, cùmque intepuerit, mox illi frigiditatem, demùm etiam extremam perniciem præſagire poſſumus.

Capvt VIII.

Vt optatum finem vltimum aſſequamur, non pedetentim adeundus, ſed curſu ad illum contendere oportet.

Cœlum curſu petendum.

IGnis fuit, qui in caput Magni Baſilij deſcendit, vt nouus Chriſti miles initiaretur. Et ex igne columba erupit, quæ alarum incitato remigio cœlum feſtinatè petiit. Ex *fulgure columba exiit, quæ reuolauit in cœlum.* S. Amphilochius in vitâ S. Baſilij. Hoc myſterium indicatum fuit, viuum ignem in virtutis itinere debere eſſe animam, quæ velocibus columbæ alis volare in cœlum cupit. Volo dicere, ſancta exercitia cùm magno ardore, contentione, curâ, ſolicitudine ſuſcipienda ab eo, qui ad beatitudinem aſpirat. Nullum enim in hac vitâ tam ſeriò, tam contentiosè, tam feruenter, & ſollicitè curare, ac tractare debemus, quàm vnicum ſaluandarum animarum noſtrarùm negotium, hoc quippe omnium vtiliſſimum eſt, & mométoſiſſimum.

Dum charæ ſuæ coniugis admirabilem venuſtatem Sponſus deprædicaret, aiebat: *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxtà fluenta pleniſſima*; Cant. 5. 12.

In his verbis obſeruauit S. Gregorius Nyſſenus, oculos Sponſæ, ſiue animæ ſanctæ comparari cùm columbis, non quæ circà profluentes aquas volant, ſed quæ *reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Sed quare anima cum his confertur columbis, quæ reſident proximè fluenta, iiſque fixè imminent, ac velut inhærent? Nimirùm vt nobis documento ſit, inquit Nyſſenus, eas animas eſſe verè charas ſponſas Chriſti, quæ vnum aſſiduè, continuè perquàm ſtudiosè velut ex otio curant æternæ ſuæ ſalutis negotium, omneſq; animi cogitatus ad illud vertunt, in quo totius felicitatis noſtræ cardo vnicè verſatur. Audiamus Nyſſenum verbis ſuis hac de re diſſerentem. *Perpetuam Velut aſſiduitatem attentionis noſtræ in diſcendis rebus diuinis dictum hoc requirit, dum puros oculos laudat, docens interim nos, quo pacto pulchritudinem oculorum conſequi poſſimus, nimirùm nunquàm non ad aquarum copias ſedendo.* Cùm ergo dicitur, oculos Sponſæ eſſe quales columbarum, quæ ſedem fixerint proximè decurrentes aquas, admonentur animæ, vt ſi oculos terſos, mundos, vigileſque habere velint ad contemplandum res ſubli-

Columba non volãti ſed iuxtà fluenta reſidẽti Spõſa comparata. Quare?

ſublimes, & cœleſtes, curent ſemper adhæreſcere fluentis aquarum, vt ijs ſeſe diluant, & purificent. Nam ſi aquarum nomine intelliguntur ſacræ ſcripturæ, earumq; myſteria, in quibus animæ lauantur, & mundantur, fixè, aſſiduèque imminere huic balneo neceſſarium fuerit. *Quæ reſident iuxta fluenta.* Niſi enim quis toto pectore incumbat in rem tam neceſſariam, niſi ſummam ſollicitudinem ad ſaluationis negotium ſummum adhibeat, nunquàm felicitèr perficiet opus, in quo ſaluationis ſumma tota vnicè eſt poſita.

Attentam meretur conſiderationem, quàm ſæpè in ſacris literis ſuprema Domini noſtri maieſtas in ignis elemento adumbratur, & declaratur. *Dominus Deus tuus ignis conſumens* eſt Deut. 4. 24. *& in dexterâ eius ignea lex,* Deut. 3 . 2. Et in pſal. 103. 4. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem.* Et de Spiritu Sancto ait beatus Lucas Act. 2. 3. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquàm ignis.* Et alibi plura his ſimilia, Deus ignis eſt, & lex eius ignis, & miniſtri ignis, & Spiritus illius in figurâ ignis deſcendit.

Ignis Deus eſt, ſeruitiaque, & omnia habet ignea. Quo myſterio?

Hæſit hac in re vir quidam illuſtris, deque eâ ſanctum Iſidorum Peluſiotam per literas conſuluit, quærens: *Quid cauſæ eſt, quod omnia ferè ignis appellatione notentur?* Refert Peluſiota libr. 4. epiſt. 66. In domo Domini omnis ex igne ornatus eſt. A ſupremo Domino ad extremos famulos vſque omnes igne ſunt veſtiti. Quamobrem ignis potiùs, quàm alteriùs cuiuſuis elementi nomine cenſetur, quidquid præcipuum cœlorum baſilica habet?

Huic quæſito reſpondet ſanctus Peluſiota vbi ſuprà, dicens: *Nam cætera elementa, aliaq; corpora terram, ignis cœlum deſiderat. Et illa quidem motum deorsùm nôrunt, iſte verò ſursùm affectat viam.* Hoc ergo ignis ab alijs mundi elementis differt, quod hæc deorſùm ad centrum ſuum natiuo pondere ſuo vergunt, ille verò ſursùm ſemper enititur, & ſuperiorem cœli regionem petit, *cœlumq; deſiderat.* Quod itaque Deus ignis vocatur, & miniſtri eius idem nomen habent, fit vt intelligamus, quomodo ſuſcipienda ſint animæ negotia, quàm ſerio ſtudio, quàm enixâ diligentiâ, quantâ animi alacritate, & contentione tractanda, nimirùm vt cùm in eis verſamur, non cæterorum elementorum conditionem imitemur, ſed ignis naturam planè induamus, cùm hic ſolus ſit, qui continuo motu, & tremulâ agitatione altum ardenter appetat, & ad cœlum velut anhelus aſpiret, *cœlum deſideret.* Sic enim vota noſtra obtinebunt, ſic deſideria optatum conſequentur effectum. Deſideria verò, quæ non ab anhelo, & ignis inſtar ardente pectore proficiſcuntur, caſſa erunt, & fine ſuo fraudabuntur, nec adipiſcentur, quod cupiunt.

Ignis cœlum ſemper deſiderat.

Ignis ſit, qui cœlum appetit.

Succedat docto diſcipulo eloquentiſſimus magiſter, & illius eruditam obſeruationem commodâ conſideratione excipiat, confirmetque. Exhortabatur ſanctus Apoſtolus Paulus ſtrenuos Ieſu Chriſti milites, vt ab his, qui in ſtadio certatim pro conſtituto præmio currunt, diſcerent, quanto animi impetu, quanto virium omnium niſu contendere deberent, vt immarceſcibilem illam coronam, & ſertum quietis æternæ obtinerent. *Neſcitis,* inquiens, *quod qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite, vt comprehendatis;* 1. Cor. 9. 24. Nec magnum quid agetis, ſi pro hominum imitatione, quorum eſt tam pertinax pro caducâ lauro concertatio, etiam vos curſu contendatis, vt æternum otium, ſemper futuri beati, obtineatis.

Obſeruauit in his Chryſoſtomus, quod Paulus id, quo immortalis corona in vitâ mortali comparatur, curſum vocat, non ambulationem, aut qualemcunq; greſſum. *Sic currite.* Quidnam ille, qui currit, præ eo facit, qui ambulat, aut pedetentim progreditur? Chryſoſtomus id exponet. *Qui currit, nullum videt ex omnibus, etiamſi ingrediatur per prata,*

Cœlũ quære curſu petendũ.

etiamſi

etiamsi per loca arida, & aspera. Qui currit, non aspicit ad spectatores, etiamsi laudetur, etiamsi contumeliâ afficiatur, etiamsi lapidibus appetatur, in hoc solùm est, vt currat. Sic ille in c. 4. ad Hebræos Orat. 7. in morali. Hoc differt tardus viator à celeri cursore, quod ille per viam sæpè cunctatur, & propè omnia circumspicit, omnia attendit, & facilè hæret, gradumq; sistit ob quamlibet rem, quæ se illi per viam offert, vel occurrit: Cursor verò non deflectit alio oculos, siue per viridantes campos feratur, siue per densos vepres, & spinosos, hirsutosq; dumos contendat, seu quis laudibus illum ornet, seu probris dehonestet, hoc solùm habens propositum, hoc vnum sollicitè, & inhianter cupiens, vt curriculum suum feliciter conficiat: *In hoc solùm est, vt currat.* Omnis illius conatus, & cogitatus in vno cursu est collocatus. In horum consideratione positus S. Paulus, aiebat fidelibus, qui laurum immortalem, & pulcherrimæ visionis Dei gloriosum præmium consequi optabant: *Sic currite*; velut alijs verbis dixisset: Animaduertite quicunq; felix, ac beatum illud præmium impetrare cupitis, quod tam opulentum, pretiosumque monile non morosâ ambulatione, non segni, cunctabundoq; gressu, sed celeri, & incitato cursu persequi, & appetere debetis. Nam si is, qui currit, *in hoc solùm est, vt currat*, in eoque totam suam mentem defixam habet, nec eam aliò inflectit, multò magis homo Christianus, qui adipisci beatitudinem optat, cursu ad illã contendere debet, non cunctanter ambulando pergere, sed quàm maximè seriò, & enixè potest, negotium saluationis tractare, nec alteri cuiquam negotio attendere, quod non sit directum, destinatumq; quantum fieri possit, ad vnicum illum, ac beatum finem, cuius gratiâ creati sumus. Nam si negotium istud suscipiat ambulonis instar, non quomodo curriculum suum cursor solet, vereor ne demùm rubore, & pudore suffundatur, & cum morosulis virginibus fatuis inexpectatam repulsam infelix procrastinator ferat.

Cursor à viatore qui differat.

CAPVT IX.

Tam sollicitè errata nostra tegere, & inumbrare amabilis Dominus noster curat, vt quando necessum est culpam aliquam manifestare, id acerbiùs illum, pœnaliùsque, quàm omnis sua passio afficiat, & cruciet.

NOn dissimulemus, quod etiam sanctus Amphilochius silentio minimè tegendum putauit, estq; illud, quod aquam turbauit columba, quæ ex flammâ erupit: *Turbans aquam reuolauit in cœlum*, inquit ille. Quam ob causam turbauit columba aquam, in quâ Basilius nudus candidam, & diuitem gratiæ baptismalis stolam accepit? Quoniam integumentis omnibus nudatus erat Basilius, ne quid pudendum oculis pateret, concitauit aquas columba. Hoc nempe est candidarum animarum, hoc est, sanctarum animarum studium, turbare aquas, defectus obscurare alienos, & proximorum nuditatem, maculas, errata, sic tegere, vt fiant inuisa, hoc est, oculis aliorum inaccessa. Et reuera quò quisque magis columbinus est, quò magis sanctus; eò studiosiùs, & sollicitiùs, & diligentiùs conatur tegere, & occultare culpas, & infirmitates fratrum, & proximorum.

Id sanctus, & castissimus adolescens Ioseph probatum dabit, quem custodiæ (pro custodiâ, quâ suam aduersùs salacis dominæ suæ fœda illicia tutatus est castitatem) tradidit ille, cui summam præstitit fidelitatem. Quâ de re sic habet sacer Scriptor Gen. 39. 19. *Iratus valde* (Putiphar) *tradidit Ioseph in carcerem, & erat ibi clausus.*

Hîc licet admirari inauditam charitatem, stupendamq; patientiam nobilissimi adolescentis. Quis illum accusauit? Quis vt in ergastulum conijceretur, procurauit; Illa eùm criminata fuit, quæ in istum carcerem conijci merebatur, in

quo innocens Ioſeph detinebatur. Illa per ſummam injuriam dixerat: *Ingreſſus eſt ad me ſeruus Hebræus, quem adduxiſti, vt illuderet mihi*; Gen. 39. 17. Itaq; perfida, perque iura, & laſciua, effuſaq; mulier caſtum adoleſcentem intentati adulterij inſimulauit.

Hîc velim mihi notetis innocentis incredibilem bonitatem, inquit Hieronymus ab Oleaſtro. At cùm tam innoxius, tam procul ab omni cogitatione flagitij, quo de arguebatur, fuit Ioſeph, quomodo tam mutus, tam ferreus, inſenſibiliſq; erat, vt non ſeſe exculparet, non vel aliquid ad ſui defenſionem, purgationemq; diceret, cùm tam multa eſſent, quibus illud ſcelus procul à ſe remouere, integritatemq; ſuam dare conteſtatã poſſet?

Ioſeph infamiam pati propriam maluit, quàm detegere alienam.

Reſpondet inſignis Luſitanus: *Mavult talia ſuſtinere, quàm peccatum eius* (dominæ putà ſuæ) *detegere.* Maluit ergaſtulum, compedes, vincula, duros nexus tolerare, quàm crimen enudare liberæ, & procacis mulieris, à quâ ad rem nefariam inuitatus fuerat. Quæ magis ſoluta, & effuſa mulier, quàm ea à quâ per ſummam improbitatem accuſatus primùm, deinde etiam ad arctam cuſtodiam damnatus fuit? Cùm ita ſe res haberet, obiectumq; crimen facilè refellere, & innocentiam ſuam tutari poſſet, maluit tam immanem injuriam cum inſigni honoris ſui detrimento ferrè, quàm cum diſpendio exiſtimationis alienæ ſeſe purgare. *Mavult talia pati, quàm peccatum eius detegere.* Quò enim quiſque ſanctior eſt, eò magis ſollicitus eſt, vt aliena peccata obnubat, & quàm altiſſimè poteſt, defodiat.

Cùm ſanctus Propheta Samuel populi ſui contumaciam cerneret, quâ magnis vocibus obſtinatiſſimè depoſcebat Regem, qualem nationes cæteræ haberent, videretq; in certam, magnamque illius perniciem ceſſurum, quod tam proteruiter poſtulabat, miſerabatur cæcos ſubditos ſacer judex, quod ſuum exitium ſibi tam præfractè, pugnaciterque accerſerent. Quid autem fecit? *Audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini*; 1. Reg. 8. 21.

Samuel in auribus Domini locutus. Quo ſenſu?

Nouus profectò, & inſolens loquendi modus! inquit beatiſſimus Papa Gregorius. Quid verò eſt loqui in auribus Domini verba, cogitata, errata proximi? Reſpondet: *Fortaſſè in auribus Domini loqui dicitur, quia dum ſancti viri pro peccatoribus obſecrant, preces hominibus non reuelant.* Hæc ille.

Dum quis alteri in aurem quidpiam inſuſurrat, id facit, vt aliorum nemo, quid velit, conſciat, aut intelligat. Quoniam ergo Samuel relaturus erat verba populi inconſulta, & erronea, narraturuſque cauſas à ratione valdè alienas, ob quas regem flagitabant, cùm eas etiam inter ſecretas preces, quas pro illis fundere conſtituerat, commemorare vellet, preſſâ voce velut in aurem Domino ſuggeſſit: *Locutus eſt ea in auribus Domini.* Quanquàm enim illi inconſiderata verba ſua palam edixerunt, publicèq; errârunt, vir Dei nihilominùs tam cautè, circumſpectèq; hac in re egit, vt cum ea repetere deberet, id tam ſecretò faceret, vt velut in aurem Domino ſubmuſſitaret.

Peccata alienaquanto ſtudio viri probi tegunt.

Tanto ſtudio, tantâ curâ, & ſolicitudine prolapſiones, & culpas proximorum ſerui Dei inumbrant, & occultant, vt cùm eas recenſere oportet, tametſi publicæ, peruulgatæq; ſint, facere ſecretas conentur, cùm è contrà peccatores in publicum forum producere ament errata aliorum alioquin occulta.

Neceſſe erat ſancto Euangeliſtæ Lucæ iteratam mentionem facere feliciſſimæ, & Chriſto gratioſiſſimæ peccatricis Magdalenæ, & cùm ante conuerſionem appellâſſet illam nomine peccatricis (*ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix*, Lucæ 7. 37.) cùm de eadem denuò ſermonem facere oporteret, ait: *Maria, quæ vocatur Magdalene, de quâ ſeptem dæmonia exierant*; Lucæ 8. 2. ſequebatur Dominum cum aliis quibuſdam mulieribus.

Cardinalis Caietani annotamentum in hæc verba tale eſt: *Perſeuerat Lucas*

Magdalenæ peccata cautè S. Lucas texit.

in abstinentiâ à turpibus adiectiuis huius mulieris. Noluit dicere, quod subiecta fuerat vniuersis vitiis, sed excusando quodammodò eam, & dæmones accusando, dicit, De quâ septem dæmonia exierant. Cùm primùm conuersionis eius historiam texuit, iamque aliud non posset, peccatricem illam coactè, obitèr tamen, & velut in transitu nominauit: *Mulier*, inquiens, *quæ erat in ciuitate peccatrix*; posthæc verò suo nomine illam designat, dicens: *Maria, quæ vocatur Magdalene.* Et quando peccatricis titulo donauit, non aperuit illius nomen, quod erat *Maria*, neq; agnomen, quod erat *Magdalene*: Postquàm verò de flagitiis famosa esse cœperat, & passim apud omnes propter vitam superiorem turpitèr actam malè audire videbatur, tunc nomen, simulque agnomen illius Lucas detexit, atque ad defensionem eius prorupit, dicens: *De quâ septem dæmonia exierant*; tanquàm dæmones imbecillem sexûs ipsius arcem oppugnârint, ac deiecerint, *excusando quodammodò eam, & dæmones accusando*, velut patrocinium causæ illius susceperit, ac dixerit: Si mulierculam vnam cacodæmones septem infestis armis appetierunt, magnumne est, quod eam superârunt, vel subegerunt? Verùm siquidem eam primis conflictibus deiecerunt, non diu potiti sunt loco semel occupato, auxilii enim, quod Deus illi submisit, opitulatione, & lachrymosorum oculorum tormentis militaribus ab arce animæ suæ eos eiecit, Deoque, & illius præsidio omnem eius potestatem fecit. Tam enixè, tamque solicitè student hominum aliorum malefacta excusare, ac tegere.

Peccata hominum etiam Deus solicitè occultauit.

Sed quid miramur hominum sanctorum tantam hac in re diligentiam, & curam, quando & de ipso Domino legimus, maximâ cautione, & attentione ad inuoluendos, supprimendosque hominum defectus fuisse vsum?

Numerorum 10. c. hæc mandabat Moysi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductilesque, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra. Cùmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba.* Hæc omnia v. 2. & 3. Ad varias functiones insonabant, Dei iussu, his tubis. Postremum officium, ad quod eis vtebantur, hoc erat: *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis*; ibid v. 10.

Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis docta quædam in hanc rem obseruatio sic habet: *Dicitur autem,* super holocaustis, & pacificis victimis, *quià licet essent tria genera sacrificiorum, scilicet holocaustum, pacifica victima, & hostia pro peccato, super solis holocaustis, & pacificis clangebatur.*

Quâ de causâ voluerit Dominus, vt ad sola duo sacrificia, holocausta nempe, & pacificas victimas, neque simul ad hostias pro peccatis insonarent tubis? Quare perstrepebant tubis? Vt clangore euocati magno numero confluerent ad suum ducem, & quò ille prætereà pergere imperaret: *Cùm increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba.* Dicebat ergo Dominus: Ad sacrificia pacifica, & holocausta strepitu tubarum conuocetur populus, vt ad festas solennitates frequens concurrat; verùm ad sacrificium, quod pro peccatis, & erratis proximorum offerebatur, nolebat, vt quisquam insonaret tubis, nec enim amat Dominus frequentem cogere populum, vel congregare turbam, vt culpas, siue errata cuiusquam videat.

Pergamus ad culmen supremæ amplificationis, quam ad confirmandum huius capitis argumentum huic loco reseruauimus.

Necesse habebat amabilis Dominus dicere, quendam eorum, qui epulo omnium, quotquot fuerunt, sunt, erunt, lautissimo, splendidissimoque secum assidebat, tam perfidiosum futurum, vt eum in sanguinarias mortalium, & coniuratorum hostium manus esset traditurus: *Vnus ex vobis tradet me*; Ioan. 13. 21. Ante verò quàm memoraret tam atrox

scelus, & nefandum flagitium, *turbatus est spiritu*, mitissimus Dominus, quod monet S. Ioan. c. 13. 21.

Christus fuit spiritu turbatus, cùm Iudæ scelus prodere coactus

Sanctus Augustinus Tract. 60. in Ioan. in hanc rem istud quærit: *Hinc ne turbatus est Iesus non carne, sed spiritu, quia dicturus fuerat*, Vnus ex vobis tradet me? Et paulò infrà: *An quia iam fuerat expressurus, vt non lateret in cæteris, & discerneretur à cæteris, ideò turbatus est spiritu?* Tam vehementèr turbati spiritûs causa de multis vna ea haud dubiè fuit, inquit Augustinus, quod indicia proditoris sui jam jam proditurus erat.

Et plus inde turbatus, quàm ex proximâ passione.

Sed obseruate discrimen turbationum, quas Christus sustinuit. Quando animoso luctatori imminentis acerbitas, & amaritudo passionis vehementissimum horrorem inijciebat, hæc ille inter cruciatus confitebatur: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*; Matth. 26. 41. Caro defugiebat, caro detrectabat, caro imbecillitatem suam prodebat, spiritus præstò erat, & intrepidus, & ad pugnam ineundam alacritèr paratus. Sed quando peccati, quod Iudas meditabatur, sola etiam indicia quædam daturus erat, *turbatus est spiritu*, siue vt Augustinus notantèr expressit, *turbatus est non carne, sed spiritu.*

Itane verò impendentis passionis terror soli carni turbationem attulit, & dolore tantùm obscurè indicandi Iudæ turbatus spiritu est Dominus! Hinc accipite, & intelligite, quod quantùm interest inter dolores carnis, & spiritûs, quantòque hic illo est vehementior, & acerbior, tantùm distat cruciatus, qui Domino in passione est inflictus, ab illo, quem ex subindicato Iudæ scelere accepit, tantòque est hic illo immanior, & intolerabilior. Quod ergo Dominus fertur spiritu turbatus ob qualemcunque manifestationem Iudæ proditoris, carne autem solâ infirmatus, & afflictus ex consideratione pœnarum, quas proximè expectabat, perinde videtur, ac si dictum fuisset, duræ, & horrendæ passionis sensum non sic penetrâsse ad animum Saluatoris, eumque tam pœnalitèr sauciasse, ac vnum illud, quod Iudæ scelus vtcunque prodere, & patefacere coactus fuit. *Turbatus non carne, sed spiritu, quia dicturus fuerat, Vnus ex vobis tradet me.* Hinc discamus occulere defectus, & negligentias nostrorum proximorum, quandoquidem Dominum tam intolerabilitèr afflixit, quod tam nefarij hominis flagitium vel latentèr indicare debuit, vt videatur hæc res illum cruciabiliùs affecisse, quàm ipsi acerbissimæ passionis, nullis verbis satis explicabiles cruciatus.

CAPVT X.

Quando Dominus inchoat vt ferox leo, optatum id præsagium est, quod finiet vt mansuetus agnus, quando vero vt placida ouicula quidquam orditur, triste prognosticum est, quod vt sæuus leo absoluet.

Ex eodem fulgure columba exijt, turbansque aquam reuolauit in cælum, inquit S. Amphilochius. Admirabile profectò prodigium, quod ex ardente globo simplex columba prodiit. Factum id putem, vt per hoc nobis conditio, ingeniumque Dei patefieret, qui prodigij illius opifex erat, hocque persamiliare habet, vt quando incipit vt ignis, finiat vt columba, quando inchoat vt leo, concludat vt agnus, quando initio se exhibet agnum, demùm ostendat leonem.

Deus initiò blandus posteà efferatur, & mitescit posteà, quando ante à durum exhibuit.

Postquàm dæmonis, ac mortis triumphator Christus, personatus peregrinus digressus esset à duobus discipulis, à quibus inuitatus fuerat, euanuissetque ex oculis eorum, à quibus in fractione panis agnitus, tunc illi mutuò sese compellabant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in viâ?* Lucæ 24. 32. Nonne animus noster inflammabatur sermonibus, quos per viam serebat, dum etiam itinerandi laborem explicatione Scripturæ nobis minuebat? Nullum ore suo diuino verbum fundebat,

bat, quod non esset ardens fulmen, quo pectora nostra suauissimè feriebat, quæcunq; è pulcherrimis illis labijs profluebat oratio, vncus erat, qui affectum nostrum omnem dulcissimè, tenerrimèque rapiebat.

Drogon Ostiensis de mysterio Dominicæ passionis cùm illam Discipulorum narrationem accuratiore indagine perscrutatus fuisset, sic aiebat: *Ardebat intùs columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.* Digna est, quàm notes, intùs ardentis ignis causa, & ratio. Quomodo cæpit suum Dominus cum illis discipulis colloquium? Tanquàm atræ nubes fulminares radios jaciebat, cum stomacho, & vehementi indignatione exclamans, illosque ita compellans: *ô stulti, & tardi corde ad credendum!* Lucæ 24. 25. Tria fulmina ex luridâ nube justæ suæ indignationis ejaculabatur, & altero quidem intellectum, altero voluntatem, tertio memoriam, percellebat; & stultitiæ quidem arguebat intellectum eorum, tarditatis verò memoriam, & voluntatem. Quid post tot fulmina futurum? Quem finem tam sæua primordia habebunt? Illum, quem euentus docuit, quod corda eorum, qui paulò ante grauitèr. & acerbè coarguti, velut colliquefacta fuerunt, & omnia viscera commota, & animi toti amoris incendio vehementèr inflammati, vt dicerent: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* Indubitatum nempè erat, quod qui initiò fulgura tanquam nubes vibrabat, posteà optabiles charitatis igniculos, & amoris flammas subiecturus esset eis, quos ante duritèr increpuerat. *Ardebat intùs columna ignis, quia foris columna nubis loquebatur ad eos.* Illa enim formidabilis leonis sæuitia, nonnisi in mansuetudine agni conquiescere potuit.

In illis Canæ nuptijs, quibus Christus, & virgo Mater conuiuæ interfuerunt, præclarâ, optimâq; occasione vinum defecisse sanctus Ioannes refert. Cœlestis Deipara, vt perquàm generosa, & magnifica erat, confugit ad remedium, filiumque, à quo miraculum quodduis facilè expectare poterat, pro tenuibus recèns nuptis, & confusioni proximis humilitèr interpellabat, dicens: *Vinum non habent*; Ioan. 2. 3. Subacerbè, vt videtur, augustissimæ Matri diuinus Filius respondebat, dicens: *Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum venit hora mea*; ibid. v. 4.

Sanctus Maximus Taurinensis ser. 1. de Epiphan. ait: *Hæc verba indignantis esse quis dubitet?* Nemo responsum hoc audiet, qui non ab animo concitato descendisse affirmet. At videamus, quo euentu, & fructu id nobilissima Princeps obsecrârit. *Dicit Mater eius ministris, quodcunq; dixerit vobis, facite*, ibid. v. 6. certa nimirùm preces suas supplices optatum habituras effectum.

Verùm cùm augustissima cœlorum Imperatrix, tam lætanter, fidenterq; ministris dixerit, vt vinum ingenti miraculo transformandum affluenter, abundèque mox adfuturum certò expectarent, quomodo sanctus Maximus indubitatum habuit, indignantis fuisse verba, quæ pientissimus Filius dulcissimæ Matri respondit?

Occurrit huic dubitationi S. Maximus, dicens: *Sciebat profectò Mater sancta obiurgationem illam Domini, filijq; sui non irascentis offensam prætendere, sed miserantis portare mysterium.* Quanquàm id Filij responsum velut ab acerbo animo profectum videatur, nihilominùs tamen Mater famulis audactèr suggerit, & fidentèr dicit, vt ad omnem cœlestis Magistri iussionem prompti accuratè perficiant, quidquid ille sit imperaturus. Nouerat illius indolem, & conditionem, vt quæ illum pepererat, omneque eius ingenium longo domesticæ, & intimæ consuetudinis vsu perdidicerat. Itaq; sic apud se ratiocinabatur: Nonne cæpit vt leo? Ergo vt agnus finiet. *Ideò venerabilis Maria futura prænoscens sollicitè ministros admonuit: Quodcunq; vobis dixerit, facite*; addit S. Maximus. Ob hoc ipsum, quod Filius Ma-

Christus cùm Matrem obiurgare visus, non offensam prætendit, sed mysterium.

tri du-

eri duriuſculè reſpondet, mandabat his, qui ab officijs menſæ erant, vt expediti ad obediendum adſtarent, magnum illicò viſuri miraculum. Notate illa in verbis Maximi: *Ideò venerabilis Maria*, &c. Hæc ipſa certò ſperandi cauſa Matri Virgini fuit, quod acerbiùs locutus eſſet filius. Nunquàm enim maiore fiduciâ preces noſtræ optatum à propitio Domino expectare effectum poſſunt, quàm cùm ille ſe initiò auſterum, & ſtomachoſum exhibet. Et agnum nobis illum ſub finem certò promittere poſſumus, quando leonem principiò experti ſumus.

Quando auguſtiſſima hæc Virgo Mater tenellum Filium perdiderat, & iam triduo quæſierat, inuenit illum in templo in medio doctorum, quærulaque de tam amarâ, & pœnali abſentiâ ſic appellauit: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*; Lucæ. 2. 48. Quid te nobis ſubducere voluiſti, qui te tam ardente pectore requiſiuimus, vt inflammare aërem flagrantia ſuſpiria noſtra potuerint? Dulci querimoniæ ſtupor doctorum Infans reſpondit: *Quid eſt, quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* ibid. v. 49.

Hæſit S. Bernardus cogitatione in hac ſubauſterâ Filij reſponſione, qui velut ad oſtentationem dominij ſui Deum Patrem appellat, cùm lachrymoſa Mater hominem patrem, Ioſeph inquam, dolentem, lugentemq; induxit. Sic enim aiebat; *Neſciebatis quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Quod perinde eſt, ac ſi perquàm indignabundus dixiſſet: Non eſt, quod de patre, & matre mihi quiſquàm nunc loquatur, cùm ego hac occaſione Patrem agnoſco æternum. Videre hîc eſt, inquit Bernardus, quàm ferocem leonem dulciſſimus puer Ieſus exhibeat. Quis huius tantæ indignationis erit finis? Quonam tandem hæc fulmina ibunt? *Audi quod ſequitur*, inquit ille in ſerm. Domin. infrà octau. Epiphaniæ. *Et deſcendit cum eis, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis*; ibid. v. 51.

Chriſtus ergà Parentes primùm leo, mox agnus

Quàm aptè in rem præſentem dicit Euangeliſta: *Deſcendit cum eis*, hoc eſt, cum virgine Matre, & caſtiſſimo illius ſponſo: Qui velut leo inſurgere videbatur, quaſi agnus deſcendit, & qui dicebat, Patrem non agnoſcere alium præter æternum, iam ſe iuriſdictioni, & iuſſioni ſubmittebat non ſolùm veræ matris, verùm etiam putatiui patris, *& erat ſubditus illis*.

Quàm illuſtre huius veritatis exemplum habemus in eo, quod miti & manſueto Agno cum ferocibus, & ſanguinariis lupis euenit! Dicebant hi ad illum: *Magiſter volumus à te ſignum videre*; Matth. 12. 38.

Fraudem ſubdolæ petitionis ex eo facilè eſt arbitrari, quod plura prodigia; & portenta nunc depoſcant, poſtquàm tam multa ab eo patrata miracula viderunt. His autem ille reſpondit: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei*; ibid. v. 39. Magnam bilem, ingentem commoti ſtomachi ardorem, vehementem indignationem, & plurimum leoninæ ferociæ oſtendit, cùm iſtos nothos, ſpurios, adulterinos, probroſiſſimis nominibus vocat. Quid verò tandem terribilis hic leo faciet? In agnum vertetur. Et vide ſi non eſt ita. Subdit enim: *Et ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ*, ibid. v. 39. Quod illud dicit ſignum Ionæ Prophetæ? Suam mortem, & paſſionem ab illo præfiguratam. Eſtne verò aliud inſignitius, aut luculentius iſto pietatis, ac miſericordiæ ſignum? Nullum. *Commendat enim charitatem ſuam Deus in nobis. quoniam cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt*, inquit Paulus Rom 5. 8.

Notate jam, quod cùm Chriſtus tanquàm ſæuus leo ferocitèr reſpondit, demùm vt manſuetus agnus ſermonem ſuum ſuauiter concluſit; cùmque Scribas, & Phariſæos Iudæorum primores generationem malam, & adulteram initiò vocaſſet, mox eis ſignum flagrantiſſimi amoris, & ardentiſſimæ charitatis pro-

misit, dicens: *Et signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Hoc enim proprium est indulgentissimi huius Domini nostri, & patris, vt qui principio leonem præ se tulit, denique agnum exhibeat.

E contrà verò quando initiò agnum exhibet, indicio est posthæc leonem futurum. Exemplum huius veritatis habemus in illâ regiarum nuptiarum parabolâ, ad quas cùm Rex ingressus esset, vt cupidis hospites suos lustraret oculis, vnum in omnibus inuenit, qui parùm decêtèr, indignèque vestitus erat, quem è proximo adiens sic fuit affatus: *Amice, quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. 12. Quomodo in cætum hominum cultissimè, splendidissimèque ornatorum insinuare te ausus fuisti, cum illo tuo amictu, qui quàm sordidus est, ac fœdus, tam est ab epulo nuptiali regio alienus?

Ioannes Cluniacensis serm. 57. to. 5. ait: *A dulcissimo incipit rex ille verbo, conuiuam illum amicum vocans.* Quid verò illa verborum mella est secutum? Ira leonis mitissimam apellationem excepit, postquàm enim tam blandè, & comitèr de neglecto vestitu interrogauit, statim satellitibus suis, & iustitiæ administris, vt eum manus, pedesque deuinctum æternis pœnis subjicerent, imperauit, dicens: *Ligatis manibus, & pedibus projicite eum in tenebras exteriores.* Nimirùm consequens videbatur, vt in furore leonis desineret, postquàm instar agni cæperat.

Hæc eò dicta, vt quando nos justus judex infirmitatibus, aduersis, egestate, alijsque ærumnis tanquàm leo exagitat, benè speremus, quod sæuitiam illam leoninam ouiná mansuetudine concludet, penuriamque in abundantiam vertet, & pœnas in gloriam permutabit.

IN PONTI EREMVM SACER PHÆNIX AVOLAVIT, RVDE IBI DOMICILIVM FIXIT, ET

Asperum nidum construxit vbi à Dei Spiritu incitatus primus felici auspicio Regulam scripsit, & leges dictauit, ad quarum normam viuerent, qui monasticen profiter., & vitæ religiosæ perfectionem assequi vellent.

HIerosolymis, & Antiochiâ Cæsaream nobilem, & charam patriam suam sacer Phœnix repetiit, ibique apud sanctam matrem suam, & fratres diebus aliquot hæsit. Macrina soror natu maxima, vt erat sapiens, pura sceleris, integerrimæque vitæ, ita verita ne Basilium, tam præclara variarum scientiarum ornamenta, quibus illlum nobilitèr excultum cernebat, in superbiam præcipitarent, & efferrent animo, suauibus hortatibus illum à sæculi vanitatibus abducere studuit, eoque permouere, vt veram sapientiam indagaret, hoc est, angustam Euangelicæ, & Apostolicæ conuersationis semitam iniret, ac tereret. Parum negotij hîc Macrina inuenit, paruoque opere, quod volebat, apud Basilium effecit. Catholicus enim adolescens, diuini amoris ardente sagittâ secundùm pectus sauciatus, ad charam solitudinem iam aspirabat, vbi ab hominum consuetudine auulsus, & absconditus rationalem hostiam, & viuum holocaustum Deo se consecraret. Cùm venerabilis, & sanctus Hermogenes Archiepiscopus Cæsariensis videret, quàm præclarum probitatis exemplum omnibus ex se præberet, quantam modestiam præseferret, quàm insignibus virtutum ornamentis excultus esset, sacro presbyteratûs ordine illum initiare voluit. Hanc ille dignitatem initiò vehementèr recusauit, vt qui optimè nosset, quàm graue onus, quàm intolerabilem sarcinam imbecillis humeris suis cum eiusmodi officio exciperet: Verùm quoniam melior est obedientia, quàm victimæ (1. Reg. 15. 22. & Eccles. 4. 17.) submisit humilem ceruicem, sacroque antistiti demissè obtemperans ordinem sacerdotalem suscepit. Posthac cùm eremi incolendæ desiderio satis facere, & vitam agere in solitudine vellet, necessum putauit, varias priùs terras peregrinando obire, & sapientis Vlyssis exemplo cum diuersis hominibus communicare, multaque ab eis tùm docu-

S. Basilius eremum petit.

Ordinatur sacerdos.

menta

menta, tum experimenta haurire, aliaque discere, quibus vti ad sumptuosam fabricam excitandam, construendumque cæleste illud ædificium posset, quod in secreto pectoris sui recessu, non absq; singularibus SpiritûsSancti motibus, & impulsibus machinabatur.

Abijt ergo in Ægyptum, Palæstinam, Syriam, diligentissimèq; indagauit, explorauit, notauit vitam, instituta, ritus, cæremonias, hymnos, psalmos, orationes, & reliqua opera, quibus illarum prouinciarum, & regionum monachi se Deo sub austerâ, & rigidissimâ Christianæ philosophiæ disciplinâ offerebant & cõsecrabãt. Vixit aliquandiu sub obedientiâ, & institutione celebratissimi illius Patris Martiani, vt refert Theodoretus in hist. Pet. c. 3. ex cuius disciplinâ plurimos fructus, & religiosi profectûs abundantem messem collegit. Denique cùm familiari amico suo Nazianzeno in abstrusam Ponti eremum sese abdidit, in eâque annos plusculos ambo exegerunt, carnem suam incredibili austeritate emaciantes. Hic filio Basilio mater Eumelia, sancta, & venerabilis mulier non nunquàm, vt ipsius epist. 7. & 79. narrat, adfuit, prolixâque manu illi perliberalitèr ministrauit, quæcunque necessitas illius exigebat, qui in solitudinis carcere petulantis carnis peruicaciam, & vitiatarum appetentiarum, malarumque concupiscentiarum immoderatam, & effusam licentiam validè infrœnabat, & porrò subigebat, atque vt Cardinalis Baronius ad annum Christi 363. n 91. annotauit, vitæ asperitatem, quâ filius vtebatur, imitata, in eius contubernio, & conuictu ad extremam vsque vitæ clausulam perdurauit.

Varias terras peregrinus obit.

Sub S. Martiani disciplinâ viuit.

Mater illi necessaria vitæ ministrauit.

Hic Ecclesiasticæ historiæ lumen Baronius, quem dixi, Basilium, & Gregorium cum Domini Præcursore Ioanne componit, qui desertâ in eremo studium pœnitentiæ, & vitæ austeritatem magnis vocibus prædicabat. Nam in huius eremi atrâ nube omnipotens Domini manus duo fulmina adornabat, quibus hæreticos aliquando perterrefaceret ac fugaret. In eiusdem solitudinis quodam velut nauali duas vastissimas naues architectabatur, quæ cœlestibus opibus refertæ Catholicam ditarent, & illustrarent Ecclesiam. Hic gladios duos fabricabat, quibus feram hydræ infernalis gulam præsecaret. Hic denique Basilius diuino Spiritu illustratus, alter quidam Moyses & diuinus Solon, & Christianus Lucurgus effectus scripsit, dictauit, & promulgauit regulas, leges, constitutiones, ad quarum amussim incederent ascetæ, quicunque Euangelicæ, & Apostolicæ vitæ perfectionem appeterent, sub obseruantiâ trium votorum essentialium, obedientiæ, paupertatis,

Scribit sacram Regulam.

& castitatis, quæ veram, perfectamque constituunt religionem. Itaque primus fuit Basilius, qui ad certum statum, modum, pulchrumque ordinem adduxit rude illud, & agreste institutum veterum istorum monachorum, qui per auias, atque incultas eremos dispersi, nullisque peculiaribus legibus, vel singularibus regulis obstricti, sub deuotorum quorundam, & venerabilium magistrorum obedientiâ vitam degebant. Hoc testantur, & tanquàm gloriosissimum elogium Basilio tribuunt, Magnus Theologus sanctus Gregorius Nazianzenus in illâ præclarâ, & nunquàm satis laudatâ oratione, quam de Basilij laudibus habuit, & latinam reddiderunt Volaterranus, & Bilibaldus Pircheimerus, Iacobus Middendorpius, Ioannes Picus, Hieronymus Platus, & innumeri alij. *Primus cœnobia excogitauit, ritumque illum monachorum antiquum atque agrestem ad ordinem quendam, ac formulam religioni propiorem redegit*, inquit ille.

Primus in certum ordinem redegit rude eatenùs monachorum institutum.

Et vt euidenter innotescat, ac velut indubitatum constabiliatur, quod sancti Basilij Ordo, sit Ordinum omnium primus, & primogenitus, & natu maximus, & nulli vel scrupulosissimo quidquam hæsitationis maneat reliquum, copiosum testium omni exceptione maiorum examen producam, quorum nullus de præoccupato animo, aut cæcâ passione suspectus esse queat, cùm omnes, vt sic dicam, sint extranei, adquos causa hæc minimè spectet. Deinde ad patentis, manifestæq; veritatis maiorem confirmationem ex hominibus meæ familiæ, mei Ordinis, & habitûs neminem proferam, cùm verò cæterorum, & allegata tam sint infallibilia, & dicta tam perspicua, & luculenta, vt nullum dubitationi locum relinquant, proinde absolutè concludent. Omnes aiunt, Magnum Basilium esse primum legislatorem, euangelicum Moysen, intrepidum Aminadab, qui conscriptis regulis rubrum aperuerit mare difficultatum, quas tam operosum negotium secum adferebat. Summa est omnium hac in re consensio. Ex his quidam apertiùs loquentes affirmant, Basilium fuisse primum, qui monachis persuaserit vt se obstringerent tribus votis, quæ substantiam, vt dixi, religionis constituunt. Alij aiunt, regulam, & institutum Basilij esse fontem, originem, caput, principium, vnde tanquàm riui, brachia, rami prodierint, deriuatæq; fuerint, & propagatæ omnes cæterorum Ordinum regulæ, & leges. Videamus ergo testes, indicemusq; loca, vbi pro re nostrâ dicunt; quorum tamen verba formalia non refero, ne iusto sim prolixior, & me intrà instituti mei metas contineam.

Ordo Basilij inter Ordines primatum obtinet.

Ordini Basiliano primatū plurimi concedunt.

Testes ergo sententiæ meæ subscribunt S. Antonius Florentinus

tinus 3. p. Summæ theolog. tit. 16. §. 5. *Notandum*, & 2. p. histor. tit. 15. post cap. 12. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. 2. c. 23. Summâ Angelicâ Verbo *Religio*. Ascanius Tambutinus de iure Abbat. to. 1. disp. 25. q. 1. Antonius de Gueuara in Oratorio Religiosorum c. 1. Alphonsus de Villegas in suo Flore Sanctorum 14. Iunij. Alphonsus de Caranza in Allegat. pro monachis S. Basilij. Antonius Posseuinus lib. 5. Bibliothecæ, c. 54. Augustinus Barbosa lib. 1. de religiosis Ordinibus, c. 41. num. 20. Antonius Massa apud Tamburinum de iuribus Abbatum disp. 25. q. 1. n. 159. Alphonsus Alvarez Specul. Iuris c. 57. Alphonsus Maldonatus Chronico anni 36 . Sanctus Aldhelmus lib. 1. de laudibus virginitatis. Aubertus Miræus in origine, & progressu Canonicorum Regularium. Bartholomæus Fumi, vulgo Summa firmilla, verbo *Religio*, num. 2. Sanctus Bernardus de præcept. & dispensat. c. 3. & 7. Sanctus Bernardinus serm. de obedientiâ evangelicâ, art. 3. to. 3. Breuiarium Romanum 14. Iunij. Breuiarium Carmelitanum 15. Iunij. Breuiarium Dominicanum 14. Iunij. Blasius de Riberâ in Allegat. pro monachis sancti Basilij. Bartholomæus Cairasco in Florib. Sanctorum 14. Iunij Bartholomæus Cassanus 4. part. Catal. gloriæ mundi, conclus. 54 corollaria de lap. verbo *Monasterium* c. 16. & 17. Caccialup. consil. 4. nu 39. & seqq. & num. 62. Cæsar Baroni⁹ Annal. Eccles. to. 4. Anno Christi 36 . nu. 91. & 115. Collegium Paduanum apud Cardinalem Zabarellam nu 39. & seqq. & nu 62. Conradus Lycosthenes Theat. vitæ humanæ lib. 2. to. 2. Dominicus Thusc. Card. to. 6. lit. R. conclus. 138. nu. 3. Didacus de Coria lib. 1. Historiæ Carmelitanæ c. 15. Didacus Antonius Iañez Faiardo in Allegat pro monachis S. Basilij. Iacobus Middendorpius de vita monastica c. 5. Henricus de Villalobo Tract. 35. diffi. cult. 3. n. 2. to. 2. Eusebius de Herrerâ discursu . n. 13. Fernandus Suarez historiæ Antonianæ 1. part. c. 36. Ferdinandus de Camargo Chronologic. sacror. Anno 377. Franciscus Coriolanus Breuiar. Chronolog. Anno 362. Franciscus Henriquez Orat. panegyric. S. Basilij to. 1. Orat. 1. Franciscus Suarez lib 2. de Religione c. 1. n. 1. to. 4. Franciscus Antonius Purpur. Allegat. contrà monachos Cassinenses. Franciscus Vaques. Apologia de la Regla de S. Benito motiuo 6. §. 2. & 3. Flauius Cherub. Schol. in Bullam Alexandri III. Anno 1175. scol. 1. Fusch. de visitat lib. 2. c. 15. n. 7. Gregorius XIII. Bullâ *Benedictus Deus*, Anno 1579. Guido Panciro-lus Thesaur. variarum disp. Iuris vtriusq; lib. 1. c. 81. Gaspar Escolanus Histor. de Valentia, lib. 9. c. 20. Gilbertus Genebrardus

Chronolog. an. 523. S. Gregorius Nazianz. in Monod. S. Basilij Magni. S. Gregorius Nyssenus in orat. panegyricâ Basilij. Hieronymus Platus lib. 2. de bono statûs religiosi c. 21. Hieronymus Romanus de Christiana Rep. l. 6. c. 5. to. 1. Ioannes Lopez Episcopus Monopolitanus l. 1. del Rosario c. 15. Ioannes Picus Prologom. ad opera S. Macharij. Ioannes Azorius lib. 12. qq. Moral. c. 11. Ioannes Basilius in Flore Sanctorum 1. Ianuarij. Ioannes Osorius to. 3. Conc. de S. Basilio 14. Iunij. Ioannes de Pineda Monarchiæ Ecclesiasticæ lib. 13. c. 20. §. 3. parte 2. & parte 3. lib. 22. c. 22. §. 7. Ioannes de Turrecremata Card. c. vnico in Prologo ad regulam S. Benedicti. Ioannes Baptista Mantuanus lib. 1. Fastorum. Ioannes Antonius de S. Georgio, vulgò Cardinalis Alexandrinus in 1. part. Decretalium, q. 17. cap. *concilium*, §. *Episcopos*, n. 3. Ioannes Perez Montalbanus lib. Paratodos dia 7. Dominus Micheli Marquez Tesoro de Caualleria, fol. 102. col. 2. Iordanus de Saxonia in Vitis Patrum lib. 3. c. 3. Leonardus Lessius de Iustit. & jure lib. 2. c. 41. dub. 2. num. 8. Ludouicus de Miranda Director. Prælator. q. 3. art. 5. tit. 1. Ludouicus de Vrreta histor. Æthiopiæ lib. 3. c. vlt. Laurentius Beyerlink Theat. Vitæ humanæ to. 6. lit. R. Laurentius Landmet. de Cleric. Monach. part. 2. lib. 2. c. 2. Lupus Gall de Andrade Compend. historiæ Antonianæ part. 2. Marcus Guaz histor. Ital. Nicolaus Boër Tractat. de vita Eremitarum num. 1. & Tractat. de authoritate magni consilij num. 83. Paulus Moriger. libr. delle origine delle Religion. lib. 1. c. 16. & 23. & lib. 2. c. 7. & 16. Paulus V. Bulla in commendat. Ord. S. Basilij. Petrus Maturus in commentar. historiæ S. Antonini 2. part. histor. tit. 10. c. 4. §. 3. Philippus Bergom. in supplemento chronicorum An. 372. Philotheus patriarcha Constantinopolitanus Orat. in S. Basilium, Gregorium, & Chrysostomum. Petrus Ribadeneira in Flore Sanctorum 14. Iunij. Polydorus Virgilius de Inuentoribus rerum libr. 7. c. 2. Raphaël Volater. Anropolog. lib. 21. verbo *Basilius*. Rebuffus in Practica omn. Eccles. to. 3. Chopinus lib. 2. Polit. sacror. tit. 8. Rodericus à Cumba in Cap. general. 12. num 6. dist 54. Scipio Lanzotus Cardinalis apud Tamburinum de iure abbatum disp. 25. quæst. 1 to. 1. Salazar histor. de S. Francisco to. 1. fol. 8. Syluester Maurolic. Occean. della Religion lib. 1. Theodorus Zwinger Theat. vitæ humanæ lib. 2. to. 2. Tarcanot 2 part. histor. lib. 5. Thomas Waldensis de Sacramentis tit. 19. Thomas Garzon Piaza Vniuersal, discursu 3. Thomas de Iesu Originis Carmelitarum lib 1. c. 10.

Thomas Bozius de ſignis Eccleſiæ lib. 9. c. 4. ſignò 35. Valer. Gimenez hiſtoriæ Carmelit. lib. 1. c. 1. to. 1. Valenzuela Conſil. 1. num. 66. Zabarella Cardinalis. Poſt tot Authores, quos mea indagauit diligentia, & detexit ſollicitudo (prætermiſſis alijs multis, qui hâc in causâ depoſuerunt, & interpoſuerunt ſuam autoritatem) poterimus dicere cum Apoſtolo Heb. 12, v. 1. *Ideo nos habentes tantam impoſitam nubem teſtium*, nihil magnum facimus, quod Magni Baſilij Patris noſtri Ordinem vocamus primum, & primogenitum, principem omnium approbatorum Ordinum, maximè cùm id affirment teſtes tam locupletes, & diuerſi, vt vix ſit natio, vel ſtatus, qui ſententiæ noſtræ ſuo non ſuffragetur calculo: Quippe cùm Latini, Græci, Itali, Galli, Germani, Angli, Flandri, Siculi, Hiſpani, Pontifices, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Abbates, Theologi, Iuriſtæ, Hiſtorici, Eccleſiaſtici, Sæculares, omnes magno conſenſu huc veniant, & conueniant, quod vni ex omnibus Ordinibus, quicunque de eminentiæ dignitate concertare poſſunt, primogenituram, & primatum Baſiliano concedunt.

Ordinis Baſiliani Generalis in Sacello Papæ omnium Generalium primus.

Hæc etiam cauſa eſt, ob quam huic Ordini tanquàm vetuſtiori, & maiori tùm ætate, tū approbatione cōceſſum, vt illius Generalis in ſacello Papæ locum ſuprà omnes aliorum Ordinum Generales habeat, etiam Canonicorum Regularium S. Auguſtini, qui tamen Ordo in iudicio contradictorio obtinuit, vt Benedictino antiquior declaratus ſit. Ita diſpoſuerunt, & decreuerunt ſummi Pontifices Gregorius XIII. & Clemens VIII. Cuius rei authenticam fidem fecit Ioannes Paulus Mucantius in Diariis anni 1597. vbi in Iunio iſta habet: *Pluries Abbas generalis S. Baſilij ſedit in capellâ, & habuit locum ſine contradictione ſuprà omnes alios Generales Ordinum.* In his velim notari iſta: *Sine contradictione.* Nullus ſcilicet fuit cuiuſcunque Ordinis Generalis, qui tam iuſtæ, & probatæ ordinationi contradixerit, aut reclamârit, cùm ius, quo S. Baſilij Ordo locum ſuprà quoſcunque alios Ordines obtinet, tam ſit manifeſtum, & notorium, vt hoc inficiari tantundem ſit, quantum Solem meridie negare. Et ſacri Ordinis noſtri habitus, qui cucullus dicitur, iſque amplus, plicatus, ſinuoſus, manicatus, clauſus, nullo cingulo adſtrictus, & talaris, eſt noſtri inſtituti propria, non Ordinis S. Benedicti veſtis, quod tamen illius monachi in Hiſpaniâ ſæpè abſque fructu nequicquam contenderunt. Nam S. Benedicti cucullus plurimùm differt à Baſiliano, vt ſi quiſque horum Ordinum ſuum proprium habitum gerat, magnum ſit inter eos futurum diſcrimen. Qualis ergo eſt cucullus Benedictinus? Aut qualis

Baſilianorum cucullus illius Ordinis propria veſtis.

debet esse, vt sit conformis Benedictinis constitutionibus, & legibus? leges hoc ipsæ clament, quas stabilierunt in Capitulo Vallisoleti anno 1575. celebrato, quæ c. 76. sic habent. *Prælati, & subditi non ferant cucullos plicatiles, nec permittant monachos ferre, sed tantùm planos, ac minimè sinuosos.* Hucusque constitutio. Ergo noster cucullus, qui plicatilis, & sinuosus est, non est habitus gloriosi Patriarchæ S. Benedicti. Itaque videre licet, quod hic Sanctus in imagine, quæ dictatum Constitutionum initio est appressa, fert cucullum, qualem illæ præscribunt, vt qui nec plicas habeat, neque sinus. Validum hoc est ad confirmandam causam nostram argumentum. Verùm huius rei tractationem reiicio in tempus aliud, idque Deo annuente proximum, quando maius ocium nactus pro exoccupati historici munere toti mundo prolixiore scripto ostendam, quod hîc in paucas tantùm lineolas contractum indicaui.

Illustres viri, præclarique, & inclyti heroës, quos sacri Ordinis huius fertilis arbor produxit, tam insignes sunt, tamque celebres, vt diuinus Phœnix Basilius quoquo modo dicere possit, quod æterno Patri exultans gaudio coæternus Filius dixit, inquiens. *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi*; psal. 15. 6. Veteres olim diuidere, & disterminare agros suos funibus soliti erant. Consuetudinis huius, quæ apud Hebræos imprimis viguit, locupletes testes habeo Agellium, Lorinum, Aloysium Nouarinum, Ariam, Montanum, Iacobum Bolduc, Iacobum Salianum, Iacobum Fabrum, Martinum del Rio, Robertum Bellarminum, & alios innumeros. Quod verò, ait, funes sibi in præclaris cecidisse, perinde fuit, ac si dixisset, egregia, & eximia quæque obuenisse. Id namque declarat, cùm mox subiungit: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi*; quod ex paraphrasi Marci Antonij Flamini hunc habet sensum: *Luculenta certè, & præclara mihi venit hæreditas, homines, inquam mihi Pater excellentes, & vniuersi planè generis humani florem assignauit.* Potest hæc sibi Basilius vsurpare, & paribus verbis suo modulo, certaque proportione seruatâ, similiter dicere: *Homines excellentes, & vniuersi planè generis humani mihi florem* beneuolens Deus *assignauit.* Nempè sacri illius cuculli insignia habent tiaras, purpuras, lauros, palmas, calamos scriptorios, hoc est, Pontifices, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Martyres, Confessores, Doctores, Virgines, Imperatores, Reges, Principes, Principum filios, ac filias. Qui hos numerando percensere velit, næ is cælorum adamantes, stellas dico, & maris arenas velle ad calculos reuocare videtur. Nonne flore Ecclesiæ præcipuo gauisus fuit Basilius,

Basilio florem Ecclesiæ Deus concessit.

qui

qui sui instituti alumnos, & filios habuit sanctum Innocentium Papam, S. Martinum Papam, & martyrem, Zozimum, Zachariam, Ioannem V. Ioannem VI. Sergium, Siphinium, Gregorium, III, ? Nonne inexplicabilis præstantia est, sub Ordinis sui alis fouisse tam inclytum Patriarcham, quàm fuit S. Benedictus, Hieronymum Doctorem Ecclesiæ maximum, tres perquàm admirabiles Gregorios, puta Gregorium Magnum, huius nominis primum, Gregorium Nazianzenum, & Theologorum eloquentium apicem, Gregorium Nyssenum, S. Ioannem Chrysostomum, S. Ephræm, S. Amphilochium, S. Epiphanium, S. Ioannem Damascenum, S. Isidorum Pelusiotam, S, Andream Cretensem, S. Theodorum Studitam, S.Nilum, S. Simeonem Metaphrasten, insignem sacræ historiæ scriptorem, S. Macharium, S. Anastasium Sinaitam, S. Maximum, S. Antiochum, S. Ioannem Climachum, S. Dorotheum, S. Nicætam, S. Simeonem Stilitam, S. Isaiam, S. Germanum, Heraclidam, Hesychium, Ioannem Cassianum, Theodoretum, Zonazam, Leontium, Antonium Melyssam, Olympiodorum, Theodorum Abucaram, Theophylactum, Euthymium, Oecumenium, magnum Bessarionem Nyssenum Cardinalem, Eutalium, Ioannem Stobæum, Suidam, Ioannem Gyphilinum, præter alios infinitos Scriptores, qui per longissimam ætatem, & annos ferè mille, ac quadringentos semper in Oriente radij fuerunt orientales, splendoreque pennarum suarum & brutorum errorum fœdas tenebras fugârunt & fidei nostræ catholicismum, orthodoxiamque in varijs disputationibus, in diuersis Conciliis, & plurimis, Ecclesiis propugnârunt, & corroborârunt? Non licet mihi huic negotio immorari, vt catalogum penè innumerabilium Martyrum, Confessorum, Virginum texam. Quare curiosum lectorem remitto, ad studiosas lucubrationes R. Patris Magistri, fratris Alphonsi Clauel, huius Prouinciæ Definitoris, qui propediem prælo submittet memorabilia gesta, raros successus, insignia facta, hominum sacri huius Ordinis, & continuam historiam edet omnium, quæcunque ab incunabulis illius in hunc vsque diem relatu digna euenerunt. Ibi multa noua detegentur, quæ notationem mereantur. Ibi aperientur manifestæ, & luculentæ veritates, per quas fugabuntur, & dissipabuntur obscuræ tenebræ, quæ nostram Hispaniam in negotio historico malè occupatam habuerunt. Ibi fusè declaratum inveniemus, quantum sacer noster Ordo catholicæ seruierit Ecclesiæ sub varjis persecutionibus, quibus hæc à capitalibus suis hostibus vexata, & ille propter eius defensionem

exagitatus, omnem magno animo tolerauit injuriam. Ibi legemus multos, & varios Ordines militares, qui sub religiosis Basiliani Ordinis signis meruerunt, & quod juxta Flauium Dextrum minimùm anno quadringentesimo, decimo, nono, habuit Hispaniæ Monachos nigros, idque ab anno trecentesimo tertio, qui non potuerunt esse alij, quàm Basiliani. Ibi videbitur definitus, & determinatus ætatis excessus, qua Basilius Benedictum superat, quodque ante hunc ille facilè totis centum quinquaginta tribus annis natus fuerit. Ibi exhibebitur copiosa recensio Virginum, Martyrum, Confessorum, Imperatorum, Regum, Principum Imperatricum, Reginarum, Regibus natorum, aliarum personarum illustrium, & insignium, quæ nostram in regulam iurârunt. Ibi similitèr dicetur, quod sacer Phœnix Basilius fuerit primus, qui fundauerit nosocomia, languentiumque hospitia instituit, in quibus pauperum ægrotorum infirmitates qualescunque ex officio communitèr curarentur. Ibi intelligemus, quod sanctissimus Patriarcha Basilius fuit primus, qui diuinissimam Eucharistiam, & cœlo delapsum panem, aureæ columbæ includi iussit. Ibi multis affatim commemorabitur, quàm opima, quàm fertilis hæc arbor in variis mundi partibus fuerit, quantùmque floruerit, & fructificârit, quæ in Oriente plantata ramos per vniuersum terrarum orbem suos extenderit, quod Baptista Mantuanus Mantuani Virgilij gloriosus æmulator his tam elegātibus versibus cecinit l. 2. Fastorū:

S. Basilius Benedicto annis 153. natu maior.

Basilius nosocomia primus erexit.

Basilius panem eucharisticum primus pyxidi inclusit.

——— tua Relligio quasi vinea densis
Palmitibus fruticans longè, latèque per orbem,
Et vulgata latens in Cæsariensibus agris
Trans Phryges, & Sarmatas, & trans Bebrycia regna
Hesperiis populis procul apparebat, & Indis.

Consentit, & contestatur cum his suprema autoritas beatissimi Patris Gregorij XIII. qui pro nostrâ sententiâ sic pronunciat apud Laërtium in Bullario magno Anno 1576. *Nam prætereà quæ effudit,* Basilius *theologiæ, scientiæ, & eloquentiæ flumina, quæ edidit continentiæ & abstinentiæ documenta, adoptatos sibi nouæ sobolis fœtus, in cænobiaque procul à communi viuendi ratione segregatos in compositum ordinem redegit, & salutaribus præceptis instituit, vt perpetuâ futurorum temporum successione, verbo, & opere à se instructi Deum confiterentur, Catholicæque Ecclesiæ ornamento essent, atque in dubiis rebus adjumento, qui vitæ sanctitate, & doctrinâ insignes toto terrarum orbe, maximè verò in Asiâ, Palæstinâ, Thraciâ, Græciâ, Italiâ multis sæculis floruerunt.*

In his

In his verbis id primò notandum, quòd dicitur *toto terrarum orbe* protulisse fructus nostrum sacrum Ordinem, deinde & illud, quod addit, *multis sæculis* floruisse semper monachos verbis, & operibus, doctrinâ, & exemplo celebres, taliumque rerum splendore illustrâsse Orientem, fugâsse atras errorum, & hæresum tenebras, & quouis tempore, omnique occasione fuisse catholica oracula, quæcunque se offerret de fidei orthodoxæ recto sensu hæsitatio, vel disceptatio. *Multis sæculis*, inquit summus Pastor, floruit, & copiosos fructus edidit nostri Ordinis ramosa, & fertilis arbor. Quot putas sæculis? Si centum anni sæculum vnum conficiunt, & Regula nostrâ anno 363. promulgata fuit, propè tredecim sæcula, mille certè, trecentosque, & octoginta annos Ordo noster hoc 1643. anno numerat, solique viginti anni illi desunt, vt quatuor mille habeat. Mira perduratio! Rara, & stupenda perseuerantia!

Basilij Ordo annos mille trecentos, & octoginta annos propè habet.

PHÆNICIS GRÆCIÆ
S. Basilij Magni,
LIBER TERTIVS.
CAPVT I.

Magisterij cathedram nemo gloriosè moderari potest, neque Superioris officium laudabilitèr exercere, nisi obedientis subditi, & studiosi discipuli partes ante humilitèr, diligentèrque expleuerit.

NOn est alius magis fatalis error, nec alia perniciabilior præsumptio, quàm eorum, qui magistrorum honores ambitiosè affectant, priusquàm disciplinæ se excolendos submiserint, & ante imperij edita culmina inuadunt, quàm aliorum iussionibus obtemperare didicerint. Quàm turpis hæc prolapsio, quàm enormis hallucinatio, inquit mellifluus Doctor, velle fundere scientias, quas non hauseris, velle Superioris sublime officium inuadere, antequàm subditi munus expleueris, aut subieris! *Quamobrem si sapis, concham te exhibebis, & non canalem*, inquit ille. Et quisquis prudens, consultusq; haberi cupit, priùs curare debet, vt sit stagnum, in quod scientiæ, & obedientiæ aqua influat, quàm tubus, per quem doctrina, & imperium in alios descendat, promanetq;.

Doctor, qui non ante discipulus, Prælatus, qui non priùs subditus, pestes mũdi.

Princeps, absolutusq; Rex Hebræorum, per manus Samuelis Prophetæ vnctus, iam erat Saul, & postquàm certus redditus esset suam electionem à supremo regum Rege Deo profectam, comprobatamque, dicebat illi Samuel: *Descendens ante me in Galgala septem diebus expectabis me, donec veniam, & ostendam tibi, qua ibi facies*; 1. Reg. 10. 8.

Merito hìc notes, quid Samuel cum Saule, Propheta cum Rege agat, idque postquàm *tulit lenticulam olei, & effudit super caput eius, & ait, ecce vnxit te Dominus in Principem*; ibid. v. 1. At si iam Saul erat Princeps, si iam vnctus rex, quomodo illi Samuel imperat, præiræ se in Galgala, atque ibi suam non modò præsentiam, verùm & iussionem expectare? Quod enim aduentum, mandataque præstolari præcepit, nota subditi potiùs, quàm regis indicium videtur, Prælatorum quippè est ferre, & decernere, subditorum operiri, & excipere leges.

Saul ante obedire iussus, quã imperare permissus.

Ad hanc dubitationem respondet beatissimus Papa Gregorius lib. 4. c. 5. in 1. Reg.

Obedientiâ nemo imperet, qui non ante impenderit.

Reg. *Qui descendere, & expectare iubetur, et nimirùm obedientia onus iniungitur. Rectus ordo conuersationis est, vt obedientiam non iniungat [alijs, quam ipse alijs impendere non curauit.* Priusquàm Saul imperare, & Rex esse inciperet, operas ei subditorum proprias curandas iniungunt, iussa, quæ obseruet, præscribunt, toto septiduo præstolari imperant, & ceruicem eius iugo obedientiæ onerant: Hic nimirùm est iustus, benè institutæ gubernationis, ordo, vt primùm obtemperare discat, qui posthæc locum superiorem est occupaturus, ex quo alijs imperet.

Dominus laude dignus nemo esse potest, qui non ante seruierit.

Hæc etiam est Platonis doctrina, qui lib. 6. de legibus sic habet: *Iam illud oportet vnumquemque de mortalibus vniuersis cogitare, qui non seruierit, eum haud quaquàm fore dominum laude dignum.* Toti mundo id persuasissimum esse debet, boni Prælati officio neminem rectè fungi posse, qui non ante humilis subditi partes probè executus fuerit.

Cùm Moyses referret, quid sibi cum Domino sub promulgatæ legis initium euenerit, hæc sibi ab illo dicta ait ad populum: *Vade, & dic eis, Reuertimini in tentoria vestra. Tu verò hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque iudicia, quæ docebis eos,* Deut. 5. 30 31.

Eminentissimi Cardinalis Ostiensis S. Petri Damiani Opusc. 39. c. 2. in ea Domini verba, *Tu hic sta mecum,* talis est obseruatio: *Non ait, sede, vel recumbe.* Non iussit in monte, vbi tunc erat, desidere, sed erectum adstare, quod serui, & subditi solent, vt è multis Scripturæ locis est palam. Sed iam ad mysterium accedamus. Quam ob causam voluit Dominus secum stare eum, qui post hac præclarus, & inclytus legis doctor erat futurus.

Moyses ante stare debuit vt seruus, quàm sederet vt doctor.

Respondet S. Petrus Damianus: *Vt scilicet stando discat, quod sedendo postmodùm doceat.* Futurum erat, vt Moyses deinceps in honorificâ doctrinæ cathedrâ sederet, sublimèq; officium doctoris exerceret. Iussit ergo Dominus, vt priùs velut discipulus coram adstaret, quàm sederet pro more magistri, vt ante disceret subesse, quàm inciperet præesse, vt subditi partes ageret priùs, quàm Prælati, *vt scilicet stando discat, quod sedendo postmodùm doceat.* Hic nempe est rectus, & prudens agendi modus, vt ante quis velut in Nouitiatu experimentum faciat, & specimen edat discipuli, ac subditi, quàm professionem faciat Superioris, & magistri.

Homò fascijs adstringitur, mox vt natus.

Hæc est doctrina, quàm ipsa nobis natura tradit. Plinius monet animaduertere, quid homini, dum nascitur, eueniat, idque valdè aduersum ei, quod brutis animantibus accidit. Animalia cætera simul ferè ac ventris carcere sunt soluta, incipiunt liberè siuè per aërem circumferri, siue per agros, aut saltus vagari. Homo è carcere vno in alium transit, vix enim aluo maternâ prodijt, quando manus illi, pedesq; fascijs adstringuntur. Hæc lex in illo etiam obseruata est, qui venit, vt captiuitatem nostram redimeret, mandatumq; habuit, vt obscurum, & fatalem carcerem, quo detinebamur, relaxaret. Mox enim vt eburneum ventrem euasit, intemerata virgo, quæ enixa fuit, ad communem hominum custodiam eum damnauit, & *pannis inuolutt,* Lucæ 2. 3.

Quid sibi vult, quod homo Rex animalium, Princeps bestiarum, Imperator brutorum, cùm per natiuitatem carcerem vnum euasit, mox alteri addicitur, cùm pecudes à ventris custodiâ liberatæ, statim communi lucis vsurâ expeditæ gaudeant, & fruantur?

Homo natus statim fascijs stringitur, vt postea felicitèr coërceat bruta, ipse ante obstrictus.

Respondet magnus naturalis historiæ parens Plinius in præfatione libri 7. *Felicitèr natus iacet manibus, pedibusque deuinctis, animal cæteris imperaturum.* Quàm benè dixit Plinius, *Felicitèr iacet!* Nam qui futurus est aliorum Prælatus, qui aliorum manus, ac pedes loro sui imperij est alligaturus, is meritò sibi ante obstringere manus, pedesque debet. Nunquàm enim felicem Superiorem a-

ger, cui non ante obedientia, alteri Superiori exhibita manus, ac pedes obligârit. Itaque prouida natura, quia hominem cæterorum animalium imperatorem destinauit, ob hoc ipsum primò manibus, pedibusq; deuinciri voluit, vt illo mysterio doceret, neminem vel Prælati ministerium, vel Magistri officium rectè vnquàm curaturum, qui non ante fuerit obediens, subditus, & humilis discipulus.

Nemo benè imperat, qui nō ante passus imperiū.

In hanc rem sic ait Aristoteles 3. Politicorum: *Quapropter illud rectè dicitur, neminem benè imperium gerere, qui non ipse priùs sub imperio fuerit.*

Cùm de supremo militiæ præfecto Flavius Renatus Vegetius ageret, inquiebat, id genus officij plurimam curam, paremque diligentiam requirere. Sed cui munus tam momentosum commendabatur? Respondet Vegetius, quem dixi, lib. 2. de re milit. cap. 10. *Is post longam, probatamq; militiam probatissimus omnium legebatur, vt rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.* Qui strenuum, intrepidum, robustum, exercitatum militem diu egerat, qui multa acrium conflictuum pericula subierat, qui multos in castris, in varijs excursionibus, & oppugnationibus, & assultibus annos exegerat, is demùm supremus copiarum militarium ductor, & archimoderator constituebatur, vt disciplinam, quàm hauserat, tradere alijs posset, & alios sine rubore imbueret studijs, quæ ipse cum gloriâ primùm exercuisset: *Vt rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.* Tulisset ne ætas illa, quod tolerat nostra, vt quis Centurio esset, priùsquam gregarius miles, aut summum vasti exercitus imperatorem ageret, qui ne pauculam quidem familiam rectè gubernare nôsset, aut dirigendæ numerosissimæ aciei prouinciam susciperet, qui nec domunculæ vnius, non gurgustioli œconomiam ritè ordinare sciret? Pueri nunc è mollicellæ Veneris percelebrosâ, & voluptariâ scholâ ad præduram, horrendamq; Martis palæstram transferuntur, & ad munera deliguntur, quæ vix decentèr obire queat, qui longam ætatem in castris transmiserit, & omne ingenium, studiumq; ad armorum tractandorum vsum conuerterit. Ita fit, vt quemadmodùm præposterè agitur, sic præposterè omnia eueniant. Olim verò *peritissimus omnium eligebatur, vt rectè doceret alios, quod ipse cum laude fecisset.*

Belli dux nemo bonus, qui non ante diu strenuè gregarius miles.

Quàm benè istam doctrinam tradidit Dei Spiritus! Priusquàm ille supra Discipulos in linguarum ignearum specie descendisset, *factus est de cælo sonus*, vt inquit beatus Lucas Act. 2. 2. nec qualiscunque sonus, sed præmodum grauis, & sonorus, ac terribilis, *tanquàm spiritûs vehementis*, vt plurimam admirationem, horroremq; adferret ijs, qui inter ardentis contemplationis altum silentium velut à se alieni, & à sensibus abstracti in Deum toti ferebantur. Post hunc perstreperum sonum *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis*, ibid. v. 3.

Apostoli ante sono exciti, quàm donum linguarum adepti.

Quid mysterij habere potest, quod sonus domum totam ante compleuit, quàm linguæ in Apostolos descenderent?

Modernus quidam autor Tufus in c. 18. Ecclesi. v. 19. ait: *Sonus aurium obiectum*, lingua verò magisterij symbolum est, certè instrumentum præcipuum. Audire idem est, quod discere. Id tam peruulgatum in omnibus tam sacris, quàm profanis literis, vt vulgò Auditores vocentur, qui sunt Discipuli.

Quòd ergo priùs auditus est sonus, quàm descenderunt linguæ, quæ ad docendum adhibentur, id factum, vt secretò moneremur, quod ante audire, & discere quisque debeat, quàm loqui, & docere. *Factus est de cælo sonus, & loquebantur varijs linguis. Priùs igitur discunt, tum docent.* Ita Tufus vbi suprà. Qui ante dicere vult è cathedrâ; quàm inde audierit, & priùs docere, quàm discere, is garruli, & blateronis nomen potiùs consequetur, quàm magistri. Primi siquidem legis Euangelicæ doctores priùs audierunt, quàm loquerentur, &

Doctor audiat ante, quàm audiri velit.

ante fuerunt discipuli, & subditi, quàm magistri, & Prælati. Ita faciendum docet Plutarchus to. 1. quando in commendationem inclyti illius, & strenui Imperatoris Argesilai ait, *Venisse ad imperium non indoctum parere imperio*, & habenas regni non ante moderandas suscepisse, quàm se alijs regendum, moderandumque diu submisisset.

Huic doctrinæ inhærens S. Basilius abijt in Ægyptum, vixitque, vt S. Amphilochius memorat, sub institutione, & obedientiâ archimandritæ Porphyrij, à quo petijt libros sacros, vt diuinarum literarum studio nauare operam posset, sub cuius moderatione aliquantum tempus exigens, austeræ pœnitentiæ asperis operibus sese exercuit. *Adiens archimandritam Porpyrium petijt ab eo sibi dari codices sacros, ex quibus diuina posset dogmata capessere*, inquit Amphilochius in vitâ S. Basilij. Posthæc vixit sub disciplinâ, & institutione sancti, & venerabilis patris Martiani, vt suprà monuimus. Ad hunc modum diuinus Phœnix voluit se submittere legibus obedientiæ, & subiectionis, & ante omnia humilis esse discipulus. Nam cùm suprema Dei prouidentia illum reseruaret, vt esset Pater tot monachorum, tot animarum ductor, tot gentium doctor, tot populorum pastor, vt perfectus deinde Magister, consummatus Doctor, absolutissimusque Pastor, & vigilans Prælatus esset, voluit, vt priùs ad amussim legum solliciti discipuli viueret, & obedientis subditi partes perficeret. Ex communi siquidem more, & vsu nemo boni Prælati, & Magistri officium rectè agere potest, qui non ante fuerit humilis subditus, & studiosus discipulus.

CAPVT

CAPVT II.

Vir sapiens industriarum apum similis est, bonaq; monita, & sana consilia legit non solùm à benefactis, quæ notat, sed etiam ab erratis, quæ advertit.

VIr prudens, & discretus ad omnia attendit, & neque actio est, quàm non expendat, neque successus alienus, quem non ad iudicij libram vocet: Nam cùm omnia rectè agere cupiat, & in his, quæ curanda suscipit, scopum attingere optet, hinc fit, quod tam vigilanter, ac sollicitè obseruet, vbi quid rectè actum ab alijs, vt eorum insistere vestigijs, & manibus sustentari queat, ne impingat in viâ, per quam illos sequitur. Ad hunc modum homines prudentes fiunt sedulæ, & sagaces apes, quæ doctrinæ, morum, monitorumque mel vndique colligunt. Horum nempè, qui errant, periculo sapere discunt, & ab his, qui benè agunt, similitèr viuendi instituta sumunt, tantùmque vtilitatis hauriunt ex illorum malè gestis ne exerrent, quantùm commodi ex horum benèfactis, vt rectà incedant.

Homo sapiens sana consilia vndequaque colligit.

Huc aptissimè cadit illud Phrophetæ regij, quod maximam studiosis Interpretibus attulit difficultatem: *Latabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoru*; Psal. 57. 11.

Mouere in his illud quemque potest, quomodo iustus tantâ lætitiæ voluptate perfundi, tanto exultare gaudio queat, ex intuitu pœnarum, quæ de improbis sumuntur, vt manus suas proluat sanguine, qui ab ipsorum venis manat. Nam si etiam orare oportet pro his, qui nos persequuntur, quomodo lætari potest iustus de supplicijs eorum, quos ira Dei castigat?

Satisfacit huic dubitationi S. Ioannes Chrysostomus in epist. ad Philemonem homil. 3. in morali dicens: *Latabitur iustus,*

iustus, cùm viderit vindictam impij, manus suas lauabit in sanguine peccatorum, non gratulando insultans, absit, sed metuens, ne patiatur eadem, emendare intima sua, vitamq; omnem corrigere studet. Iustus ergo hoc solùm nomine de improborum ærumnis, & vexationibus lætatur, quia ex illis discit, quæ fugere opera debeat, ne mala similia incurrat. Sors ergo impiorum vapulantium pro magistro est pijs: Nam cùm hi attendunt causam, ob quam peccatores luunt, & ex culparum præcone intelligunt, quamobrem diuina iustitia in illos animaduertat, & ad supplicia damnet, inde cautè agere discunt, & vitæ emendandæ instituta accipiunt. *Metuens iustus ne patiatur eadem, emendare intima sua, vitamq; omnem corrigere studet.* Iusti nimirùm tam sunt ingeniosi, solertesque chymistæ, vt ex aliorum erratis rectè sapiendi, & benè agendi aurum facere sciant.

Iustus de impiorum vindictâ gaudet, quia ex illâ sapere discit.

Scrupulum inijcere cuiuscunq; ingenio non immeritò potest, quod primus Rex, quem Deus ipse elegit, & suâ manu constituit, tam peruersus, & perditè improbus fuit, vt Dominum coëgerit dicere de illo, quod de primis hominibus multo ante iam dixerat, dolere, quod ipsum Principem fecerit: *Pœnitet me, quod constituerim Saul Regem*; 1. Reg. 15. 11. qui tam malam rationem habuit officij, quod ei iniunxi.

Sanctissimus Papa Gregorius Magnus hanc dubitationis nubem suæ responsionis radiis dispellet, qui ait, secretâ prouidentiâ ordinatum, quod Saul fuit institutus rex Israelis, vt nimirùm secuturus illũ rex à prædecessore, qui malè vixerat, benè agere disceret. *Fortassè idcircò reprobus Rex eligitur* (inquit beatissimus Doctor lib. 4. c. 1. in 1. Reg 8.) *vt electus successor eius Rex Dauid in eo cognosceret, quid cauere debuisset.* Occultâ supremi Monarchæ permissione fieri potuit, quod Saul cecidit, vt suâ prolapsione Dauidem attentum redderet, cautèque figere vestigium, & omne offendiculum vitare moneret. *Eligatur ergo rex, sed reprobandus* (addit) *eligatur velut in indignatione, non voluntate Dei, subsequatur rex iuxtà cor Dei, vt vnde ille se præcipitat, inde alius nequaquàm cadat.* Nam si est, qui ex veneno theriacam facere, & antidotum è toxico suæ artis industriâ elaborare sciat, etiam prudens quisque ex alienis casibus cautionem fortitèr standi sibi eruere potest, & modum ibi exurgẽdi, vbi alter corruit.

Dauid ex Saule reprobo probe agere didicit.

Saul cecidit, vt Dauid firmiter stare disceret.

Cùm strenuus ille militiæ Dux Ioab in proximam deditionis necessitatem suâ oppugnatione adduxisset præcipuam quandam Ammonitarum ciuitatem, delectos quosdam nuntios, vt sacer textus memorat, misit ad Regem suum Dauidem, qui dicerent, monerentque cum exercitu copioso subuenire, & occupare penè jam interceptum locum. Et ne Dauid causam legationis ignorare posset, eam his verbis explicari iussit: *Ne cùm à me vastata fuerit vrbs, nomini meo ascribatur victor*; 2. Reg. 12. 28. Litera Hebræa habet: *Et vocetur nomen meum super eam.*

Qui nouit, quàm vehementèr homines à natiuâ suâ conditione sint cupidi laudis, & plausus, non potest non mirari rationem, ob quam Ioab optauit à Dauide occupari ciuitatem: quam ipse penissimè jam expugnarat. Quamobrem ergo inclytus Ductor Ioab tam sollicitè hîc curauit, vt Dauid ad inuadendam ciuitatem properaret, vt illi, non sibi tota triumphi gloria adscriberetur?

Respondet appositè in rem præsentem Cardinalis Caietanus, dicens: *Sciebat Ioab, quàm molestum fuerit Regi Sauli audire laudes Dauidis in triumpho, & propterea eximit se ab huiusmodi inuidiâ, & victoria nomen, ac gloriam transferre curauit in Dauidem regem.* Noli mirari, quod supremus exercitus Dauidici moderator Ioab victoriæ sibi attribui laudem nolit, sed hoc enixè potiùs agat, vt tota in Regem suum triumphi gloria transferatur. Nam prudens erat Ioab, & ex libro successuum Saulis didicerat,

Ioab ex Saule didicit fugere inuidiæ occasionẽ.

cerat, quid hac re facere consultissimè posset. Sciebat, quod cùm virgines Hierosolymitanæ cantu festiuitèr celebrâssent victoriam, quam de prostrato, & detruncato Goliath Dauid reportârat, tàm intolerabili dolore, & mœrore perfusum Saulem, quòd se, suumque robur postpositum Dauidi, eiusque fortitudini audisset, vt Scriptura ferat, ab eo tam implacabili odio exarsisse in Dauidem, vt ne videre quidem illum æquis oculis deinceps potuerit. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illâ, & deinceps*, inquit sacer Scriptor 1. Reg. 18. 9. Cùm hæc sciret Ioab, didicit inde, vt nollet sibi quidquam laudis tribui, sed totam victoriæ gloriam suo Regi adscribi, ne si aliud faceret, multa post hæc luctu, & lachrymis digna haberet. Alieno ergo malo benè agere doctus fuit. *Sic ex vitio alterius sapiens emendat suum*, inquiebat P. Mimus in sent. lit. E, & ex veneno culpæ alienæ haurit sapiens theriacam, quâ curet propriam.

Dæmon cur principium viarum Dei dictus.

Principium viarum Domini vocatur insolens ille, & proteruus angelus, qui in cælestibus castris tertiam nobilissimorum subditorum partem ad perduellionem, defectionemque à suo legitimo Rege pertraxit, de quo S. Iob c. 40. 14. ait: *Ipse est principium viarum Dei*. Quomodo verò atrox ille, & contumax spiritus est initium viarum Dei? Constitutis his, quæ jam diximus, non ille viarum Dei, sed aberrationum à Deo principium, ac deuiationum caput appellari Lucifer meretur. Nam cùm ille causa fuerit, occasionemque præbuerit, quâ innumeri, quos habuit sequaces, in profundam abyssum vltionis æternæ corruerunt, quomodo principium viarum vocatur, qui deuiantium, exorbitantium, & à recto itinere seductorum Dux, & Antesignanus iustiùs vocari posse videtur? *Ipse est principium viarum Dei*.

Respondet idem sanctissimus Doctor Gregorius, magno mysterio factum, quod Lucifer dictus est principium viarum Domini, tametsi stultè, ac dementèr à viâ exerrauit. Nam cùm homines cernunt, diligentiùsque recogitant, quòd angelus tam speciosus, & decorus, quòd spiritus tam generosus, & nobilis tam leuiter cecidit, tam facilè, ac miserè se præcipitauit, sapere tali exemplo discunt, & cauere pericula, & magnoperè studere, ne ex alto similitèr decidant. *De illâ Angelorum curia legimus*, inquit ille, *vbi suprà, quia de apostata primo angelo scribitur*: Ipse est principium viarum Dei; *Sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, & in eius ruinâ sancti didicerunt, quâ virtute stare potuissent*. Ad hunc ergo modum desertor angelus potest vocari initium viarum Domini, quia tametsi ille miserè cecidit, suo tamen lapsu velut erectus est in monumentum, quod hortetur homines, vt sapiant, & lapsum vitent, estque instar cuiusdam libri, ex quo ad humilitatem superbi erudiantur, & cauere præcipitium elati, arrogantesque discant. Hunc librum dum prudentes legunt, humilitèr se demittunt, & contremiscunt, cùm hinc se imbecilles homines cogitant, & indè angelos, tam insignes spiritus leuiter prolapsos considerant. Vt meritò magnus Gregorius ibidem in *magna misericordia* donis numeret, *cùm vindictam* Deus *irrogat, quia dum reprobus punit, sanctos erudit, vt vnde illi deficiunt, isti in suis profectibus adiuuentur*, illorumq; ruina, & imbecillitas sit horum erectio, & confirmatio.

Dæmon suo lapsu docuit stare homines.

Hæc præcipua ratio fuit, ob quam cælestis Phœnix Basilius tot peragrauit terras, tot monasteria volatu petiit, insignitioraque, & celebriora tum Ægypti, tum Palæstinæ visitauit, priusquàm se conferret ad conscribendum sanctiones monasticas, & religiosam Regulam, quæ scriptarum legum prima, & fœlix auspicium futura erat. Dumque secum reputasset solitariæ vitæ non satis prosperam gubernandi rationem, Monachos ad cænobiticæ, & communis vitæ institutum transtulit, regulasque illis, & leges singulares præscripsit, quibus emen-

dauit errata, quæ in certorum ascetetiorum administratione deprehenderat. Proprium scilicet est virorum prudentium, ex aliorum casibus discere, quomodo perstare, & prolapsionem cauere queant, & ex alienorum erratuum ferro, aurum rectæ sapientiæ conficere.

Capvt III.

Qui vult suas ab aliis obseruari constitutiones, & leges, is debet lex viua, & animata esse suorum iussorum, & præceptorum.

Lex viua sit ipsius, qui suas ab alijs obseruari leges optat.

VAnum est studium, & inanis, otiosusque labor Legislatoris, qui strictæ obseruantiæ edicta sancit, legesque promulgat austeras, nisi ipse ante sit earum accuratissimus, ac rigidissimus obseruator. Nisi enim talis sit, præterquàm quod leges nunquàm benè obseruabuntur, ipse se ludibrio, & irrisioni certæ exponit. In hanc rem protunc patriarcha Venetorum S. Laurentius Iustinianus de Christi agone c. 12. §. 5. ita loquitur: *Debet priùs dominari sibi, qui causa constituendus est iudex aliena. Ridiculum est aspicere foris in cathedra residentem, & intus in passionum fœtoribus sepultum.* Qui vult controuersias ex loco superiore dirimere alienas, & leges condere ad quarum tenorem alij mores componant suos, is ante curare debet, vt sit ipsius viua lex, & animata amussis, & vitæ inculpabilis. Nihil enim æquè deridiculum, ac probrosum, quàm homo, qui cùm è sublimi loco alios duris legibus arctè circumscribit, ipse laxas animo suo habenas permittens solutissimis est moribus, & quocunque libido vocat, licentissimè effunditur, & in omnia scelera sese penitissimè ingurgitat, qui alios in lege Dei morari optat, & imperat.

Doctor in cathedrâ sedens, & in vitiorū tumulo iacens, ridiculus.

Acutè obseruauit episcopus Abulensis Alphonsus Tostatus, quod Dominus, postquàm verbis significâsset Moysi, quomodo Sanctuarium fabricari, & partes eius singulas construere deberet, non satis putauit, sermone id illi exposuisse, sed etiam quoddam velut exemplar, & prototypon ob oculos posuit, vt coram videret simulachrum, cuius speciem, formamque in Sanctuario exprimeret. *Quando instruxit Moysen de fabricatione sanctuarij, non solùm dixit ei de singulis rebus quomodo fieri deberent, sed etiam ostendit ei vnam similitudinem omnium, vt videret ibi Moyses totum sanctuarium erectum*, inquit ille in c. 10. Num. q. 27.

Sed notandum, quod Moysi, cum sanctuarij construendi negotium perficere iussus esset, simul dictum fuit: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, Exod. 25. 40. Premit hæc Abulensis, inquiens: *Non dixit, quod attenderet ad verba, quæ ab eo audierat, sed ad exemplar.* Opere, ac verbis docuerat Moysen Dominus modum, ad quem componere Sanctuarium deberet, sed cùm postremò illum imbueret, figere obtutum in simulachrum imperauit, quod illius oculis in monte subiecerat: *Non dixit, quod attenderet ad verba, sed ad exemplar.* Sed cur magis attentum voluit ad exemplar, quo illi Sanctuarij formam repræsentarat, quàm ad verba, quibus illi eiusdem fabricandi formam significarat? Causa ea est, quod sciret dominus, quantùm momenti adferat legibus ac præceptis, vt ea studiosè, accuratè sollicitè obseruentur, si eorum viuum exemplar se præbeat, is qui tulit. Hoc nimirùm est quod obligat, quod memoriæ tenacitèr inhæret, quod vehementèr inflammat animos, & corda excitat, si videant in Principe viuam effigiem eorum, quæ dicit, & in Superiore animatum exemplar omnium, quæ loquitur, & imperat. Quia facere leges nihil difficultatis habet, nec magni constat loqui, & quia homines parui faciunt, quæ paruo constant, idcircò apud subditos exiguum pretium habent leges, quando vident quod superiores dicunt, & non faciunt, loquuntur, & non operantur,

Moyses exemplar respicere, non verba attendere cur iussus.

Superiorum leges gratæ quas illi moribus magis, quā verbis exprimunt.

rantur, & laxam, neglectamque vitæ rationem ducunt, qui strictam, accuratamque ab aliis expascunt. *Fac secundum exemplar. Non dixit, quod attenderet ad verba, quæ ab eo audierat, sed ad exemplar.*

Vires huic commendationi addet quædam sacri Rauennatum Archiepiscopi Petri Chrysologi obseruatio. Primum legis mandatum, & maximum omnium hoc est: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. *Hoc est maximum, & primum mādatum*; ajebat Dominus Matth. 22. 37. 38. Quis fuit primus huius mandati promulgator? Ductor populi Hebræi Moyses, cui hoc præceptum cum reliquis in tabulis descriptum Deus dedit, vt plebi suæ denuntiaret. Quamdiu verò Moyses cum Deo conuersatus fuit, priusquàm decalogum populo exponeret? Sacrum oraculum id his verbis declarat: *Ascendit Moyses in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*; Exod. 24. 18.

Quid causæ, quod Moyses tam diu hæsitare in monte, & in consortio Dei viuere, continuosque miscere sermones cum supremâ Maiestate debuit?

Moyses flagrauit amore Dei ante, quā alios ad amandum Deum hortatus fuit.

S. Petrus Chrysologus id exponit ser. 24. dicens: *Ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vt tantum esset Dei amore succensus, vt ipse ardentèr diligeret, & alios vt diligerent, sic moneret, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Promulgaturus erat sacer Dux primum mandatum, quod iubet amare Deum, tum & cætera, quæ tabulis expressa erant. Et quoniam hoc mandatum, vtpote amoris, viua flamma, & ardens ignis erat, congruum quoque, ac necessarium erat, vt Moyses in medio, meroque amoris igne, qui Deus est, hæreret, vt totus charitate primùm inardesceret, tantumque non deflagraret, dein alios supremi Domini amore inflammaret: *Vt tantum esset Dei amore succensus, vt ipse ardenter diligeret, & alios, vt diligerent, sic moneret.* Nam vt frigidus, ac gelidus legislator subditis multū ignem, aut flammas subiiciat, id communis virium creatarum conditio non fert, & moralitèr fieri nequit. Tametsi enim aliud sit lex, aliud legislator, & possit esse lex bona, quamuis legislator sit malus, nihilominùs experientiâ teste scimus, nunquàm continentiùs, religiosiùs, magisque piè, ac sobriè viuere subditos, quàm cùm Principes, & quicunq; alij Superiores legis vigorem suæ exemplo vitæ fouent, acuunt, confirmant.

Subditi de Superiorū exemplo bono benè viuunt.

Dicit quidpiam S. Lucas, quod non exiguam adferet difficultatem ei, qui attentè legerit. Adorarunt recens natum cælorum infantem felices illi, ac peruigiles Pastores (nunquàm enim fuerunt fortunati Pastores, qui somniculosi) atque vt ait Euangelista, *reuersi sunt Pastores glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, & viderant, sicut dictum est ad illos*, Lucæ 2. 20.

In his verbis illa habent difficultatem: *Sicut dictum est ad illos.* Videtur enim hîc supponere euangelista, quod Pastores iussi fuerint ab Angelis ire, ac glorificare, laudareque Deum, cùm tamen beatus ille spiritus, qui eis apparuit, solùm dixerit: *Euangelizo vobis gaudium magnum*, nuntium perfero optatissimorum expetitissimum *quia natus est vobis hodie Saluator* (ibid v. 10. & 11.) Sol prodit æternus, qui horridas culparum tenebras vt fuget, aduenit. Hoc est, quod annunciauit Angelus, quando & signa indicauit, à quibus sospitatorem agnoscere Puerum possent.

Quid ergo sibi vult, quod ait B. Lucas de Pastoribus illis, glorificâsse, ac laudâsse Deum, *Sicut dictum est ad illos*, quibus tale quidpiam dictum, aut verbulo imperatum non inuenies?

Angelorū bonum exemplum proiussione habuerunt Pastores primi Christicolæ.

Respondet Hugo Cardinalis dicens: *Referunt laudes, & gloriam Deo, non quod Angeli imperâssent laudare, sed ipsi laudando offerunt formam deuotionis suæ, dum dicunt, Gloria in altissimis Deo.* Itaque Euangelista de Pastoribus ait, magnificâsse, & laudâsse Deum, sicut dictum

fuerit

fuerit ad illos, non quod Angeli eis vel formam dictauerint, vel iussionem denuntiauerint iuxtà quam magnificare Deum, ac laudare deberent. Quomodo ergò laudarunt Deum, *Sicut dictum est ad illos*, si nihil tale dictum?

Exemplū bonum instar præcepti esse solet.

Respondeo. Audierunt Pastores suaue melos, quibus Angeli per choros velut certatim laudes, & gloriam iam tunc nati Saluatoris celebrabant, eoque exemplo ad laudes diuinas inflammati sunt, neque alitèr incitatis, ac si facere tantundem iussi fuissent.

Notate mihi in verbis Hugonis ista: *Ipsi*, putà Angeli, *laudando offerunt formam deuotionis suæ*. Et hoc, quod Angeli suo exemplo mouerunt, seque ipsos prototypum laudandi Deum exhibuerunt, vocat euangelista edictum, siue mandatum (*Sicut dictum est ad illos*) quia nullum magis viuum præceptum, nullum validius, efficaciusque mandatum, quàm Legislator ipse, vel Prælatus, aut Princeps, qui operis exemplo præit, & quid faciendum sit, facto demonstrat. Is namque tacendo plus imperat, quàm loquendo. Præcipere enim operas, & otiari, ferre leges austeras, & viuere vitam laxam, est velle impossibilia, & putare quod gelu inflammabit, quod volabunt montes, quod stellæ in terram se demittent, & flores cælum petent.

Exemplo bono nullum efficacius præceptum.

Propositum erat sancto Basilio condere leges, ferre præcepta, regulam præscribere, in quam qui iurarent, tenerentur sub reatu obseruare consilia euangelica, quæ prætermittere alioqui liberè possunt, qui voto spontaneo ad eorum obseruantiam seipsos non obligârunt. Adducere volebat homines, vt obedientiæ, paupertatis, castitatis, aliarumque talium austeritatum aspero iugo humilem promptè submitterent ceruicem. Quid verò ante omnia fecit? Austeram ad prodigium vitam egit, corpusque suum inediâ, vigiliis, atque id genus aliis pœnalibus exercitationibus ita emaciauit; & extenuauit, vt euangelicæ perfectionis quoddam velut portentum esset. Ferebat leges paupertatis, & quis illo pauperior? Præcipiebat obedientiam, & quis ad obtemperandum Dei mandatis expeditior? Castitatis obseruantiam exigebat, quis illo magis integer, & ab omni carnis voluptate, aut turpi libidine magis remotus, & alienus? Carnem continere in officio, & affligare imperabat, & quis alius tam immitis, ne dicam crudelis in carnem suam, & sanguinem fuit, ac Basilius? Denique tales illius mores fuerunt, tale vitæ exemplum, vt Nazianzenus Orat. 20. hoc de illo affirmet: *Virtutis legem omnibus Basilium fuisse, dicere non veremur*. Omninò absque omni rubore audactèr, & palàm dicere Nazianzenus potuit, suum Basilium fuisse maximè viuam legem, & animatam virtutis formam, tam consummatam, quàm sæculum, in quo degebat, non vidit aliam. Ad hunc modum nouam suam regulam, & leges sacer Legislator introducere debuit, vt esset ipse primus, qui eas absolutissimè, exactissimèque obseruaret. Quando fuerint tales Legislatores, & Moysen quidem charitate referant? Angelos verò exempli exhibitione imitentur, & Basilium asperitate vitæ exprimant, tunc promptam inuenient leges obseruantiam, quemadmodùm facilè in Ecclesiam introductæ, & cum ingenti plausu reuerentèr exceptæ, & religiosis acclamationibus plurimùm celebratæ fuerunt, quas Basilius excogitauit, & promulgauit.

Basilius omnibus lex virtutum erat.

Capvt IV.

Ex honore, quo Deus Legumlatores ornauit, æstimari potest, quàm magni æstimet illos, quos huic officio deligit, & destinat, vt leges aliis dictent; ac præscribant.

Hinc ego arbitrari incipio, quanta sit magnitudo perfectionis; & sanctitatis diuini Patris Basilij, quòd illum alta supremi monarchæ Dei prouidentia ex reli-

Legum latores Deo perquàm cari.

ex reliquo hominum genere nouum vitæ monasticæ, & religiosæ philosophiæ Legislatorem exemit, sublegit, designauit. Nullâ re aliâ videtur Dominus æquè demonstrare, quo in pretio habeat creaturam rationalem, quam ad imaginem, & similitudinem suam fecit, ac illâ, quod leges illi imponit, & ceruicem eius suorum præceptorum iugo onerat. Tantum verò studij ponit Deus in onerandâ, exornandaque legibus creaturâ rationis compote, vt quantumuis attenta, & peruigil eius prouidentia sit, cætera tamen negligere quasi videatur, dum hoc vnicè velut curat, vt de legibus, quibus solam, quam dixi, creaturam instituit, quantum gratiâ apud illum valeat, omnes arbitrentur, & intelligant.

Legibus solam rationalem creaturã Deus non tam onerat quàm honorat.

Dicit quidpiam sanctus Apostolus Paulus, quo sacer prædicator derogare videtur prouidæ vigilantiæ, quam summo Patri doctrina sacra concedit. Nam cùm illud Deuteron. 25. 4. commemorasset: *Non alligabis os bouis triturantis*; mox subiecit: *Numquid de bobus cura est Deo?* 1. Cor. 9. 9. velut apertiùs dixisset: Tam vilia sunt Deo animalia bruta, vt de ijs intelligi nequeat illud legis veteris, *Non alligabis os bouis triturantis*; adeòque de ministris euangelicis accipiendum, qui velut boues in excolendo sacro Ecclesiæ agro laborant. Benè habet istud. At videtur Apostolus illum è vetere Scripturá locum simpliciter exponere, & illam cum admiratione coniunctam interrogationem, prætermittere debuisse, quæ hoc insinuare videtur, quod Dominus boum, adeò & cæterorum brutorum curam nullam gerat. *Numquid de bobus cura est Deo?*

Sed quoniam de Paulo, qui in supremâ cælorum Vniuersitate Doctor Gentium, & Ecclesiæ creatus est, fateri debemus, cognitam habuisse vigilem prouidentiam Dei, neque ignorasse, quod ea se ad minimam formicam vsque extendat etiam illud nos scire oportet, quomodo rectè intelligendum, quod illa Dei prouidentia ad boues, & reliquas brutas animantes non sese exerat.

Quis hanc dirimere dubitationem, & propositæ quæstionis modum soluere, nisi Hispaniarum quidam Salomon Tostatus, possit? Is q. 8. in c. 22. Numer. sic habet: *Quod dicitur*, Non est cura Deo de bobus, *intelligitur quantum ad legis positionem, scilicet quia non ponit Deus legem brutis. Etiam non ponit legem hominibus, qualitèr se habere debeant ad bruta, solùm autem habet curam ponendi legem hominibus ad homines, & hominibus ad Deum.* Itaque tametsi Deo cura sit etiam de bobus, & brutis omnibus, quando tamen Apostolus ea respexit, tanquàm incapacia legum, & præceptorum, dixit, illa à Deo velut incurata relinqui, *Numquid Deo cura est de bobus?* Nam quod hominibus fert leges, & imponit præcepta, id tantam in eius prouidentiâ indicare vigilantiam, sollicitudinemque videtur, vt videatur prorsùm neglecta habere, & omni sua gubernatione destituere animalia bruta, tanquàm ea nunquàm nata fuissent, eò quòd illa nullis præceptis adstringit, sed omnibus legibus soluta relinquit.

Deus non habet curam boum. Quo sensu.

Cùm cæcis Gentilibus, qui verum Deum non cognoscebant, tanquàm cum brutis animalibus agens Propheta regius aiebat: *Quare fremuerunt Gentes?* Psal. 2. 1.

Hic omnes Interpretes extemplò arripiunt illud verbum, *Fremuerunt*. Fremere, rugire, rudere, boare, & quæcunque talia, quàm sint syluestrium bestiarum propria, nôrunt omnes. Cùm verò Propheta dicat, Gentiles fremuisse vt bestias, quarum scilicet feros, ac truculentos mores etiam præferebant, quo remedio fieri poterat, vt intelligerent se homines esse, non brutas animantes? Huic malo illud Dauid mederi posse arbitrabatur, si Dominus Legislatorem, perque illum præcepta eis imponeret. Quare orabat dicens; *Constitue, Domine, legislatorem super eos, vt sciant Gentes, quoniam homines sunt*; Ps. 9. 21. ijs, qui sine omni lege non secus ac pecudes

Legibus in hominũ ordinem reuocatæ Gentes quæ obrutuerãt.

viue-

viuebant, optabat Dauid à Deo legislatorem, cuius dum obtemperarent præceptis, gubernarenturque imperijs etiam cognoscerent, se à Deo non vt bestias, sed vt homines tractari. Quanquàm enim talibus hominibus subministret cibum, potum, & quidquid ad vitæ humanæ sustentationem præterea spectat, quamdiu tamen non ponit eis Leges, perinde est, ac si eos non curet, nimirùm agens cum illis non aliter ac cum irrationalibus animalibus.

Quærit Theodoretus, cur sacer proterui illius populi ductor, quando vidit cæcè, ac turpiter idololatrantem, inflammatus irâ, tabulas legis ad scopulos montis elisit, & frustillatim comminuit. Hàc de re sic habes Exod. 32. 19. *Iratus valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Posthæc maiore stomacho *arripiens vitulum combussit, & contriuit vsque ad puluerem,* ibid v. 20. Illum dico vitulum fusilem, cui futiles Hebræi honores diuinos immani sacrilegio detulerant.

Quod inane illud vituli simulachrum è loco suo deiectum, flammis traditum, & ad cineres vsque comminutum fuit, benè factum. Sed quo consilio, aut cuius rei gratiâ tabulæ legis elisæ fuerunt, & confractæ?

Moyses quo consilio tabulas legis elisit.

Respondet Theodoretus q. 68. in Exod. commodè in rem præsentem: *Existimauit populum non esse dignum legislatione diuinâ. Cum enim tabulæ eiusmodi dotalium instrumentorum formam haberent, Sponsâ verò in ipso limine thalami nuptialis ad committendum adulterium declinauerit, iure profectò dotales literas effregit.*

Leges Dei sunt tabulæ dotales.

Ex his habemus, quod Dei præcepta sunt tabulæ dotales desponsationis eius cum animabus, siue connubij quod cum animabus init. Et cum literæ dotales certissimâ reddant sponsam, quod omne à futuro marito præsidium, subsidiumque indubitatò expectare queat, etiam grauia indicia sunt amoris, quo prosequitur eos, quibus leges præscribit, & pretij, quod apud illum obtinent.

At si tantum beneficium est dare leges, quàm honorificum erit deligere quempiam, & huc adhibere, vt sit legislator, & religiosarum autor, promulgatorque sanctionum?

Confirmabitur hoc ab eo, quod Angelicus Doctor 2. 2. q. 175. art. 3. *Sed contrà* sciscitatur, *Vtrùm Paulus in raptu viderit Dei essentiam.* Quæsito respondet ibi ex aquilâ Doctorum S. Augustino, epist. 112. c. 13. & lib. 12. de Gen. ad lit. c. 13. & 28. contrà opinionem aliorum, his verbis: *Augustinus determinat in libro de videndo Deum, quod ipsa Dei substantia à quibusdam videri potuit in hâc vitâ positis, sicut à Moyse, & Paulo.* Suum autem de hâc Augustini sententiâ iudicium consequentèr subiungit Doctor Angelus dicens: *Et satis congruenter, Nam sicut Moyses fuit primus Doctor Iudæorum, ita Paulus fuit primus Doctor Gentium.* Ergo tametsi plusculæ sint rationes, quæ persuadere possint, vt credamus Moysen, & Paulum eximium illud gratiæ beneficium consecutos, vt in carne mortali ad essentiæ diuinæ admitterentur intuitum, fidem tamen huic rei id præcipuè facit, quod alter Hebræorum primus legislator, Ethnicorum Doctor alter fuit. Nimirùm putauerit Dominus, eos, qui tantarum rerum, tamque sublimium functionum autores, & administratores fuerunt, inferiore dono aut mercede, quàm saluifica faciei suæ ostensione remunerare non posse. *Et satis congruentèr. Nam sicut Moyses fuit primus Doctor Iudæorum, ita Paulus fuit primus Doctor Gentium.*

Moyses & Paulus, quia primi legislatores, Deũ interris videre meruerunt.

At si Paulus, & Moyses propterea quod primi fuerunt Hebræorum, Gentiumque magistri, & legislatores, tam insignito fuerunt exornati beneficio, vt diuinam in mentis raptu viderent essentiam, facilè est intelligere, quantâ gratiarum copiâ sacrum Phœnicem nostrum cumularit Dominus, eò, quòd primus fuerit legislator, Moyses euangelicus (vt eum vocat doctissimus P. Cornelius à Lapide in epist. dedicat. in Pentateuchum)

chum) qui scripto digessit instituta monastica, & religiosas leges omnibus, quotquot arctioris, & perfectæ vitæ desiderio tenentur. Sic de illo ait Magnus Theologus Nazianzenus in Monod. Basilij, prout transtulerunt Raphael Volaterranus, Bilibaldus Pirckheimerus, & Iacobus Middendorpius de vitâ monasticâ, c. 5. (præter illustrem testium cohortem, quam superiùs produximus) de hâc re sic ait: *Primus cœnobia excogitauit, ritumque antiquum, atque agrestem ad ordinem quendam, formulamque religioni propiorem reduxit.* Itaque & S. Gregorius Nyssenus conferens nostrum Phœnicen cum populi Hebraici duce Moyse, dicit, quod si hic, tanquàm populi legislator, fuit illustratus, & locupletatus eximiis, & insignibus visionibus, & in rubo mystico vidit admirabilitèr relucentem Dominum, Basilio quoque simile quidpiam accidisse, eiusque, dum oraret, conclaue transformatum in nouum cœlum, & cælesti luce ab omnipotente Domino perfusum. *Habemus aliquid huic visioni cognatum*, inquit ille Orat. in laud. S. Basilij. *Nam cùm nox esset, accidit ei illustratio, atque affulgentia domi oranti.* Ac tametsi Basilio non fuit concessum videre diuinam essentiam, quemadmodùm Moysi primo Hebræorum Doctori, & legislatori, debuit nihilominùs illum Dominus inexplicabilibus gratiæ donis ornare, & cumulare, eò, quòd primus autor esset non vmbratilium legum, quæ interituræ erant, sed perfectarum, & euangelicarum, ac perpetuò durabilium constitutionum. *Et satis congruentèr. Nam fuit primus legislator Monachorum.* Nam si ingens, ac singulare gratiæ beneficium est ferre hominibus leges, quàm eximia dignitas erit, esse primum legislatorem?

Constabiliemus hanc veritatem eo, quod de Lycurgo Plutarchus memorat. Lycurgus Lacedæmoniorum legislator fuit, qui quam diu ex legum illius præscripto vixerunt (vixerunt autem annos quingentos, & supra) tam diu in multâ pace, & quiete egerunt, semperque de hostibus suis triumpharunt, & plurimam iustitiæ in bello, & pace æquitatem seruarunt. Cùm ergo Spartiatæ secum reputassent, quantum ipsis contulisset beneficium, quando tulit leges, & dictauit ritus, quibus regerentur, & gubernarentur: nunquàm illi (quam perpetuam fuisse aduersùs illos Aristotelis querimoniam Plutarchus refert) debiti honoris debita tributa persoluerunt. *Aristoteles ait, minores Lycurgum apud Spartanos, quàm quos par erat, honores adeptũ.* Ita Plutarchus in Lycurgo to. 1. Quonam verò cultu Lycurgum Spartiatæ prosecuti sunt, & quos illi honores decreuerunt? *Templum ei positum est, sacrificaturque ei quotannis, tanquam Deo.* Sic Plutarchus, quod Aristoteles ignorare non potuit. At si Ædes illi religiosa, eaque sumptuosa, & permagnifica excitata, si dies anniuersarius constitutus, quo sacrificia illi tanquàm cælesti numini litata, & honores planè diuini exhibiti, quid sibi voluit Aristoteles querulus ob honores minores, quam par est Lycurgo à Spartiatis exhibitos? Ergone omnis illa tam religiosa, tam immodica Spartanorum erga Lycurgum obseruantia Aristoteli, Philosopho tam magno parua visa? Potuitne altiùs ab illis efferri, quàm cùm supremo Deo exæquarunt, & tanquàm tali quot annis sacrificarunt? Certum est non potuisse. Quid ergo Aristoteles, cum Lycurgis expostulauit, quod parci in honorando, colendoque Lycurgo fuerint, *eumque minores, quàm quos per erat, honores adeptum?* Esse legislatorem, condere iuris regulas, præscribere normas rectè instituendæ, & moderandæ vitæ humanæ, tam insignitum, tam opulentum, tam ingens, & incomparabile beneficium visum est Aristoteli, vt putarit, Spartanos etiam eo cultu, quem diximus, non satis testatos esse illam, quàm Lycurgo suo legislatori debuerant, gratitudinem. At si tantam venerationem merentur, & gratitudinem, qui leges tulerunt humanas,

[Margin: Legislatori suo Lycurgo Spartani diuinos decreuerunt honores.]

[Margin: Legũ religiosarum autores]

quo hono-re digni. nas quo honore digni erunt sacrarum autores regularum, & constitutionum, quæ ducunt ad perfectionem, & viam, quæ in cœlum, & beatitudinis indeficientem gloriam rectum iter ostendunt?

Hinc accipiemus, quæ gloriæ ornamenta, quot palmas, ac lauros meritus sit noster phœnix Basilius, qui non solùm fuit legislator, quales alij Solones, verùm etiam primus Lycurgus vitæ monasticæ, & perfectionis euangelicæ, vt qui *primus canobia excogitauit*, primus post Christum, eiusque Apostolos à supremo Consistorio ex omnibus mundi hominibus delectus Dux, princeps, autor, fons, & caput euangelicorum hominum, qui arctioris, austeriorisq; vitæ consuetudinem sectantes grata supremæ maiestati holocausta oblaturi essent? Huc, huc suis ponderibus cadunt, quæ Antonius Perez in tit. & in script. Regulæ S. Benedicti n. 28 aliò dixit: *Si gloriosum a deò, & diuinum est, monachum fieri, & esse reuerà monachum*, vt aiebat S. Ephræm de perfect. Monach. to. 1. *quid esse monachorum principem, patrem præcipuum, & summum?* Talis verò est Basilius Magnus.

CAPVT V.

Cùm semper prototypa sint antiquiora, siue præstantiora antitypis, idcirco etiam maioribus plausibus celebrantur inuentores, quàm imitatores.

Inuentor maiore laude dignus, quā imitator.

EMinentissimus Ostiæ Cardinalis S. Petrus Damianus obseruauit, quantùm sacer Propheta Daniel excelluerit socijs suis in cognitione abstrusissimorum cœli mysteriorum. *Omne verbum sapientia, & intellectus, quod sciscitatus est ab eis Rex, inuenit, in eis decuplum super cunctos ariolos, & magos, qui erant in vniuerso regno eius*, inquit sacer Scriptor Dan. 1. 20. Hoc peculiare donum Daniel, & collegæ consecuti sunt, quia noluerunt contaminari cibis ex mensâ bar-

Daniel sociis suis sapientior fuit.

bari Regis allatis. Monendum hoc sacra Scriptura putauit. Magna fuit copia sapientiæ, quâ Deus socios Denielis perfudit, inquit S. Petrus Damianus, sed oppidò maior cumulus, quo Danielem ipsum collocupletauit, cui hoc præ illis concessum, vt & somnia Nabuchodonosoris diuinaret, & significata illorum peruideret, *Danieli hoc est insuper additum, vt visionem omnium, atque somniorum notitiam perciperet*, inquit ille Opusc. 46. c. 8. to. 2.

Vnde verò Danieli affluentior illa mysteriorum notitia? Et quamobrem illi concessum, vt plura sociis secreta peruideret? Respondet vir Sanctus: *Quià censura illius autor extiterat, hoc est insuper additum.* Irretractabili proposito sese Daniel ad perpetuam obstinauerat abstinentiam à cibis, quicunque à profani Regis mensâ venirent. *Proposuerat Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensâ regis*; Dan. 1. 8. Pulchrum hoc, & sanctum propositum à sacro diuini prophetæ Danielis corde manauit, Daniel hunc tam generosum, & magnanimum cogitatum primus concepit, collegæ autem eius illum sunt imitati, exemploque ipsius in se translato totis pectoribus sese obfirmarunt aduersùm omnem qualiscunque cibi esum, quo contaminari possent. Dicit nunc sanctus Petrus Damianus; *Quià censura illius autor fuerat* Daniel, *hoc est insuper* ei *additum*. Plurium, & abstrusiorum, reconditiorumque, & illustriorum visionum notitiâ donatus, & ornatus fuit, eò quod is primus abstinere ab omni cibo vetito cogitauit. Hinc licet intelligere, quantum imitator ab autore, & inuentore primo differat, quantumque hic illum superet, tametsi enim ambo suas à Domino accipiant lauros, prolixiorem tamen remunerationem consequuntur, qui primi dignas laude actiones ediderunt, quàm qui eas posteà sunt imitati: *Quià censura illius autor extiterat* &c.

Daniel prior ad abstinentiam à cibis profanis se obstinauit.

Daniel sapientior, quia abstinentior.

Præclara quædam Alphonsi Tostati obseruatio validum fuerit huius rei sufculci-

fulcimentum. Postquàm Rex Iehu Dei iussu idololatricam illam, & sanguinariam Iezabelem mactari curasset, nunciumque necis eidem illatæ accepisset, ità dixisse fertur: *Sermo Domini est, quem locutus est per seruum suum Eliam Thesbiten*; 4. Reg. 9. 36. velut aliis verbis dixisset: O quàm cumulatè impleta sunt, quæcunque ex Deo ardens honoris illius propugnator Elias vaticinatus fuerat! Nimirùm canes (quod hic prænuntiauerat) carnes illius impiæ, & maledictæ Principis deuorârunt, perindeque illis, ac brutæ, vilissimæque pecudis carnibus sunt pastæ, & exsaturatæ.

Iehu in Eliã refert nuncium quod ab alio vate acceperat Cur?

Notandum hîc, quòd ea verba, quæ Iehu ab Eliâ prolata dixit, ab illo prophetâ ei renuntiata fuerunt, à quo ipse in regem vnctus. Is nempè 4. Reg 9. 10. post multa hæc subinferebat: *Iezabel quoque comedent canes in agro Iezrabel, neque erit, qui sepeliet eam.* Quod si ita est, quomodo Rex Iehu ea verba refert in Eliam prophetam, huiusque vaticinio magis comprobat rigidum illud de Iezabele sumptum supplicium, quàm illius, cuius annuntiatione intellexerat, quo necis genere truculenta illa fœmina perimenda fuerat?

Huic quæsito satis facit Tostatus q. vlt. in 4. Reg. c. 9. dicens: *Quia eadem verba dixerat Elias, & iste propheta, qui vnxit Iehu, & sic videbantur iam ista verba esse translata, ideò debebant attribui origini suæ, scilicet Eliæ.* Prudenter Rex Iehu noluit talium verborum autorem illum facere, qui secundo loco renuntiârat sententiam, quam contrà barbaram Principem Principum optimus maximus pronuntiarat, quià hoc ipsum ex irato Deo Elias iam ante indicarat: Cumque Elias fuisset eius nuntij velut originale, vel archetypon, alter autem propheta quoddam quasi inde translatum exemplar, & ille quidem tanquàm fons præsagij, hic autem ceu quidam eiusdem riuulus, idcircò consultus Rex primas etiam Eliæ, non prophetæ posteriori tribuit. Semper enim archetypa antitypis debent esse venerabiliora, & antiquiores haberi fontes fluuiis, qui inde promanant, & decentioribus laureis coronari hi, qui primi excogitauerunt, siue attulerunt quidpiam, quàm illi, qui sunt posthæc imitati. *Videbantur iam ista verba esse translata, ideò debebant attribui origini suæ, scilicet Eliæ.*

Philippus II. noluit æntitypũ, quamuis elegantissimum, in suo Escuriali permittere.

Inhærens huic doctrinæ Salomon Catholicus Philippus II. noluit admittere intrà suum octauum orbis miraculum (*Escurial* vocant) quendam velut ad ingenium illius Regis, talisque basilicæ ornatum solertissime elaboratam imaginem. Sciscitatus enim vtrùm ea pictura esset, quæ primùm ab artificis manu profecta, cùm responsum accepisset, esse copiam, vt vocant, siue similis formæ exemplar, subiecit prudens monarcha: *Pues para que le an traido?* hoc est, quid ergo eam huc attulerunt picturam? Posthæc iussit suum pictori liberalitèr dependi manupretium, ab eoque imaginem referri domum, vnde allata fuerat, arbitratus, vt erat eximiè prudens, & perquàm cordatus, eiusmodi antitypa neque existimationem singularem mereri, nec remunerationem diuitem. Archetypis verò sublimius, copiosiusque debetur pretium.

S. Benedictus Basilium patrẽ agnoscit.

Hinc sine dubio nata est diuino, & illustrissimo occidentalium monachorum Patri Benedicto sua illa gratitudo, & submissio, quacum in extremo suæ Regulæ capitulo primas, & antiquiores partes concedit Regulæ, S. Basilij, qui euangelicus Moyses, & monasticæ philosophicæ primus legislator fuit, eumq; patrem, & fontem, & caput agnoscit. In eo capitulo hæc sunt, quæ huc faciunt. *Collationes Patrum, & vita eorum, & regula sancti patris nostri Basilij.* Quamobrem verò clarissimus P. Benedictus sanctam regulam suam aureâ hac claui obsignat, dicens: *Et regula sancti Patris nostri Basilij?*

S. Benedictus Regulam suam ex Basiliana hausit.

Huic interrogationi occurrit insignis Cardinalis, & Hispanus Turre cremata, inquiens, à duobus fontibus promanasse regu-

regulam S. Benedicti, quorum primus sit Euangelium, secundus Regula S. Basilij. Verba docti Cardinalis in Prologo Regulæ S. Benedicti c. vnico sic habent: *Educta insuper est regula B. Benedicti tanquàm fluuius quidam ex fonte religionis, ex illa toti seculo clarissima, omniumque virtutum splendore ornatissima Regula B. Basilij, vt idem beatus P. Benedictus in finali capitulo Regulæ commemorat.* Mihi Regulam huius sacri & excelsi Patriarchæ Benedicti consideranti occurrit, similem videri Iordanis fluminis, de quo S. Hieronymus, in c. 16. Matth. & ex illo B. Isidorus lib. 13. etymol. c. 21. Abulensis q. 68. in c. 13. Gen. Lauretus, Iacobus Salianus, & alij multi aiunt, oriri ex duobus fontibus, quorum vnus Ior, alter Dan appelletur, ex vtroque autem fluuium vnum, & nomen Iordanis vtriq; commune nasci. Loquatur vnus pro omnibus Hieronymus *Iordanis*, inquit ille, *oritur ad radices Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, & alterum Dan, qui simul mixti Iordanis nomen efficiunt.* Ad hunc modum Regula S. Benedicti ex duobus fontibus descendit, quorum alter est Euangelium, alter Regula S. Basilij Magni. Quare etiam beatissimus Patriarcha Benedictus attentè, ac reuerenter agnoscens, quid vtriq; fonti, quid seorsim Basilio deberet, gratè honoris tributa persoluit, quæ patri filius, exemplar suo archetypo, fonti fluuius debet, non nescius, quod sua Regula *tanquàm fluuius quidam ex fonte religionis ex Regula B. Basilij* profluxit. Certè verba ipsa, quibus Basilio Benedictus se submittit, eiq; defert, talia sunt, vt ijs se talis patris filium, eiusq; Instituti alumnum deniq; è tali archetypo translatum exemplar satis luculentè profiteatur: *Collationes Patrum, & Regula S. Patris nostri Basilij.*

In his verbis illud considerandum, quod non ait, *Collationes nostrorum Patrum*, sed *Patrum* duntaxat: Verùm cùm Basilium vsurpare labijs cœpit, non Patrem solitariè, vt cæteros, sed Patrem suum vocat, dicens: *Et Regula sancti Patris nostri Basilij.* Ergo singulari quadam, eaque arctiore consuetudine adstrictum se agnouit Basilio, quàm alijs Patribus, quorum in Collationibus fit mentio, cùm hos absolutè Patres nominet, Basilium verò Patrem suum, suorumque communem.

Puto quod hoc mysterium adumbratum inueniemus apud regium Prophetam, qui nescio quid gratiarum à Domino expetebat, quando aiebat: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus:* Ps. 66. v. 8. Hic sese aperit sacrosanctum diuinissimæ Trinitatis mysterium, vt magno consensu affirmant sacri Expositores, ter enim diuinus Cantor Deum nominat, Pater autem Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus est.

Verùm animaduertendus nunc diligenter modus, quo tres illas sacrosanctas personas beatus Dauid appellat. Soli nimirùm illi, quam secundo loco nominat, dicit Deus noster. Ea verò est persona Filij *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Quid est, quod solus Filius dicitur Dauidi, *Deus noster*, non Pater, & Spiritus sanctus? (Christus solus Deus noster à Dauide dictus. Cur?)

Curiosæ huic dubitationi satis faciunt duo eruditi alumni illustris patriarchæ Benedicti, Ioannes Baptista Eolengius, & Gilbertus Genebrardus, quorum hic ità dicit: *Secundo autem Deus cum pronomine,* Noster, *propter personam Filij, qui incarnatus, habituque inuentus vt homo arctissima quâdam nobiscum coniunctione, & inter nos visibilitèr versatus, salutemque nostram foris operatus euasit Emmanuel.* Tametsi & Pater sit noster Deus, & Spiritus sanctus sit noster pater, noster Deus, ac dominus, tamen quià solus Filius nostram humanam naturam induit, & communibus nobiscum nascendi, ac moriendi legibus se submisit, publicamque nobiscum consuetudinem coniunxit & in familiaritatem nostram benè penitùs sese dedit, eà propter Propheta Rex, cùm ad personam Filij venit,

cum singulari mysterio ei, *Deus noster*, dixit, Patri autem, & Spiritui sancto absolutè, *Deus*, sine adiectione Pronominis, *Noster*, Filium Deum nostrum appellandum putauit, quia *habitu inuentus* est *vt homo* (Philip. 2. 7.) hominumque naturam indutus, de illorum ordine, & instituto fuit.

Tantundem facit Benedictus. Quando enim omnes superiorum sæculorum Patres ob oculos habebat, & cum vno Basilio, illo euangelico Moyse, & vitæ monasticæ legislatore totam illorum cateruam componebat, cæteros quidem Patres solitariè vocabat (*collationes Patrum*) solus autem Basilius illi *Pater noster* dicebatur (*& Regula sancti Patris nostri Basilij*) velut hoc tacitè dixisset: Basilius noster pater, Basilius fons noster, & archetypum nostrum est, & omnes mei alumni sunt filij huius patris, membra huius capitis, huius archetypi antitypa, huius solis radij, huius fontis riui, quià Benedictus *habitu inuentus vt Basilius*, non Antonij non Hilarionis, non Pachomij, non Augustini, sed vnius, soliusque Basilij vestem religiosam assumpsit (quanquàm omnes illos patrum lòco habuit, & velut tales coluit) idcircò etiam Basilius illi peculiarissimus, & intimus pater fuit, vt cuius habitum induit, cuius vestigiis inhæsit, ex cuius Regulâ mutuatus est, in quo sacrũ & illustrem suum Ordinem fundauit.

Benedict⁹ vestem religiosam Basilij assumpsit.

Videtur mihi eius, quod de singulari Benedicti ergà Basilium propensione, & obseruantiâ dixi, causa ex occulto quodam mysterio erui, quod amoris philosophia habet, & Michael Ayguanus, (autor ante hac incognitus) ex naturæ scrutatoribus nõnullibi annotauit, & his verbis expressit. *Dicunt Naturales, quod quando quis est inflammatus alicuius personæ amore, ex velocitate pulsus percipitur, ad quam personam talis sit afficitur, nam pluribus personis sibi nominatis, audita persona, ad quam afficitur, statim pulsus fortius mouetur.* Quem plurium amor inuasit, cùm non æquè omnes diligat, in eum vehementiùs inardescere intelliges, ex cuius, commemoratione arterias incitatiore pulsu agitari sentias. In rem præsentem eâ transfero. Occurrunt animo magni Benedicti Patrum collationes, quas totiès legendo euoluerat, inque illis Sereni, Danieles, Chæremones, Ioannes, Iosephi, Pauli, Hilariones, Arsenij, Abrahæ, Macharij, Pachomij, Antonij, alijque innumeri, quos tanquàm specula intuens animam suam expoliret, atque ad omnem perfectionem componeret. Sed cùm alij memoriæ occurrunt, solo Patrum nudo nomini eos donat; & *Patrum collationes* tantùm vocat eorum quædam apophtegmata, siue dicta insignitiora: Cùm verò Basilium recordatur, quo tanquàm circino, amussi, perpendiculo ad omnes religiosas, & apostolicas suas actiones est vsus, multò reuerentiùs illum nominat, dicens: *Et Regula sancti Patris nostri Basilij.* Quid sibi vult, quod Basilium affectuosiore Patris sui vocabulo indigitat, cùm reliquos tam multos absolutè Patres vocâsse contentus fuerit? Filius Basilij erat Benedictus, & Solis illius radius, & fontis riuus, & amore illius vehementiùs ardebat: Itaque cùm illum & memoriâ repeteret, & linguâ memoraret, bullire in venis sanguis, & æstuare, atq; agitare arterias cæpit, vt neq; occultare amorem, nec facere posset, quin ad contestandam suam ergà illum obseruantiam, ac propensionem honorificentiore etiam titulo eum donaret, & Patrem suum, suorumq; appellaret. *Pluribus personis sibi nominatis, audita persona Basilij, ad quam afficiebatur, statim animus fortius mouebatur.*

Amoris singularis indicium incitatior pulsus arteriæ,

Benedict⁹ cur Basilium vnum è tam multis Patribus patrẽ suũ vocat.

Et ne quis mihi obijciat, quod hæc stylo à me concionatorio immoderatiùs exaggerantur, & amplificantur intemperantiùs, & iustò sublimiùs extolluntur, age, bonorum Autorum fide dignis testimonijs comprobata demus, quæ diximus, hoc est, talium virorum, qui vacuis omni passione animis meram, integramque simpliciter afferant veritatem.

Benedicti-nos filios Basilij mul-ti faciunt.

Sit primus testis doctissimus dominus, & Episcopus Pampilonensis Don. Fr. Prudentius de Sandoual, magni Benedicti alumnus, qui in Epitome sacrarum actionum illius Fundat. de Cast. fol. 13. col. 2. hæc quæ subijcio, scripta reliquit: *I como à un tiro de arcabuz topò con el san Roman monge, que los devia aver in estas montañas como Hermitaños, o de la Regla de nuestro Padre S. Basilio* &c. quæ latinè sic habent. *Et cùm ad iactum sclopeti occurrisset illi S. Romanus monachus, monachi enim tunc fuerant in istis montibus velut Eremicolæ, aut certè professores Regulæ S. Patris nostri Basilij* &c. Et post aliqua: *Al fin S. Roman diò el habito de Monge al niño*, id est: *Denique S. Romanus Monachi vestitum puero dedit.* Grauè hoc est testimonium viri tanti, qui & in Regulam S. Benedicti iurauit, & licet velut dubius id affirmet, nobis tamen res ea exploratè certa est.

Alius quidam magnæ fidei historicus hoc ipsum citrà omnem hæsitationem adstruet. Is est P. Magister Fr. Didacus de Coriâ Maldonatus, qui lib. 9. suæ Carmelitanæ historiæ ita scribit: *Sin duda Roman, i los Monges de su monasterio, i los demas Conuentos, que S. Benito saliò a regir, luegoque saliò de la cueva del yermo de Sublago, eran Basilios.* Latinè: *Haud dubiè Basiliani fuerunt S. Romanus, & cæteri de illius monasterio ascetæ, & reliqui Conuentus, quos gubernandos S. Benedictus suscepit, mox vt è speluncâ loci, qui Sublacus dicitur, in publicum prodijt.* Et P. Magister Fr. Hieronymus Roman Ordinis Eremitarum S. Augustini in sua Repub. to. 1. lib. 6. c. 7. sic habet: *Verùm non propterea aio, quod S. Benedictus fuerit religiosus Augustinianus, cùm ex ipsius Regulâ luculentiùs accipiatur fuisse Basilianum.* Et doctus P. Fr. Ludouicus de Mirandâ Ordinis Seraphici in suo Director. Prælat. q. 4. art. 2. to. 1. in eandem rem exertè sic pronuntiat: *Hic sanctissimus, ac benedictissimus vir, re quidem, & nomine veracitèr Benedictus, sub instituto diui Ba-*

silij aliquando fuit.

Accedit eruditissimus P. Antonius Galonius ex Congregatione Oratorij in Apolog. pro Baronio, qui in ea Regulæ S. Benedicti verba: *& Regula S. Patris nostri Basilij:* ità differit: *Verè sanctissimus, sicut & gratissimus, dum per quem profecit, non occultans, sanctissimum patrem nostrum Basilium nominat, vt ostendat quemnam in suis instituendis monachis magistrum secutus, & quibus antequàm suas leges scriberet, ipse vixerit, & suos monachos erudierit.* Non de nihilo suum, suorumq; patrem Basilium vocauit Benedictus, nam cùm æquè gratus esset, ac sanctus, noluit silentio præterire eum, cuius institutionum adminiculo magnos in vitâ religiosâ progressus tum ipse fecisset, tum suos monachos ad omnem pietatem, perfectionemq; erudijsset, idque illo tempore, quo Regulam suam nondum adornârat; nunquàm scripto expresserat. Doctissimus P. Ioannes Azorius Societatis Iesu to. 1. lib. 12. c. 19 q. 5. superiorum Autorum vestigijs inhærens, sententiam eorum confirmat, dicens: *Huic (Basilio scilicet) posteà Benedictus in Occidente successit, Monachorum Orientis sub eiusdem Basilij Regulâ vitæ rationem æmulatus, suosque Monachos formulam viuendi à se præscriptam profiteri voluit.* Cardinalis Scipio Lanzotus apud Tamburinum disp. 25. num. 145. v. 1. omnia hactenùs dicta confirmat, inquiens: *Quemadmodùm Augustinus reformauit, ac decorauit Clericos primitiuæ Ecclesiæ, ita fecit Benedictus de Regula S. Basilij.*

Non hæc dissimulauit Raphâel Volaterranus, quando rogatus, vt suam hâc de re sententiam exponeret, lib. 21. Antrop. dixit: *Benedictus patriâ Nursinus primùm Sublacum secessit, vbi Ordinem Monachorum cæpit in Italia, quem anteà Basilius in Oriente constituerat.* Insignis Iurisconsultus Franciscus Antonius Purpurea in Allegat contra Cassinenses, *Diuum Benedictum priùs Basiliani fuisse instituti*, & Basilij cucullum ante vesti-

jſſe, quàm ſuam Regulam conſcripſerit, tanquàm rem exploratè certam, compertamq; habet. Eruditus Guido Pancirolus iuriſprudentiæ notitiâ, & omniũ literarum peritiâ non minùs celebris 1. Theſ. variar. q. c. 81. commodè in cauſam præſentem ſic loquitur: *Monachos priùs diſperſos diuus Baſilius in cœnobia coëgit, vt tradit diuus Gregorius Nazianzenus, poſteà eos laxiùs viuentes ſanctus Benedictus reformauit.* Itaq; illud communis omnium ſententia habet, quod glorioſus patriarcha Benedictus fuerit Reformator Baſilianorum, & Ordo Benedictinus quædam inſtauratio Ordinis Baſiliani. Ex tàm illuſtri Reformatore ſublimis nobis excellentia venit, & maxima, inſignitiſſimaq; nobilitas, quâ gloriari poſſumus, ea eſt, quod tam illuſtris, & diuinus architectus collabaſcentem religioſæ diſciplinæ noſtræ fabricam inſtaurauit, & in primitiuum ſtatum reſtituit. Secundùm hæc quid mirum, quod glorioſiſſimus P. S. Benedictus ad finem ſuæ Regulæ tam peculiarem mentionem faciat Regulæ noſtri diuini Patris S. Baſilij? Meritò ergo dixit Galonius: *Verè ſanctiſſimus, ſicut & gratiſſimus, per quem profecit, non occultans.* Verè parem habuit ſanctitati gratitudinem, qui ſilentij nube tegere noluit radios Baſilij, ex quibus hauſit lucem, ad quam ſuas inſtitutiones, Regulamq; elaboraret. Et ſi Benedictus eſt filius talis Patris, ſi riuus illius fontis, ſi radius illius Solis, ſi ramus illius arboris, ſi autographi illius antitypum, quomodo potuit Regulam ſuam non obſignare ſingulari ſuæ ergà Patrem, fontem, ſolem, arborem conteſtatione obſeruantiæ, cùm non ignoraret, primis inuentoribus ſummam deberi venerationem, illuſtriſſimiſq; palmis dignos eſſe, qui auſteriori vitæ viam primi aperuerint. Et cùm hæc tàm ſit notoria veritas, nolo ad eam confirmandam plures huc accerſere teſtes. Quando diuini Phœnicis res geſtas typo expreſſas euulgabo, quod Deo opitulante propediem fiet, meramque, & nullâ prædicabilium conceptuum varietate intextam hiſtoriam dabo, tunc maiore affluentiâ in lucem proferam, quæ in hâc exiguâ tabellâ exprimere non poſſum. Nam *ſunt multa fucis illita, quæ luce, ô magne Pater, & Domine, purgentur tuâ.*

S. Benedictus reformator Baſilianorũ,

Capvt VI.

Ex pœnis, quæ contra nouorum dogmatum, & ſolutioris vitæ inuentores ſunt conſtitutæ, poterimus venire in cognitionem gloriæ ijs præparatæ, & decretæ, qui meliores auſteriùs, & ſanctiùs viuendi modos primi excogitant.

Tritum, peruulgatumque eſt illud Ariſtotelis axioma: *Oppoſita iuxtà ſe poſita magis eluceſcunt.* Candidæ niuis albor nunquàm æquè ſplendicat, ac cùm proximum habet carbonem, carboniſq; atror magis offendit oculos, quibus gratus niuis candor ſimul ſeſe offert. Vt ergo indagemus magnitudinem gloriæ, quâ ſacer Phœnix noſter Baſilius in cœleſti aulâ gaudet, priùs expendamus ſupplicia, quæ iratus Dominus ijs conſtituit, qui nouis erroribus, & laxiori, liberioriq; vitæ primi aperuerunt iter, vt hinc æſtimemus, quo honore ornabit, quantiſq; gratiarum beneficijs cumulabit eos, qui ardente maioris gloriæ ipſius cupiditate inflammati, incitatiq; arctioris vitæ inquiſierunt ſemitas, adinuenerunt modos.

Attentam meretur conſiderationem grauis delegatio, & auſtera iuſſio, quàm Regi Sauli Samuel propheta ex ſummo Imperatore denuntiauit his verbis: *Vade, & percute Amalec, & percute vniuerſa eius, non parcas ei, ſed interfice à viro vſque ad mulierem & paruulum, atq; lactentem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum,* 1. Reg. 15. 3. Quantâ iracundiâ, & ſtomacho exarſerat Dominus qui voluit, vt gladius Saulis à Rege vſque ad Paſtorem, à ſene vſque ad infantem, à

coniu-

coniugatâ vſque ad virginem, à boue vſq; ad agnum nulli parceret, ſed vnâ occiſione omnia deleret, ferroque, & igne communi viros, mulieres, greges, ſupellectilia omnia vaſtaret, extingueretque!

Quæri hîc poteſt cauſa, ob quam indignabundus Dominus tam immite decreuit in Amalecitarum gentem ſupplicium.

Ipſe Dominus eam indicâſſe videtur, quando ibidem v. 2. ait: *Recenſui quæcunq; fecit Amalec Iſraëli, quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto:* Alij, vt refert Claudius Rangolius, legunt: *Recognoui, recogitaui*, iterùm, iterumq; mecum reputaui, quid barbari iſti Gentiles fecerint populo meo, quando illi per viam ſeſe obiecerunt, vt ne gauderet multis, & magnis ſuſpirijs diu expetitâ libertate, poſtquàm eos mea liberalis manus à durâ & diuturnâ captiuitate Ægyptiacâ exemit.

Benè habet iſtud. Sed cùm plurium nationum homines adlaborârint, vt Domini populum ab ingreſſu terræ promiſſæ impedirent, cur Amalecitæ ſoli atrociores, quàm alij, pœnas dederunt, & par ſcelus ſupplicio impare luerunt?

Huic quæſtioni quidam apud Toſtatum q. 2. in 1. Reg. 15. ſatisfaciunt, dicentes: *Eò quod ipſi primi pugnauerunt contrà Iſraël, quàm omnes aliæ Gentes, & in hoc dederunt occaſionem cæteris Gentibus pugnandi contra Iſrael. Vnde Deus nimiùs comminatur eis, quia ipſi primò pugnârunt, vt patet. Num. 24. v. 20. vbi ſic habes:* Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur; *id eſt, prima de Gentibus, quæ pugnauit contra Iſrael, fuit Amalec, ideo extrema eius perdentur, id eſt, ad vltimum ipſe peribit.* Omnia hæc paucioribus verbis complexus Nicolaus Lyranus in 1. Reg. c. 15. ait: *Quia primò filios Iſraël impugnauit in deſerto, vt habetur Exodi 17. ideò meruit deleri ab hominibus vſque ad animalia, & à maiori vſque ad minimum.* Cauſa ergo, ob quàm Dominus tam grauitèr indignatus fuit Amalecitis, vt radicitus eos extinctos, terramque illorum immanium ſuppliciorum inundatione prorsùs obrutam voluit, hæc eſſe videtur, quòd idololatræ illi, & barbari homines primi tranſitum negârunt populo Hebræo, quando hic liber ab Ægypto in promiſſionis terram contendebat, & armis obſtruxerunt viam, ne pergerent diu intolerabilitèr vexati Iſraëlitæ, quò ſua eos felicitas vocabat. Itaque Deus velut iuramento ſeſe ad pœnas de illis ſumendas obfirmauit, cùm ait: *Principium Gentium Amalec*, Num. 20. quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Gentiles iſti, & agreſtes primi bellum mouerunt Iſraëlitis, viamq; præcluſerunt, vt cæptum perſequi iter non poſſent, eâque ratione exemplum præbuerunt, & animos fecerunt cæteris hoſtibus, vt ſimilitèr impedimenta ſtruere, & inijcere moras ijſdem Iſraëlitis auderent, idcircò ità deſtruam, & ad viuum reſecabo illos, vt non homo, non beſtia, non aliud quidpiam maneat reliquum: *Ad vltimum ipſe peribit.* Tàm vehementèr inflammatur irâ Dominus aduerſùs eos, qui primi aperiunt viam malefactis, qui alijs errandi ſunt autores, abducuntque eos, vt perperam agant, & peccent.

Peccatorũ primos inuentores vehementèr odit Deus.

Non miror quod Deus tam auſterum ſe talibus exhibeat, quando etiam homines, & reſpublicæ ſeueriſſimè caſtigârunt hoc ſcelus, poſtquàm illius immanitatem ad ſolius naturalis rationis lucem conſiderârunt. De Lacedæmonijs referunt Deſiderius Eraſmus, & Paulus Manutius ex Plutarchi lib. 2. Apophtegmat. num. 3. *ſcutiferum militem interremiſſe, quod ſcuto nonnihil purpurei panni intertexuiſſet.* Cur delictum non valde, vt videtur graue tam enormi, ac ne vero ſupplicio mulctârunt? Quia is miles primus fuit, qui id genus laxamenti, & mollitiei in exercitum Laconum inducere voluit. Itaque miles ille non tam pro ſcelere perpetrato, quàm pro foribus ſimili flagitio laxatis, proq; apertâ viâ, & detectâ occaſione, quâ ad alias eiuſmodi relaxationes cæteri eius exemplo effundi poſſent, & ab arctitudine diſciplinæ

Lacedæmones laxamenti primos autores grauitèr mulctarũt.

Diſciplinæ laxiori qui feneſtellam, ijdem fores amplas aperiunt.

plinæ Laconicæ ad licentiam solutioris militiæ Persicæ transire, morte crimen alioqui non mortale luere debuit. *Ob id in primos autores seuerissimè animaduertebant*, inquit Manutius. *Quia plurimùm nocuit reipublicæ, quisquis fenestram vitijs aperuit.* Non dicit, *Qui ianuam aperuit*, sed qui fenestram aperuit. Disciplinæ enim relaxatio, & licentia, mollitudoque vt facillimè introducuntur, ita non est necessum aperire ijs portam, sed fenestram patefacere, aut solùm exiguum hiatum ostendere satis est. Angustam rimulam in latè patentes fores laxare, & ex arctis semitis amplissimas vias facere possunt.

Basilij commentarius in quædam Euangelici Prophetæ verba suo autori à sensu contrario copiosam insignis elogij adornabit materiam. Propheta is est Isaias, qui c. 10. v. 3. & 4. contra peruersos quosdam, illorum, quos hîc perstringimus, similes ita exclamat: *Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? Ad cuius auxilium confugietis? Et vbi derelinquetis gloriam vestram, ne incuruemini sub vinculo & sub interfectis cadatis?* O miseri, quid agetis, cum vos lachrymosa extremi iudicij dies comprehendat? Quo tunc fine caduca, & euanida gloria vestra claudetur, & quomodo fieri poterit, vt ne in catenas æternas incidatis, neue occisi suo vos casu opprimant, & *cum interfectis* non *cadatis*? Textus Græcus hæc postrema legit affirmatiuè: *Sub interfectis cadetis.*

Responsum meretur quæstio, & desiderium intelligendi, qui nam erunt hi interfecti, & qui horum sanguinarij inuasores, & trucidatores, quos vtrimque tam minaciter, terribiliterq; adformidabilissimum, & austerissimum omnipotentis Dei tribunal vocat.

Doctoribus malorum dogmatū primis quæ pœna constituta.

Basilius satisfaciet interrogationi, & occurret dubitationi, cuius sunt ista in c. 10. Isaiæ: *Sub interfectis cadent. Tales in imam partem concident, ijs substernentur, quorum animas interemerunt. Quod doctoris, & autoris sectæ circumferas nomen, magnificè gloriaris, è diuerso tunc ijs ipsis, quorum animas internecioni dedisti, es futurus abiectior.* Interfecti, de quibus hic loquitur Isaias, sunt ij, quos hæretici venenatis suis doctrinis primùm quidem orbârunt vitâ gratiæ, deinde verò æternitate totâ gloriæ nudârunt. Animicidæ autem sunt nouorum dogmatum figuli, vel satores hæresiarchæ, in quibus Arius, Sabellius, Eunomius, Priscillianus, Lutherus, Caluinus, qui cùm viuerent, iactantèr gloriari solebant ingenti copiâ eorum, quos irretierant, & laxæ doctrinæ nouitate à viâ veritatis ad deuia errorum abstraxerant, & cùm auidos auditores, tùm venerabundos cultores habebant. His nunc minus intentat Propheta, dicens: *Sub interfectis cadetis*, & in profundâ sempiternæ vltionis abysso subiacebitis eis, quos peruersis doctrinis vestris in fraudem impulistis. Quisquis alios contagio perniciabilis doctrinæ suæ infecit, & interfecit, *hic ijs ipsis, quorum animas internecioni dedit, est futurus abiectior.* Dignum hoc est supplicium, & iusta pœna, quàm seuerus Iudex ab ijs olim repetet, qui in hâc vitâ fuerunt capita, duces, autores, fontes, fores nouorum errorum, & sectarum, vt in futurâ æternâ vitâ cum intolerabili infamiâ subiecti maneant eorum pedibus, quos miserè deceperunt, & dementârunt. *Sub interfectis cadent. Tales in imam partem concident.*

Doctrinarū malarū autores subiacebunt olim seductis discipulis.

Disciplinæ arctioris autoribus quāta constituta gloria.

Iam si falsorum dogmatum, & exitialium sectarum autoribus ea est constituta pœna, vt fremant, & frendant sub pedibus eorum, quos in ardentia Inferorum ergastula præcipites deiecerunt, quænam illis palmæ, quæve coronæ præparatæ erunt, qui arctioris vitæ semitas aperuerunt, & seuerioris, religiosiorisq; disciplinæ modos excogitârunt, & moribus expresserunt primi? Nonnè sublimiùs efferentur suprà omnes illos, quos habuerunt strictioris vitæ discipulos, imitatores, alumnos? Hinc accipiemus, quàm ingens, & singularis, & inexplicabilis

bilis erit gloria Basilij, quàm splendida, & incomparabilis corona, quæ tempora illius cinget. Nam si quilibet sui Ordinis protoparens peculiari, insignitoque gaudebit præmio, eò quod noui Instituti, & Regulæ autor fuit, quàm diuite remuneratione cohonestabitur diuinus noster Patriarcha Basilius, qui non vnius tantùm Ordinis autor, sed omnium religiosorum institutorum inuentor dici potest? Hic nempè in eremo, aperuit fontes, & patefecit vias, fontes ex quibus alij sana consilia hauserunt, semitas quas cæteri posteri vitæ monasticæ propagatores inierunt, quod cùm omnes affirment, qui hac de re agunt, vel loquuntur, præclarissimus etiam Ecclesiasticæ historiæ Scriptor Cardinalis Baronius his tàm luculentis verbis apertè asserit ad annum Domini 363. num. 115. dicens: *In solitudine fontes aperuit, è quibus cæteri vita monastica propagatores riuos vberrimos deduxére.*

Robur adijciet rei, quam versamus, id, quod post S. Augustinum Petrus Abaylardus autor vetus obseruauit in mysterio, quod includit nomen protomartyris Stephani, qui primus Christi fidelium magno animo, & ausu per rubrum martyrij mare aperuit semitas, quibus cæteri athletæ inhærentes penetrare in cœlum promissionis possent. Nomen illi Stephanus erat. *Stephanus autem plenus gratiâ, & fortitudine faciebat prodigia, & signa magna in populo;* Actor. 6. 8. Quid significat Stephanus? *Stephanus græcè, latinè appellatur corona,* inquiunt S. Augustinus Serm. 2. de S. Stephano, & Petrus Abaylardus Epist. 8. Ex his Abaylardus nunc quærit: *Quid illud est insigne præsagij, quod Stephanus non tam coronatus, quam corona ipsa interpretatur?* Quid prognostici habet, quod is, qui venarum suarum sanguine primus fidem obsignauit catholicam potiùs sertum, quàm serto redimitus dicitur? Respondet Abaylardus: *Quasi enim de ipso sunt omnes coronandi, qui ab ipso inchoantes sunt per ipsum instructi, vt ipse simul & regula sit virtutum, & quodammodò corona victorum, & ducatus ad præmium. Qui etiam tantis extitit virtutibus adornatus, vt corona cæterorum quasi supremum diceretur ornamentum, & in ipso corpore Christi, non tam cæteris sanctis in vestimento dominico sit connumerandus, quàm in superiori parte quasi corona collocandus.* Singularis mysterij, ob quod primus martyr vocatur corona, siue laurus, & non coronatus, vel laureatus, videtur hæc esse causa in multis præcipua, quòd Stephanus primus fuit, qui reliquis posterioribus martyribus aperuit viam, per quàm intrepidè sequentes non dubitarent charam pro Catholicæ Religionis confessione, & defensione vitam perdere. Duobus ergò singularitèr excelluit Stephanus, quorum alterum est, quod martyr, alterum quod martyrum primus, & purpurei exercitûs dux, & antesignanus fuit. Fuisse autem primum martyrem, tàm eximia gloria, tàm insignitum decus, & ornamentum est, vt qui hoc meruit, iure dictus sit Stephanus, siue corona, vtque ea re nobis indicaretur, quod velut corona est ornatus, qui in editissimo corporis loco, capitis scilicet parte superiore collocatur, ita Stephanus, tanquàm corona, & laurus suprà omnes erigitur, & in summo martyrum fastigio constituitur: *In superiori parte quasi corona collocandus.*

Stephanus quia primus martyr, illustriorem habet, quàm alij, gloriam.

Stephanus cæterorũ martyrum corona.

Quàm aptè cadit in nostrum Phœnicem hæc doctrina! In ipsius nomine deprehendemus, quàm commodè in eum quadrant, quæ hactenùs dicta. Quid enim Basilius significat? Regem, Principem, Dominum. Quid verò mysterij habet, quod alta Dei prouidentia tali illum Regis nomine donauit, quo etiam corona, siue laurus significatur? Illud haud dubiè, quod velut diuina dispositio ipsum reseruârat inclyto isti elogio, & illustri prærogatiuæ, vt primus fontes, fores, vias aperiret vitæ monasticæ, essetque Moyses Euangelicus, qui primus dictaret leges religiosas, quibus omnes reliquos Ordinum institutores, & pa-

Basilius idem quod Rex. Cur sic vocatus?

triarchas excitaret, ita singulari profectò attentione diuinum Consistorium curauit, vt hæc peculiaris excellentia nomini Basilij intexeretur,& Rex appellaretur, qui laurus, & corona futurus esset cæterorum Patrum, & Propagatorum Philosophiæ religiosæ, planè ad eum modum, quo Stephanus sertum, & supremum ornamentum fuit Martyrum posteriorum: Vt proinde *in ipso corpore Christi non tàm cæteris Sanctis in vestimento dominico sit connumerandus* etiam Basilius, *quàm in superiori parte quasi corona collocandus.*

Benè congruet cum dictis quidam ingeniosus principis latinorum Poëtarum cogitatus, qui vt Vlyssem probrosissimâ, & ignominiosissimâ infamiâ notaret, putauit nullâ Rhetoricâ hyperbole id æquè facere posse, quàm si caput flagitiorum, autoremq; impietatis fuisse ostenderet, dicens 2. Æneidos: *Scelerumq; inuentor Vlysses.* In horum verborum commentario Tiberius Claudius opportunè in causam præsentem obseruauit, non dixisse Poëtam, quod Vlysses homo flagitiosus, improbus, vitijs contaminatus esset, sed *inuentor scelerum*, vitiorum, flagitiorum. Quamobrem verò istud? *Quia peior est inuentor scelerum sceleratus, quia ipse inuenit, vnde ex innocentibus scelerati reddantur.* Vtique deterior est facinorosis omnibus autor facinorum, hic nimirùm excogitat, traditque artificium, quo etiam ille, qui optimus alioqui sit, breui ad extremam malitiam peruenire queat, vt ex sancto impius magno temporis compendio euadat.

[Margin: Vlysses scelerum inuentor. Cur sic dictus?]

[Margin: Inuentor scelerum sceleratis peior.]

At si exitiabile est, esse inuentorem scelerum, autorem vitiorum, aperire fores nouis erroribus, præire viam ad vitam laxiorem, & mores solutiores, quantæ gloriæ apud supremum patrem Deum erit, fuisse non solùm inuentorem nouarum semitarum, conditorem legum primarum, quibus ad necessariam consiliorum Euangelicorum obseruantiam seipsos sponte obstringerent, qui militiæ religiosæ dare nomen vellent, verùm etiam inuitatorem, allectorem, excitatorem aliorum ad similia tentanda, fontemque tot riuorum, & patrem tot ducum, tribunorum, archigubernorum, Augustinorum dico, & Benedictorum, & Dominicorum, & Franciscorum, & Bernardorum, & Hieronymorum, & Norbertorum, & Ignatiorum, & aliorum sine numero, sub quorum vexillis tot, tamque vasti exercitus hodie merent, vt totùm latè terrarum orbem vbique quot asceterijs, tot castris, stationibus, præsidijs impleant? Et si omnium aliorum Ordinum instituta tanquàm riui quidàm è Basilij fonte promanant, & in Basilio velut eminentèr, hoc est, excellentiori modo continentur, quæcunq; ex illo alij hauserunt, qui omnibus cùm temporis antiquitate, tum legum dignitate, & præstantiâ excellit, cæterisque tanquàm Apostolicum perfectionis exemplum propositus fuit, affirmare posse videmur, debere illum esse coronam aliorum, celsioreq; in throno collocari, veluti Martyrum coryphæus, & princeps Stephanus fuit *in superiori parte quasi coronâ collocandus.* Basilius nimirùm inuentor inuentorum fuit, & Patriarcharum Patriarcha, & fons, ex quo alij religiosarum suarum præceptionum, & institutionum aquas biberunt, qui *in solitudine fontes aperuit, è quibus cæteri vita monasticæ propagatores vberrimos riuos deduxere.*

CAPVT VII.

Cùm facilè sit inuentis addere, inuentori etiam gloria, inuentorum tribui semper debet.

VT validioribus fulcris causam nostram constabiliam, illustris Theologi nostri Nazianzeni propositioni superiùs allatæ subijcio nunc autoritatem Eminentissimi Cardinalis Baronij, verè Ecclesiasticæ historiæ Cæsaris, cuius scuto tecti omnia qualisuis columniæ tela

illæsi excipiemus. Is tom. 4. ad annum Domini 363. num. 115. ita habet: *Basilius instar Ioannis Baptistæ Monachorum omnium patriarcha, erat in deserto clamans. Id enim præstitit, cùm diuino spiritu afflatus regulas illas verè aureas monasticum institutum arripientibus piè, sanctèque præscripsit.* Sequitur nunc firmus polus nostræ Thesis, Ecclesiasticus enim Liuius, & Christianus Thucydides mox subdit: *Immò in solitudine fontes aperuit, è quibus cæteri vitæ monasticæ propagatores riuos vberrimos deduxère.* Quod Baronius verbis latinis perelegantèr dixit, ego magis scito sermone variare non valeo. Sed perspicuè satis indicat Ecclesiasticæ eruditionis Cæsar, Basilium (quòd primus legislator fuerit, qui regulam Monachis præscripserit) esse caput, fontem, & scaturiginem, aliorum verò Ordinum leges, & instituta velut riuos esse ex Basilij regulâ, tanquàm communi principio descendentes: *Ex quibus cæteri vitæ monasticæ propagatores riuos vberrimos deduxère.*

Ad maiorem huius rei confirmationem huc adducam clarum scholasticæ, & moralis Theologiæ solem, doctissimum P. Franciscum Suarez, qui testis Baronio accedat. Is tom. 4. de Religione libr. 2. cap. 1. num. 6 sic habet: *Denique ex Regulâ Basilij omnes alias Regulas Religionum originem duxisse, tanquàm riuos ex vberrimo fonte,* compertum est. Atq; vt omni nos scrupuli molestiâ exoneremus, audiamus eruditissimum Ioannem Picum magni Consilij Parisiensis Præsidem, cuius sunt hæc ex Prologo ad Opera S. Macharij: *Hos* Monachos *ergo vbi coëgisset Basilius in vrbes, & ex anachoretis Cænobitas fecisset, viuendi regulam Euangelio consentaneam illis conscripsit, quàm totius Græciæ Monachi hactenùs obseruârunt, atque reueriti sunt, quemadmodùm & Latini sumptam inde regulam beatorum Hieronymi, Augustini, Benedicti, Dominici, Francisci, Bernardi, ac aliorum.* Quid apertius dici potuit? Notate autem, quod ait, *sumptam* inde ex Basilij Regulâ *regulam* obseruatam à posterioribus Religiosis. Hinc enim fit, Basilium meritum esse hanc singularem laudem, & gloriosum titulum, vt omnium Monachorum Patriarcha dici queat. Nam ex horum doctissimorum virorum opinione, quod riuus suo fonti, hoc cæterorum Monachorum instituta, & Regulæ debent institutis, & Regulæ S. Basilij. Cùm enim inuentis addere sit perfacilè, idcircò Inuentori accepta ferri debent etiam addita, non secùs ac honor illi pro his, quæ primus excogitauit, defertur. Demus probatam hanc assertionem.

Basilius omnium Monachorum Patriarcha.

Inuentori etiam additorum gloria debetur.

Cùm sacra Regum historia memorat munia, hominesque, quos officiis suis domi suæ Salomon deputârat, sic ait: *Habebat Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam Regi, & domui eius*; 3. Reg. 4. 7. Obseruandum hoc loco, quod Salomon, quando hos designauit annonæ curatores, iam adeptus fuisse videtur præclarum sapientiæ donum, quo Dominus illum affatim perfuderat, quando dixit: *Dedit tibi cor sapiens, & intelligens*; 3. Reg. 3. 12.

Quærit nihilominùs Tostatus, vtrùm rex Salomon, quando hos supremos æconomos instituit suæ & personæ, & domui, & familiæ tam commodos, reuera iam præditus, ornatusque fuerit illo tam insignito singularis sapientiæ dono.

Respondet autem huic dubitationi q. 4. in 3. Reg. 4. dicens: *Dicendum videtur potiùs, quòd instituerit Salomon istos præpositos ante sapientiam acceptam, ne in hoc apparebat magna sapientia, quia iam Dauid pater suus habuerat istum modum constituendi æconomos super thesauros suos, & necessitates domesticas, vt patet* 1. *Paralip.* 27. Postquàm Dauid semel hos rei familiaris dispensatores ordinauerat, potuit Salomon, tametsi minùs saperet, intelligere, quomodo horum operâ ad similia officia vti posset, ac deberet, *neque* enim *in hoc apparebat magna sapientia.* Ea verò eximiæ prudentia

dentia, ea insignis, & singularis solertia est, si quid primus excogites, & ipsus tibi autor sis operis, quod moliris. Iam enim trito adagio dicitur: *Inuentis facile est addere*, & paruo negotio perfici potest, quod alter inchoatum reliquerit.

Attestabitur, id quod huius capituli titulus habet, inscriptio Psalmi 89. quæ talis est: *Oratio Moysi Viri Dei.* Facilis occurreret huius tituli sensus, si Dauidis orationem diceret, quam orationem Moysis vocat. Nam cùm ex communi Rabbinorum, Patrumque tum Græcorum, tum Latinorum sententiâ vnus omnium Psalmorum autor sit Dauid, (de quo vide Lorinum Præfatione in Psalmos) quomodo potest appellari Oratio Moysis, qui est Psalmus Dauidis?

Moysis oratio psalmus quidã Dauidis cur dictus.

Occurrit huic difficultati Cardinalis Caietanus, dicens: *Moyses edidit hanc orationem quantum ad materiam, non metricè quem posteà Dauid extendit in formam metri reducendo, & propterea Moysi adscribitur tanquàm autori orationis quantum ad materiam.* Moyses istam orationem solutam, liberalemque composuit, cumque Dauidi ea & religiosa, & deuota, & morum institutioni perquàm commoda videretur, tam vehementèr illi placere cæpit, vt certis carminum numeris adstringendam putârit, ob id etiam, vt suauior, gratiorque omnibus fieret. Quare Moysi adscribitur Oratio, quæ est Psalmus Dauidis, quia & Moyses primam illius, quamuis rudem, incompositamque materiam congessit. Notate mihi in verbis Caietani ista: *Quam Dauid posteà extendit.* Tametsi Dauid verbis, sententiisque amplificauerit orationem Moysis, non proptereà Moysi detrahi gloria conceptæ illius orationis debet, quia eius autor ille fuit, & fons, vnde primùm promanauit. Nec enim suo honore fraudari inuentor alicuius operis debet, quamuis alter illud fortè excoluerit, & auxerit.

S. Ambrosius obseruauit, quod sacer Genesios Scriptor, quamuis primos creati mundi dies perquam attentè, & ac-

Dies mũdi primus cur vnus potius, quam primus dictus

curatè describat, primum tamen diem iusto, ac debito non videatur donâsse titulo, cùm ait. *Factumque est vespere, & mane dies vnus*; Gen. 1. 5. *Dies vnus*, inquit. Etiam Basilius Magnus in eo hæsit, quod Moyses vnum diem vocat, qui primus fuit. Recenset omnes ex ordine dies, & ait: Factus est dies vnus, secundus, tertius, quartus &c. Ad supputandi rationes arithmeticas dicere debuisse videtur: *Factumque est vespere, & manè dies* primus, *secundus, tertius &c.* Quid ergo Moyses vocauit vnum illum diem, quem primum dicere debuit?

Respondet sanctissimus Mediolanensium Archiantistes lib. 1. in Hexam. c. 1. *Inuenit materiam Deus, in quâ possit operari, vnde excipiendus à cæteris tanquàm dies vnus, non conferendus cùm cæteris tanquàm dies primus, vnde fundamenta rerum omnium posita, & causa esse cæperunt, quibus mundi huius, atque vniuersa visibilis creatura fulta substantia est.* Reperit in primo die primus, & supremus omnium Opifex materiam, ex quâ reliquum terrarum orbem construeret. Quare hic dies, tametsi dierum sequentium exordium fuit, non proinde numero eorum accenseri debuit, eò quod etiam basis, & fulcrum totius amplissimæ huius mundanæ structuræ fuit. Dies ergo, qui fundamentum fuit reliquorum, & fons, ex quo rerum aliarum causæ promanârunt, singulari honore, & titulo vnici gaudeat, dicaturq; *dies vnus*.

Basilius Pater Monachorum vnus.

Sic in rem præsentem dicere possumus, Basilium peculiaribus nominibus donandum vt vocetur Phœnix, & vnicus solusque Pater Monachorum, *Pater vnus*. Quanquàm enim tam varij sint Ordines, tam præclari, atque illustres eorum auctores, & Patriarchæ, magno Basilio tamen singularis designandus est locus, sic, vt non recenseatur in numero aliorum, sed proprium, peculiaremque chorum seorsum constituat, vt fons, & scaturigo, vnde alij tanquàm copiosi riui nati sunt, & profluxerunt. *Excipiendus à cate-*

à cæteris, non conferendus cùm cæteris, tanquàm Pater primus, vnde fundamenta omnium, & causa esse caperant.

Dignum obseruatu est, quantum S. Ioannes Euangelista commendet felicissimæ Peccatricis, Magdalenæ dico, amorem, contentionem, studium, quo illa pertinacissimè indagauit sacrum Redemptoris nostri cadauer. *Vnâ autem sabbati, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebræ essent, ad monumentum.* Ioan. 20. 1. Sola Magdalena, quantùm quidem Ioannes sentire videtur, fuit diligens, sola sollicita corporis dominici inuestigatrix. At si reliquos Euangelistas consulamus, omnes paritèr nobis dicent, comitatas fuisse illam etiam alias mulieres sanctas, ac pias. S. Marcus c. 16. v. 1. & 2. sic habet: *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valdè manè vnâ sabbatorum veniunt ad monumentum.* Similia inuenias apud Matthæum c. 28. v. 1. & Lucæ 24. v. 1. tametsi hi de nomine eas non exprimant, vt Marcus.

Magdalenam solâ ad monumentum venisse, Ioannes memorat,

At cùm ex horum Euangelistarum conspirante narratione etiam hæ aliæ mulieres tam ardentèr amauerint Christum, vt ante auroræ exortum accurrerint instructæ à fragrantibus, & pretiosis aromatibus, quæ pridiè coëmerant, vt solenni vnctionis ritu Christo parentarent, eiusque diuino cadaueri supremum honorem reuerentèr impenderent, quamobrem sanctus Ioannes solùm Magdalene aduentum memorat, dicens: *Maria Magdalene venit manè*; tanquàm illa incomitata ad monumentum, imbuendumque vnguentis corpus Domini excurrerit?

Magdalena cæteris mulieribus diligentior.

Respondet S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12 in Ioan. c. 51. *Non discrepat Ioannes ab aliis quod solius Magdalenæ mentionem fecerit. cùm illi alias mulieres cùm istâ fuisse asseuerent. Multò enim feruentior hac cæteris fuerat, præcedebatque alias, eratque quasi dux, atque princeps illarum. Non ignoramus euentus rerum principalioribus plerùmque attribui.* Non est repugnantia, sed mysterium, quod de solâ Magdalenâ Ioannes narrat, venisse ad sepulchrum, quam tamen solam, incomitatamque non venisse certo aliorum Euangelistarum relatu indubitatè nouimus. Mysterium autem hoc est, quod Maria Magdalena sacrum defuncti corporis dominici pignus indagans, ardentiorem huc charitatem, & magis anhelam solicitudinem, & incitatiorem diligentiam adhibuit, & mulierum cæterarum velut ductrix fuit: Atq; vt victoriæ obtentæ gloria iis potissimùm adscribi solet, qui aliis ad pugnam præiuerunt; sic & hunc Magdalenæ honorem Ioannes tribuit, vt eam solam ex his, quæ ad monumentum venerunt, memoret, dicens, *Maria Magdalene venit manè*, quia præ aliis venit, illasque suo exemplo ad inquirendum, deueneranbumque Domini sui cadauer incitauit, & velut pertraxit.

Hoc ipsum aptare possumus glorioso, & diuino Phœnici nostro, quem cùm Patriarcham religiosorum Ordinum appellamus, non fraudamus reliquos aliorum Ordinum fundatores suâ illustri gloriâ, quæ illis pro tam præclaro facinore est debita: Sed cùm Basilius fuerit primus, & dux, & princeps, & apostolicus Moyses, & euangelicus Aminadab, qui leges dictârit, & viam aperuerit, eâ ratione incitauit, & inflammauit cæteros; ac proptereà illæsa, & saluâ existimatione aliorum, ille Patriarcha vocari Patriarcharum reliquorum, & principum princeps, & dux omnium, qui Ordinum aliorum fuerunt autores, potest. Nam cùm facilè sit addere quidpiam his, quæ alij inuenerint, etiam horum, quæ adduntur, gloria tribui inuentori debet. Ita sentit Theodoretus, qui c. 3. Histor. sacræ to. 2. sic ait: *Cæterùm horum omnium plantator fuit vir ille diuinus, qui enim pulcherrimum semen præbuit, is iure vocari possit autor bonorum, quæ nascuntur.* Diuinus Basilius omnium quodammodò sator Ordinum dici potest, qui-

Basilius, Patriarcha Patriarcharum.

cunque post ipsius Ordinem conditum in Ecclesiâ Dei floruerunt,& eluxerunt. Quisquis namque gratum, fœcundumq; semen ministrat, is meritò fructuum, qui inde nascuntur, autor appellari potest, tametsi non ille totam in excolendâ terrâ operam posuerit, quæ labore subacta vberes prouentus reddidit.

Illustrem huic negotio nostro coronam imponam Eminentissimum Cardinalem S. Petrum Damianum, qui cùm beato Matthæo certam aliquam præ alijs Euangelistis tribuere excellentiam vellet, putauit iure id facere posse ob id, quod ille primus conscripserit librum Euangelij, qui complectatur gesta magistri, & ducis nostri Iesu Christi, & salutis nostræ æternæ præcipua mysteria. Verba illius ex to. 1, & Serm. 49. de S. Matthæo sic habent: *Quia igitur ad sanctum Euangelium describendum primus iste prorupit, scribendi cæteris Euangelistis viam præcessor aperuit, & tanquàm dux vexillum sequentibus prætulit, suoque eos exemplo, vt scriberent, incitauit: Illi ergo debemus euangelium, quem euangelicæ narrationis constat intulisse principium, & quem cæteris nouimus priorem, non ambigimus inter eos cuiusdam priuilegij tenere primatum.* Non satis fuit Damiano semel hoc encomio exornâsse Matthæum, proximo sermone,hoc est, quinquagesimo eandem beati Matthæi prærogatiuam verbis amplioribus efferendam, exaggerandamque putauit, dicens: *Non solùm Apostolus est, sed & euangelista Euangelistarum, non immeritò dicitur, qui dux, & præcessor, ac primus omnium reperitur, qui dum ad scribendum euangelium primus erupit, quasi quandam lineam præcedendo tetendit, & vnde cæteri currerent, rectitudinis semitam designauit.*

S. Matthæus Euangelista Euangelistarum.

Vt hæc in vsum rei nostræ transferam, aio, dici similiter posse, diuinum patrem nostrum, & Phœnicem Basilium primas quodammodo inter omnes cæterorum Ordinum Patriarchas, & fundatores obtinere, vt *quem cæteris nouimus priorem, non ambigamus inter eos cuiusdam priuilegij tenere principatum.* Cùm hæc omnes Basilio eximiæ,& singularis gloriæ ornamenta libentes concedant, quòd primus strictioris vitæ viam aperuit, primus dispersos in montibus Monachos in ordinem, ad asceteria, & obseruantiam trium votorum substantialium adduxit, primus leges euangelicas, & religiosas constitutiones scripsit, facilè cogitare possumus illum peculiari quoque gaudere priuilegio,& specialem mereri honorem pro hâc antecessione, siue prægressione, vt velut Matthæus euangelista Euangelistarum vocatur, quia primus eorum euangelium calamo reddidit, sic Basilium Patriarcham Patriarcharum appellare debeamus, quod primus approbatam Regulam adornauit, & condidit, primus lineam velut duxit, ad quam ferrentur, qui ferre similes regulas, & illis affines condere leges postea vellent, tametsi plures, sanctioresque excogitarent, & euderent. *Qui dùm ad scribendum Regulam primus erupit, quasi quandam lineam præcedendo tetendit, & vnde cæteri currerent, rectitudinis semitam designauit.* Operosa est prima rerùm inuentio, ac perdifficilis, addere inuentis minùs arduum est, minusque laboriosum, neque imitator parem autori laudem, promeretur.

CAPVT VIII.

Post elaboratam operis substantiam non multum gratiæ debetur ei, qui accidentibus quibusdam illud exornat.

REpetamus Ambrosij verba, quibus in præcedenti capitulo vsi sumus, eaque præsenti tanquàm basim subjiciamus, quibus ille causam reddens, cur *vnus dies* à sacro Scriptore vocatus ille fuerit, qui erat primus, id ait factum, quòd *excipiendus esset à cæteris tanquàm vnus, non conferendus cum cæteris tanquam primus*, is nimirùm, *vnde fundamenta*

menta rerum omnium posita, & causa esse cœperunt, quibus mundi huius, atque vniuersæ visibilis creatura fulta substantia est. Peculiaris itaque eius diei dignitas in eo posita est, quod in illo totam fabricæ mundanæ substantiam supremus artifex Deus construxit. Cùm enim hæc semel producta fuit, etiam quæ reliqua erant, reputari velut constructa poterant. *Vniuersa visibilis creatura fulta substantia est.*

Ad hanc rem facit, quod Cardinalis Caietanus obseruauit in ijs verbis, quibus Dominus allocutus est Salomonem etiamnùm occupatum fabricâ templi, quod Deo, qui ei apparebat, excitabat. Verba erant huiusmodi: *Domus hæc, quam ædificas, si ambulaueris in præceptis meis &c. firmabo sermonem meum tibi, quem locutus sum ad patrem tuum Dauid*; 3. Reg. 6. 12. Verborum autem talis est sensus; Pergrata mihi est sumptuosa basilica, quam peculiari habitationi meæ adornas, & excitas. Si ad amussim mandatorum meorum sollicitè, ac perseueranter incesseris, id tibi fide regiâ promitto, quod me addictum semper habebis, quàm beneuolentem pater tuus Dauid habuit.

Pressit in ijs Domini verbis Caietanus ista: *Domus hæc, quam ædificas*: quibus significari videtur, nondùm ad fastigium fuisse eductam, absolutamque fabricam tunc, cùm ista Salomoni Dominus loqueretur. At cur Dominus apparebat Salomoni, cumque illo paciscebatur, si nondum consummatum erat templum, pro cuius molitione illi permagnificâ pollicitatione gratificari videbatur?

Respondet doctus Cardinalis in c. 6. lib. 3. Regum: *Sermo iste perfectis partibus substantialibus domus fuit, antequàm ornaretur domus ipsa.* Apparuit Dominus Salomoni fœdera cùm illo initurus, quando rudem religiosæ fabricæ molem iam erexerat, cui solum quædam accessoria lineamenta, & ornamenta deerant, vt nos doceret, maximam operis laudem in perfectione, siue consummatione illius substantialis consistere, neq; enim vel ardui laboris, vel magni negotij res est, opus suâ substantiali perfectione alioqui consummatum adsciticijs ornamentis venustare, & perpolire.

Sanctus Eucherius Lugdunensis quærit, quomodo sacer Scriptor, postquàm dixerat, supremum Opificem de tabulâ manum tulisse, & ab orbis conditi opere feriatum esse, posteà mulierem ex Adæ costâ ab eo formatam affirmet. *Et requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere, quod patrârat,* inquit Genes. 2. v. 2 Et post plura ibid. v. 21. & 22. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro eâ, & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.*

Quærit nunc Eucherius apud Lipomanum in c. 2. Genesios: *Quomodo hic fœminam creauit Deus, qui superiùs ab omni opere requieuit?* Euam creauit Deus, postquàm ab omni opere iam quieuerat

Huic interrogationi suæ ipsius sic respondet: *non creauit carnem materiæ, sed expressit in formâ, priùs enim originaliter in latere viri facta est.* Quamuis verùm sit, quod sacer textus ait, requieuisse Dominum ab omni opere suo, nihilominùs dicitur formâsse Euam ex latere Adæ, quia in huius formatione non creauit Deus nouam materiam, vel substantiam, ex substantiâ quippe viri excitatum est mulieris ædificium. Itaque non secùm pugnat sacrum oraculum, quando hinc ait, feriatum Deum ab omni opere suo; quod patrârat, inde affirmat, operatum fuisse in formatione primæ mulieris, quia non fabricauit nouam materiam, ex quâ illam construeret, quæ primordialiter in latere viri iam condita fuerat. *Non enim creauit carnem materiæ,* inquit ille, quod perinde videtur, ac si dixisset, postquàm substantia rei cuiuspiam effecta iam est, quidquid posteà adjicitur, quo in formam aliam, modumque componitur, id in opere, fabricâ, labore numerari non debere. Qui ipsam

operis substantiam digerit, & componit, is laudem ex opere meretur, quod hinc accidentariò resultat, minùs habet pretium, imparemque æstimationem.

Ita sentit S. Ennodius Ticinensis, cuius sunt ista ex Orat. 14. *Etsi iture ad posteros felicitas perseueret, litandum est illis laudatione præcipuâ, à quibus sumpsit exordium.* Quàm elegantèr id ab Ennodio dictum: *Litandum est illis laudatione præcipuâ*, hoc est, gratiarum sacrificia, & tributa tum plurima, tum maxima ijs offerenda, qui diuturnæ alicuius prosperitatis primi fuerunt autores, vel parentes! Tametsi enim alij eam foueant, nutriant, amplificent, continuent, ac perpetuent, prima tamen primo illius autori debita est gratia. *Litandum est illis laudatione præcipuâ.*

Hinc cognoscemus, quantæ gratiæ Magno debeantur Basilio, qui quod est substantiale in vitâ monastica, primus ordinauit, adduxitque Regiliosos, vt triplici obedientiæ, paupertatis, castitatis voto sese Deo obstringerent, quod illius exemplum imitati posteriores Patriarchæ, siue Ordinum fundatores, felicitatem vitæ tam perfectæ nutrierunt, sacrumque illud institutum varijs ordinationibus, & regulis excoluerunt. *Litandum est illi*, Basilio dico, *laudatione præcipuâ, à quo sumpsit exordium.* Cùm in diuino Phœnice, & sacro Patre Basilio exsurgere cœperit, quidquid substantiale habet vita monastica, illi etiam singulari reuerentiâ, & proniore affectu sacrificia gratiarum litare, & victimas offerre cultus, par est. Nam quod fonti riuus, quod flumen mari, quod stellæ Soli debent, hoc primùm quidem, ac potissimum Domino nostro Iesu Christo, eiusque Apostolis, posthæc verò debetur Basilio tanquàm fonti, mari, Soli, origini eius, quod substantiale est in seueriore disciplinâ, & in vitâ religiosâ, & in monasticâ philosophiâ.

CAPVT IX.

Vt leges venerationem, & pretium sibi comparent, debent esse ipsæ quidem stabiles, ac firmæ, earum verò latores valde prouidi, & attenti.

EMinentissimus Annalium Ecclesiasticorum scriptor Baronius vbi suprà de sacro Phœnice nostro ait, *diuino spiritu* afflatum *regulas illas* monasticas *verè aureas* præscripsisse. Notandum quod Baronius non deauratam, sed auream esse Regulam S. Basilij affirmat. Quantum differat inauratum ab auro puro, ac puto, palàm est. Faustus Rhegiensis to. 3. Biblioth. Patrum epist. 1. ait: *Homo deauratus est, Deus aurum, in quo hoc est potentia, & gloria, quod natura.* Hominem gratia, & virtutes tantùm velut inaurant, quia facilè illis nudari ornamentis potest. Deus verò merissimum aurum est, quem sua virtus, ac potestas æquè ac natura destituere non potest. Regula Basilij Magni merum, ac syncerum probatissimumque aurum est, leges, quas in eâ præscripsit, in hunc diem vsque constantes perdurant. Supremus legislator, diuinus Spiritus eas suggessit leges, inde habent, quod tot sæculis fixæ perennant. Tales debent esse leges, æreæ puta, & adamantinæ, vt & ipse obseruantiam, & latores earum habeant venerationem.

Homo deauratus, Deus aurū.

Leges debent esse stabiles.

Cùm cœlestis Magister suauitate doctrinæ suæ frequentissimam hominum turbam post se abriperet, vehementi pietatis impetu quondam, vt refert sanctus Lucas euangelista, in eum irruebant, *& ipse stabat secùs stagnum Genesareth*, Lucæ 5. 1. Glossa interlinearis in hæc verba sic differit: *Secùs stagnum, secùs legem.* Sed quid stagno, & legi? Voluit eâ interpretatiunculâ autor Glossæ docere, quales debeant esse leges, nempè stagnorum similes, tamque stabiles, ac permanentes, quàm sunt aque stagnis inclu-

Leges sint stagnorum similes.

inclusæ. Nam cùm lex, vt Cicero lib. 1. de Leg. scriptum reliquit, sit *imperium, sine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare possit*, hanc cùm stagno affinitatem habere debet, vt illius instar semper stet, ac perduret, vt quando mutari eam oportet, id sine grauissimâ, & vrgentissimâ causâ non fiat. *Secùs stagnum, secùs legem.*

Moysis celeberrimi ducis insigni famulo Iosuæ amplam in populum suum iurisdictionem supremus Dominus concedebat, imperatorem maximum, & vicarium suum illum constituens. Sed priusquàm illi officij, & præfecturæ claues traderet, pacto quodam illum constrinxit, & hac tam graui conditione prægrauauit: *Confortare, & esto robustus valde, vt custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus*, Iosue 1. 7. A nouo Israëlitici populi ductore id primùm exigit, vt leges, scita, iussa, cæremonias antecessoris sui Moysis custodiat, & obseruet.

Doctissimus Andreas Masius in eorum verborum commentario ait: *Ex iis, quæ tam sunt dicta, hoc dignum obseruatione est, quod Deus iubet Iosuam legibus religionis parere, eisque* obtemperantem *se habere, quas Moyses seruus suus condidisset, non autem nouas aliquas ipsum sibi, suisque parentibus scribere, quàmuis cùm summo esset alioqui imperio.* Quamobrem verò tam tempestiuè Dominus, Iosuæ obligauit manus, ne eas ad editionem legum nouarum exereret; simul ac illi imperij fasces traderet? Cur tam citò à nouis faciendis decretis nouum imperatorem prohibuit? Id fecit, vt nos moneret, quales debeant esse leges, quando sunt bonæ, & salutares, temporibusque, & occasionibus aptæ, & commodæ. Stagnorum stantium, non fluminum prærterlabentium debent esse similes, & illorum firmitatem, non horum fluxum imitari. *Secùs stagnum, secùs legem.* Res est perquàm vsitata nouis Principibus, & superioribus, vt cùm sua primùm adeunt officia, nouas ferant leges, noua sanciant decreta, vetera obliterent, & abrogent suorum præcessorum statuta, velut hoc sit, vt illi quidem arbitrantur, esse Regem, Principem, Prælatum, noua condere præcepta, abolere priora. Sed contrarium plerumque solet esse magis certum, ac securum, Nec enim est consilium magis salutare, quàm insistere vestigiis suorum antecessorum, tunc vel maximè, quando illi peruigili suâ gubernatione, & legum suarum moderatione amabilem in subditis pacem, dulcemque tranquillitatem fouerunt & conseruârunt. *Confortare* ergo, *& esto robustus valde*, quisquis es Superior; *vt custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus*, quamque Deus tuus, & Principes anteriores reliquerunt tibi. Tametsi enim nonnunquàm expediat, nouare leges, velut in omnibus Regnis, & Prouinciis euenit, verùm id cùm maturrimâ deliberatione, & prouido consilio fieri debet.

Legum nouarū multiplicationem non amat Deus, sed veterum obseruantiā.

Legum nouarum cudendarum pruritus.

Leges veteres fouere, & confirmare, consultius.

Vtinam Principes, qui esse constantes optant, Magni Constantini exemplum imitarentur, quàm longè alios in suis imperiis experirentur successus! Audiamus quid Hermias Salaminius de illo nunquàm satis laudato Principe dicat. *Quanquàm in omnibus rebus, quas moliebatur, diuinum cultum impensè curabat, in legibus tamen condendis vel maximè.* Ita ille apud Sozomenum lib. 1. eccles. hist. c. 8. Religiosissimus monarcha erat Constantinus, & licet in cunctis, quæ curanda suscipiebat, primam semper honoris diuini habebat rationem, supremumque Imperatorem Deum ardentibus precibus appellabat, vt rectè dispiciendo operi necessariam lucem submitteret; nunquàm tamen maiore, ac vehementiore pietatis ambitione cœlestem opem implorabat, quàm cùm statuta sancire opus haberet. *In legibus tamen condendis vel maximè.* Re enim vera de nullo æquè cognoscitur, quis sit Princeps quisque, vel Prælatus, quàm de legibus, quas imponit, deque edictis, quæ condit. Nam cùm ex legibus, & sancti-

Constantini Magni in legibus condendis cautio.

Leges Principem de ingenio ostendunt.

sanctionibus recta, & felix gubernatio dependeat, totumque ex earum obseruatione descendat Principum emolumentum, ad ferendam, promulgandamq́; legem valdè necessarium est facere, quod Constantinus fecit, & à supremo Numine maximis votis deposcere lumen, quo videre liceat, quid statuere, aut sancire inprimis expediat.

Legum latores sint fortes, & cõstantes

Hinc sequitur, ad stabiliendas leges requiri Principes, & Superiores, Gubernatores, & Iudices firmos, ac stabiles.

In eo consilio, quod Iethro genero suo Moysi suggerebat de iudicibus, & moderatoribus populo constituendis, hæc illi post alia dicebat: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas*; Exod. 18. 21. Alij ex origine hebræâ sic transferunt: *Considera viros fortes.*

Oleastri in c. 18. Exod. annotatio moralis sic habet: *Mirum valde est, quod inter iudicis conditiones scientiæ non meminerit, quod scilicet essent viri scientes.* Prudens erat, quàm veteranus Moysis socer. Videtur ergo prudentiam, ac sapientiam in iudice expetere debuisse, quæ vel vnicè, vel maximè in tali desiderari solet. Quid ergo aiebat, *considera viros fortes*, cùm dicere debuerit, considera viros ingeniosos, solertes, variâ eruditione excultos, & imbutos? Huic obiectioni respondet Oleaster, dicens, ita locutum senecionem illum, *vt doceret, quod non tam exigitur in iudice scientia, quàm fortitudo, & stabilitas.* Quod Iethro non meminit scientiæ, quam iudicis officium requirit, non id factum, quod non optaret eum sapientem, & doctum, sed quia putauit, fortitudinem, & animi firmitatem, propositique constantiam, & tenacitatem esse inter omnes boni iudicis partes præcipuam, ac principalem.

Iudici fortitudo magis necessaria, quã scientia.

Itaque & Isaias cùm de Verbo æterno tanquàm carne nostrâ iam vestito loqueretur, aiebat: *Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus consilij, & fortitudinis*; Isa. 11. 2. De quo hîc loquitur Propheta, id illis infrà c. 33. 22. dicitur, *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster.* Super hunc iudicem, & legislatorem ait, *requiescet spiritus Domini, spiritus consilij, & fortitudinis.* Vbi notare licet, magno mysterio consertum, ac velut contextum esse spiritum fortitudinis cùm spiritu consilij. Nam siquidem ad sanciendas leges, ferendaque decreta necessarius est spiritus consilij etiam hunc spiritum spiritu alio, puta fortitudinis sociari opus est: Vt hinc discamus, eum, qui adminiculo spiritus consilij, condit, promulgatque leges, debere alijs constantiæ, seu fortitudinis spiritu ad eandem rem vti, idque, quod publicæ vtilitati plurimùm conducat ea legum semel latarum firmitas, ac perdurabilitas, quam tempus, & occasio, & varij euentus permittunt.

Iudex supremus Christus spiritum cõsilij, simulq; fortitudinis habuit.

Iudex quisque vtrũque hunc spiritum habere debet.

Pontius Pilatus Iudææ præses titulum Regis scriptum adfigi imperauit extremo ligno, quo nullum aliud illustriùs ignominiosum fuit, quia nec magis inno[illegible]um reum portauit. Furore, ac rabie pleni hostes crucifixi Sospitatoris nostri intolerantissimè ferebant, & videre non poterant, quòd Regis titulum præferret, quem illi infami è stipite suspenderant. Præses clamosis, & perstrepertis illorum querimonijs tale quidpiam respondit: *Quod scripsi, scripsi*; Ioan. 19. 22. tanquàm alijs verbis apertiùs dixisset: Continete vociferationem, sistite clamorem, quia inanitèr latera fatigatis, dum me tumultuosis vocibus nec quicquam appellatis: Quod enim semel iussu meo est scriptum, id perennabit diutiùs, quàm si in Iaspide, vel Ædamante insculptum esset.

Venerabilis P. Simon de Cassia lib. 13. in Euang. ait; hunc esse sensum verborum Pilati: *Quod scripsi, sic scripsi, vt secundùm præsidentiam nostram mutare non liceat*, tanta nimirùm deliberatio, & attentio ad scribendum adhibita fuit, vt perpetuò fixum manere debeat, quidquid illud semel exaratum. Quamobrem verò eam volebat esse scripturæ suæ

Pilatus constans Præses.

perdu-

perdurabilitatem? Respondet Cassia: *Decet enim Præsidem ita prauidere, quod dictat, ne cogatur ex imperitiâ retractare, quod dixerit. More Præsidentis loquebatur Pilatus, & tanquàm homo prædoctus, & prouidens in agendis, vt quia Præses mutare non debeat, ne plebi de seipso propter inconstantiam risum faceret.* Loquebatur, respondebatque Pilatus quasi Præses, & tanquàm homo attentus ad omnia, quæ facere deberet, vt officio, & muneri suo satis faceret: Vt Præses autem, & Iudex non debebat obliterare titulum, quem semel deliberatè scripserat, Si enim debilis arundinis instar aurâ popularis vocis motus, flexusque deleri iussisset, quod exarari paulò ante curauerat, deridiculum iudicem se nonnullis exhibuisset. Prouidi, vigilantis, prudentis Principis, Superioris, & Iudicis refert, vt prius quàm decreta condat, & in lucem edat, de ijs cùm viris consultis, scientiâque, & conscientiâ præditis maturè, ac diligentèr deliberet, & postquàm de illis in vtramque partem diu, ac multùm disceptauit, tùm demùm intentione animi bonâ & integrâ promulget, vt qui ad illorum amussim pergere debent, omnia rectè, decentèrque agant. Hoc enim fecerunt olim, hoc facere hodieque debent omnes Iudices, Superiores, & Principes, qui sanorum decretorum, & consiliorum bonum finem, subditorumque emolumenta, & incrementa optant: *Decetque Præsidem ita prauidere, quod dictat, ne cogatur ex imperitiâ retractare, quod dixerit.* Imitentur ergo Principes, Superiores, Gubernatrices, quantum fieri potest, Basilium Magnum, & cum illo faciant, *regulas verè aureas*, quæ sint perdurabiles, vt splendescant ex sui regiminis prudentiâ, & dexteritate.

Leges adhibito cōsilio attētè fiant.

* * *
* *
*

CAPVT X.

Quando Dominus quenquam officio onerat, se quoq; velut obligat ad conferendas ei vires, quibus illud leuare queat.

Deus cum officio vires administrandi concedit.

SPiritûs diuini instinctu dictata fuit nostra Regula, è cælo deflexerunt radij, & descendit lux, ad cuius fulgorem conscriptæ sunt nostræ monasticæ constitutiones. *Diuino Spiritu afflatus* Basilius *Regulas illas verè aureas piè, sanctique perscripsit*, inquit Baronius superiori capite citatus. Quid verò mirum, quod tam longo tot sæculorum spatio integra, inuariataque permanserunt à Spiritu sancto dictata decreta? Habet enim hoc Dei mos, & ingenium, vt cùm quidquam faciendum inspirat, etiam fieri curet, invictumque, & insuperabile seruet, quod factum. Magnum solatium adferre, & vires ingentes conferre id omnibus, qui tam suaui, & amabili Domino seruiunt, potest, quod sciunt perbeneuolentem illum esse, & tam potentem, vt cùm officium aliquod imponit, simul vires subministret, quibus iniunctæ prouinciæ difficultates omnes facilè superari possint.

Fœcunda quædam sterilis, Anna illa beatissimi, Samuelis mater cantauit quidpiam, quod sanctissimi Papæ, & Doctoris maximi Gregorij commentarius in rem præsentem mirè aptauit. Pars quædam cantici illius ita habet: *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*; 1. Reg. 2. 8. Alij hæc sic transferunt: *Domini sunt afflicti, pauperes terræ*, illis, que iniecit graue totius mundi onus. Hi pauperes ex SS. Hieronymo, Augustino, Bedâ, & aliis multis, sunt sancti, quales fuerunt Apostoli, aliique Prælati, quos constituit Dominus, vt molestum gubernandarum animarum onus suis humeris exciperent. Qui autem totum mundum ceruice subiectâ excepit, is

Mundus Sanctorū humeris, ac meritis sustētatur.

sùm

cùm euidente impingendi, ac prolabendi periculo pergit, necessum est enim vacillare gressum, ac titubare pedes eius, cuius debiles humeri tam immania pondera sustentant. Videte quid mirabilis mater magni Samuelis mox subiungat. *Pedes sanctorum suorum seruabit, & impij in tenebris conticescent*, inquit ibid. v. 9.

Sanctus Gregorius lib. 2. cap. 1. in 1. Regum cap 2. ita quærit: *Quid est, quod cum seruare sanctorum pedes Dominus dicitur, silentium memoratur impiorum?* Cùm sancti totius mundi ponderibus onusti, ac prægrauati incedunt, pedes illorum, ne sub onere offendant, vel corruant, custos Deus seruat, cùm impij in caliginosis suis ergastulis mutent. Quo sensu id ab religiosâ cantrice affirmatum?

Sanctis mundo oneratis Deus vires ferēdi ministrat.

Respondet sanctus Doctor: *Quià dum gratiâ diuinâ protegimur, vocem, quâ nos præcipitent, dare nobis immundi spiritus nequaquàm possint.* Quando sancti Prælati, & Superiores pergunt graui sarcinâ suorum officiorum onerati, tam tutis à prolapsione, vel etiam offendiculo pedibus vadunt, vt & ipse capitalis generis humani inimicus non solùm appropinquare illorum pedibus non ausit, verùm etiam leni voce iter eorum interpellare, vel ad ruinam sollicitare non possit. Vnde verò tam securi per viam pedes, quando tantis ponderibus sunt pressi humeri? Nonne iam dictum, & *posuit super eos orbem?* Quantumuis sit grauis, & immane aliquod onus, si Dominus illud imponat, ipse quoque seruabit pedes ab offensione, qui sarcinâ iniectâ onerauit. *Posuit super eos orbem. Pedes sanctorum suorum seruabit.*

Deus imponens onus pedes ferentis à lapsu seruat.

Sauli Deus imperabat, vt Amalecitas omnes, resque illorum totas funditùs perderet, ac vastaret, & neque purpuræ, nec sago, neque regio sceptro, nec pastoritio pedo, nec boui, neque agno parceret. Samuel legatus eam iussionem Sauli talibus verbis renuntiauit: *Hæc dicit Dominus exercituum, Vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius;* 1. Reg. 15. vv. 2. 3. Vnâ communi strage omnes cum omnibus facultatibus suis delere Amalecitas ex Deo exercituum Sauli imperatur.

At cùm Dominus tam varijs, magnisque attributis, siue titulis gaudeat, quibus illius dignitas indicari potuisset, cur Dominus exercituum appellari tunc voluit, cùm Saulem ad perdendos Amalecitas destinauit?

Respondet Alphonsus Tostatus quæst. 1. in 1. Reg cap. 15. *Vocatur hic Dominus exercituum, quia Samuel loquebatur hic Sauli de exercitu, & quia fortè putaret durum esse pugnare contrà omnes Amalecitas, & timeret, Dixit ergo Samuel, quod Deus erat Dominus exercituum, id est, potens in exercitibus, quod ipsi posset dare victoriam.* Poterat vtique sub veteri Saul, ne impar esset perficiendæ internecioni tot hominum, & rerum, quas habebant, innumerarum vastationi. Vt ergo omnem ab animo expulsaret timorem, facilis ei victoriæ spes indubia fit, cùm dicitur, Deum, qui bello adoriri, & demoliri Amalecitas iubebat, esse Dominum exercituum, per quem certò triumphare de hostibus suis possit. Qui præcipiebat ire, & euertere, atque obterere Amalecitas, idem vires præbiturus erat, quibus iussa perficere posset. Quando enim Dominus prouinciam aliquam curandam committit, simul facultatem illius rectè administrandæ submittit.

Deus cur exercituū Dominus dictus,

Saul delere Amalecitas iussus, vires, quibus perficeret certas habebat,

Percommodè in rem præsentem obseruauit Ioannes Cluniacensis, nauis nomen in sacris literis nunquàm datum illi, in quâ sanctus Patriarcha Noë natatu suspitauit totius mundi semen, & instaurationem, tametsi mare sulcauerit, quo nullum vnquam profundius fuit, nam vt ingeniosus Poëta Ouidius lib. 1. suæ Metamorph. ad commune diluuium haud dubiè alludens, canit, *omnia* per id tempus *Pontus erant*. Arcam autem vbique dictam reperies, quæ vna ingentis classis instar erat, de quâ Dominus ad Noë aiebat: *Fac tibi arcam*; Gen. 6. 14. Et quotiès deinceps huius primi nauigij fit men-

Noëtica arca nunquàm nauis dicta.

sit mentio, solo arcæ nomine exprimitur, quod sacrum textum percurrenti facilè fuerit videre. At si nauis fuit, quæ per vndosum mare fluctuabunda, suprà editissima omnium montium ferebatur cacumina, & mundo tantùm non prorsùs extincto suos seruabat reparatores, cur arca potiùs, quàm hoc, quod erat, nauis vocabatur?

Cur Arca potiùs, quàm nauis dicta.

Respondet Raulinus serm. 45. tom. 6. *Vt securissima custodia Noë intelligeretur, non nauis, sed arca vocatur, vt intelligeret Noë, se tanquàm in arcâ seruatum inter tot aquarum imminentia pericula.* Inter pericula, quibus exposita est vita humana, nullum euidentiùs est eo, cui vicinus est, qui enauigat mare, vt qui solâ tabulæ vnius latitudine (quod sapiens quidam aiebat) à morte abest. Vt ergo innotesceret, inter maxima pericula tutissimum ire hominem, quando Dei iussu vadit, idcircò cùm Noëmo præcipitur, vt inter præsentanea discrimina altissimum latè peruagetur mare, eidem dicitur: *Fac tibi arcam;* ac si verbis alijs dictum fuisset: Lignum, quo per vastum, ac tumultuosum mare, circumfereris, non appellabitur nauis, hoc enim nomen secum fert periculum, sed vocabitur arca, nam cùm iussu meo tempestuosi maris pericula subieris, tam securus pertransibis, ac si arcæ ad certam, tutissimamque custodiam inclusus esses. *Vt Noë intelligeret, se tanquàm in arcâ seruatum inter tot aquarum imminentia pericula.* Hæc eò spectant, vt intrepidi adeamus pericula, quibus nos Deus objicit, aut exponit, nam cùm is tanquàm Dominus imperat laborem, velut potens pater præbet vires, & animum, vt tolerari etiam queat.

Noë in Arcà per quàm tutus.

* * *
* *
*

CAPVT XI.

Tam impense oblectatur homo varietate, vt Deus, qui maximè alioqui hominem recreat, cùm vnus sit, varium se facere soleat, vt maiorem illi ex se voluptatem adferat.

Homo varietate oblectatur.

MIrissimum est, & recenseri in prodigijs potest id, quod diuinæ Regulæ Magni Basilij accidit ab eâ horâ, quâ primùm promulgata fuit, vsque in præsentem diem. Est autem illud, quod cùm in Greciâ numquàm Regulam suam monachi variarint, nunquàm in Occidente interciderint religiosæ sancti Basilij sanctiones, in Occidente tamen videamus tam differentes Regulas, tam diuersa instituta, & sub vnâ Regulâ tam varios militare Ordines, quanquàm per varias semitas ad vnum salutis æternæ centrum lineæ tendant. Hinc accipio, quàm singularis, quàm vnicus Phœnix fuerit sacer Magister noster Basilius, cùm enim hominis appetentia in omni re quàm maximè pascatur varietate, nunquàm tamen Orientalibus monachis huius diuinæ regulæ pastus aliquod attulit fastidium, quæ semper sic inuariata permãsit, vt nunquã alia illi subrogata fuerit.

Regula S. Basilij semper inuariata.

Probemus nostram Thesin, vt eodem argumento, & labore euincamus singularem, & eximiam Regulæ, quàm legislator noster condidit, dignitatem.

Ad rem facit, quod illustrissimus senator Cassiodorus lib. 7. epist. 36. ait: *Nemo dubitat homines suâ varietate recreari, quia in continuatione rerum magnum mentibus constat esse fastidium. Dulcedo mellis, si assiduè sumatur, horrescit, serena ipsa, quamuis magnoperè desiderentur, iugiter adepta sordescunt, non immeritò, quia cùm sit homo commutabilis, natura sua desiderat habere qualitates.* Vt vario vnusquilibet homo est palato, ita sapor illum, nisi varius, diu oblectare non potest. Quid gustatu suauius melle? Sto-

Homo cùm sit natura mutabilis, mutabilitate gaudet,

machum offendit, si hoc vnum illi diu, continuòque offeras. Quod orexi alioqui dulcissimum, amarescit, si iugiter ingeras. Amat homo suæ obtemperare naturæ, & quàm hæc sui in horas est dissimilis, tam disparibus rapitur cupiditatibus.

Notoria est illa peregrinantium querimonia Hebræorum, quam incultâ in eremo dabant, cùm illo cælesti atque ab Angelis præparato cibo iam aliquamdiu vixissent. *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man*, aiebant Numer. 11. 6. Gratissimus ille cibus saporem cuique, quem optabat, adferebat, de quo liber Sapientiæ 16. 20. sic habet: *Angelorum escâ nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis omne delectamentum in se habentem, & omnem saporis suauitatem.* Vnde tantum illis fastidium, vt nauseabundus stomachus respueret cibum à præstantissimis cupedinariis, beatis spiritibus præparatum? Inde, quod vnus semper eodem colore, ac sapore cibus occurrebat. *Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man*, dicebant queruli. At cùm cibus ille palato ad omnem libidinem seruiret, auiditatique illius, quidquid gratum, optatumque esse posset, offerret, ac *deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuerteretur*, vt dicitur ibidem v. 21. vnde mortalis illa nausea, & fastidiosi stomachi obnitentia nasci potuit?

Manna fastidium ad ferebat, quia semper idem.

Fastidij Originem detexit Abulensis in cap. 11. Num. dicens: *In manna non erant varietates, quià quanquàm sapores essent diuersi, tamen color vnicus erat, & figura semper eadem, etiam odor non erat diuersus. Ista tamen in cibis multùm immutant appetitum nostrum.* Saporem quidem in illo cibo eum quisq; reperiebat, quem maximè cupiebat, idem tamen semper & color oculis, & gustatui sapor occurrebat, & hoc illis nauseam pariebat. Nimirùm tantus hominem tenet varietatis amor, vt si vnus illi quotidie offeratur cibus, tametsi ille ab Angelis adornatus, mox fastidium generet, ac stomachum moueat.

Et nullas habebat coloris, odorisque varietates

Ni varius sit, tametsi ab Angelis paratus, non placet cibus.

Huius veritatis comprobationem inueniemus eâ in oratione, quâ Deum toties obsecrantes, victum ab illo necessitatibus nostris congruentem exposcimus, cùm dicimus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodiè*; Lucæ 11. 2.

Hæsit in hac orationis dominicæ particulâ Guilielmus Ebroicensis ferm. 62. tom. 4. inquiens: *Si panis est cibus quotidianus, quare iubet Christus, vt dicamus, Da nobis hodie?* Cùm panis sit alimonia, quâ esuriei, & nutricationi nostræ in dies singulos subuenire generosa communis Patris nostri liberalitas solet, cur quotidiè, vt illum nobis hodie subministret, oramus?

Panis cur in diem petitur.

Respondet ille vbi suprà: *Vt quasi nouus cibus videatur.* Cùm rogamus Dominum, vt panem nostrum quotidianum det nobis hodie, id facimus, vt cibus videatur alius, diuersus, recens, sit licet quotidianus, & vitæ humanæ sustentationi tam necessarius. Vt enim nouit Deus ingenium hominis, & quàm vehementèr oblectetur varietate, quàm gratam capiat ex vicissitudine voluptatem, simul etiam illud perspectum habet, panem ad victum semper adhiberi debere quotidianum, nec permutari hanc aliquando alimoniam, idcircò voluit, vt quotidie panis peteretur hodiernus, tanquàm res noua, & dissimilis pani hesterno: *Vt quasi nouus cibus videatur.* Ita nempè comparatus est homo, vt quamuis vitam vnicè amet, sciatque ex pane sospitatem illius, sustentationemque pendere, nisi is illi varius, ac velut diuersus obueniat, nouusq; quodammodò subministretur, potiùs mortem optaturus videatur, quàm vno semper pane vescatur. Hinc arbitrari licet, quantus insit homini varietatis amor, qui ne panem quidem admissurus videtur, nisi postridiè accipiat dissimilem vtcunque illius, quo pridiè vixit, tametsi tota vitæ salus in pane potissimùm sit posita.

Panis non diu placeret, nisi quid nouitatis habuerit.

Pane ad vitam seruandam non vteretur homo, nisi varius fieret.

Quare prudens ille, & cordatus senator Cas-

tor Cassiodorus lib. 2. epist. 3. sapientèr ait? *Ipse quoque annus temporum pater, quadrifariâ se diuersitate componit, nec desiderium caperet, si nouitatis gratiam non haberet.* Quatuor, partes temporum dispares, quasi totidem diuersas vestes annus mutat, ver æstatem, autumnum, hyemem, alioqui nec gratus futurus hominibus, nec pretium apud illos reperturus, nisi tali velut mutatori ornatu ad gratiam illorum sese componeret. Tam auidè humana cupiditas appetit varietatem, vt & tempus cæteroquin optatissimum fastidiret, si sui semper simile esset: *Nec desiderium caperet, si nouitatis gratiam non haberet.*

Annus vestes quater mutat, vt varietate oblectet.

Homo & tempus, si illud sui semper simile esset fastidiret,

Sed quid hactenùs dicta miramur, cùm Dominus ipse, qui desideriorum nostrorum complementum est, & animarum vnica saturitas, videatur necessariò mutare veste , & formas variare debere, vt nos suâ consuetudine magis oblectet. Psalmista hoc indicasse videtur. quando sic animam suam appellauit: *Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis desiderium tuum*; Psal. 102. v. 2. & 5. tanquàm verbis alijs dixisset: Redde, anima mea, immortales Deo gratias, cuius in beneficijs, quibus te ornat, illud eminet, quod omnium votorum tuorum, & cupiditatem satietas est. Rabbini ea verba tali paraphrasi illustrant: *Qui replet in bonis os tuum, id est, qui læsum tuum gustum sanat*, qui corrupto medetur palato, & nauseabundi stomachi omne fastidium depellit. Ergone laborabat anima? Et quidem malo non vno, sed variâ libidine, & ciborum aliorum, atque aliorum appetitione, & prout inconstantissimâ est conditione, ita suam in horas mutare alimoniam optat. Quis illam exhilare, lætamque seruare potest, nisi Deus? *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Hic nempè cùm illius appetentias perspectas, totamque indolem exploratam habeat, varias formas, cùm sit vnus, induit, manensque inuariata persona in personas diuersas se velut transformat (tanto æternæ salutis nostræ amore suauissimus Pater ardet) vt illius cupiditati sese accommodet, oblectationique eius seruiat. Id sacer Rauennatum Archiepiscopus S. Petrus Chrysologus Serm. 21. talibus verbis expressit: *Tibi ergo Rex, tibi sacerdos, tibi pastor, tibi sacrificium, tibi ouis, tibi agnus, tibi totum factus est, qui fecerat totum, & qui sibi nusquam, propter te varias monstratur in formas, qui manet vnicâ maiestatis sua in formâ.* Propter te, ô anima, sacerdotem Deus velut in scenâ repræsentauit, propter te personatus factus est pastor, propter te agni lineamenta inducit, propter te in omnia omnium conditor se transfigurauit, propter te formas varias inuariabilis, & immutabilis mutat, propter te dissimilis sui sæpè videtur, cuius inuiolabilis maiestas semper eadem, & ipsissima. Reuerà enim tam efflictim homo varia appetit oblectamenta, vt Deus (qui solus plus valet, quàm cætera, quæcunque hominem oblectare possunt) cùm vnus sit, multus illi fieri debeat, vt cupiditatem ipsius pascat, & voluptati satisfaciat.

Homini neque Deus, nisi mutaret subinde vestes diu placeret.

Deus formas varias induit, vt homini placeat.

Deus, cùm sit vnus, fit homini multus, vt multùm placeat.

At si Deus ipse necessum habet, vt videatur, tam varias repræsentare personas, tam multas variare vestes, & quendam cælestem velut Protheum agere, vt hominem contentum relinquat, cuius tam est immodica, & immoderata varietatis, & vicissitudinis esuries, vt res vna illam nulla exsaturare possit, profectò ingenti miraculo adscribi potest, quod Regula diuini Patris Basilij mille propè, ac quadraginta annis inuariata, nullisq; suarum legum partibus mutata manserit, & tot sæculis tum perdurare, tum placere potuerit. Quam citò Israëlitæ in illâ eremo fastidierunt Manna, eò quod colorem semper vnum præseferret, tametsi palato saporem varium, & quidem qualem illicunque vellent adferret? *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man*, succlamabant illi pertœsi cibum semper vnicolorem num. 11. 6. Et in desertis Palæstinæ, Ægypti, Græciæ, Thraciæ, Armeniæ, & alijs

S. Basilij Regula, tametsi semper inuariata, nunquàm displicuit. Mirum!

aljis plurimis in locis Orientis penè totis quatuordecim seculis aliam approbatam Regulam, præter Basilianum non viderunt Monachi, neque tamen vnquàm vel commurmurârunt de illâ, vel Regulam aliam, aliumque sui instituti autorem, ducem, patronum expetierunt. Hæc res in stuporem adducere potest eum, qui alioqui sciat, quantâ homo ardeat cupiditate varietatis, quàm facilè illum satietas capiat rei semper vnius, ac sui continuè similis. *Basilius viuendi regulam Euangelio consentaneam conscripsit, quam & in pretio habemus, & totius Græciæ monachi hactenùs obseruârunt, atque reueriti sunt*; inquit Ioannes Picus in Prologo ad operaS. Macharij Notate in his verbis ista: *Totius Græciæ monachi hactenùs obseruârunt, atque reueriti sunt*; quod perinde est, ac si dixisset, diligentem mereri considerationem, & prodigio simile censeri posse, quod vna S. Basilij Regula tam multis seculis non solùm nullam passa est mutationis varietatem, idque per Orientem totum, verùm etiam summam apud omnem habuit admirationem, & venerationem, quanquàm legibus, vestitu, sanctionibus suis ex omni parte semper integris. Certè in miraculis facilè numerabit, qui non ignoret, quàm procliuitèr humana cupiditas ad noua feratur, quàm inhiantèr, & insatiabiliter appetat varietatem, quàm anhelè, auidèque suspiret vicissitudinem rerum, in quibus versatur.

Nescio an dicam de nostro sacrosancto Ordine, quod in Charitatis commendationem, & gloriam Apostolus Gentium Corinthiis scripsit, inquiens: *Charitas nunquàm excidit*; 1. Cor. 13. 8. Tametsi in illa beatâ patriâ fides, spesq; cessabunt, & alia, quæ Apostolus ibidem enumerat, euacuabuntur, ac destruentur, charitas tamen nequaquàm effluet, sed perpetua manebit. *Charitas nunquàm excidit.*

Quid sibi volunt illa Doctoris Gentium verba? S. Basilius in Regul. breuiat. interroga. 69. respondet, quod Apostolus hîc ait, perinde esse ac si dixisset: *Ab habitu, & formâ suâ non discedit.* Tantundem in rem præsentem de Ordine nostro affirmare possumus. Quamuis enim Oriens fuerit tragicarum theatrum mutationum, lamentabilesque passus euersiones, variis erroribus, schismatibus, hæresibus fatalitèr variatus, ac vitiatus fuerit, Ordo tamen noster, à quo in Oriente à magno Patre nostro primùm fundatus, *nunquàm excidit, ab habitu, & formâ suâ non discessit.* Inter perfidos hæreticos, inter barbaros Turcas semper constitit, & nec vestem, neq; formam eius variauit, secùs atque in Occidente & vidimus, & videmus, vbi noui penè indies excitantur Ordines, Ordinumque vestes formam aliam ex aliâ sæpè mutant. tametsi ad vnam animarum salutem omnis illa variatio spectat. Ergo Basilius pro hac suâ perdurabilitate nomen Phœnicis probè commeruit, cuius sancta regula, Angelica vestis, Apostolicum institutum, Euangelica viuendi norma immunis à communi mutationis malo inuariata, semperque sui similis mansit. S. Basilij Ordo virtuti charitatis similis.

Capvt XII.

Cùm homo procliuitèr, ac penitissimè se insinuare in res huius sæculi soleat, idcircò qui eas magno animo calcare nouit, is nisi prorsùm sit martyr, multum tamen martyrij habet.

PRæclarum opus, insignitum, ac stupendum facinus diuini Basilij fuit, quod humanos animos, vt arctum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ iugum volentes exciperent, primus adduxit. Primum autem fuisse Basilium, qui has expugnauerit vrbes, qui talia perdomuerit monstra, cælestesque illas detexerit Indias, & suprà diximus, & affirmat Raphael Volateranus libr. 21. Antrop. vbi ait, *ex illo incerto, inæqualiq; modo, quanquàm durissimo, ad certam,* Mundi cõtemptor martyrib⁹ affinis.

æqua-

æqualem, ac mitiorem viuendi formulam primùm per Basilium redactam, ac tribus confirmatam votis, vitam eam, quam anteriores Monachi ad ea vsque tempora vixerant. Accedit testis Polydorus Virgilius, qui libr. 7. de Inuent. cap 2. ita habet: *Primus omnium obligauit Monachos nouis legibus, vt post annum, quàm quis in collegium venisset, si in eo vellet vita instituto permanere, voueret se castè victurum, nihil possessurum, ac dicto Præfectorum fore audientem, quo se in perpetuum omni suâ abdicaret voluntate.* Paulus Morigia delle Origine de Religiosi lib. 1. cap 16. hoc ipsum suâ vernaculâ Italicâ asserit, quod Polydorus latinâ.

Mundi cō-temptus, magnum opus.

Nemo autem miretur, quod hoc Basilij opus inter rara, & stupenda numeremus. Quiâ enim attentè considerarit, quàm profundè se in huius caducæ vitæ bona transitoria ingurgitare cor humanum soleat, idem comperiet, magnanimitatem eius illustriori exemplo patefieri non posse, quàm si ea quis generoso pede obterat, quæ alij auidè, inhiantèrque expetiissunt.

Non ineptum huic rei suffulcimentum fuerit quædam sancti Ioannis Chrysostomi commentatio. Corinthios Prædicator Orbis exhortabatur, vt prolixâ manu egenis mendiculis subuenirent, aiebatque: *Per vnam sabbati vnusquisq; vestrum apud se ponat, recondens, quod ei benè placuerit,* 1. Corinth. 16 2. Sed notandum, quod paulò ante cap. 15. v. 52. præmiserat: *In momento, in ictu oculi, & in nouissimâ tubâ, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.*

Eleemosynam impetrare, nisi extremi iudicij cōmemoratione, desperauit Apostolus

Dicit nunc Chrysostomus in Serm. de collectis, & elemosynâ tom. 4. *Animaduerte sensum, & ingenium Apostoli, quàm tempestiuè ad hanc admonitionem accedit, cùm enim meminit futuri iudicij, terribilisque illius sedis, tum de hoc reliquum sermonem informat.* Cùm excitare vellet Corinthios Paulus, vt suarum facultatum ope necessitates pauperum leuarent, statuendum ijs ob oculos putauit terribilem illum diem, quo inflexibilis Iudicis formidabili tribunali omnes sisti oportebit. Sed quid hic solertiæ, dices, quod extremi iudicij tragicâ repræsentatione ad largiores eleemosynas, effusioremque in egenos beneficentiam illos exstimulare Paulus voluit? Nouerat humanum Apostolus ingenium, nouerat animus hominum tam non solùm tenacitèr adhærescere, sed etiam profundè infixas esse, ac velut concretas rebus temporalibus, & cum eis sic quodammodò coaluisse, vt desperaret vel ad teruntium erogandum permonere quemquam posse, nisi tremenda iudicij extremi commemoratione, totaque eius terribilitate percelleret, ac totam molem iræ omnipotentis Dei inijceret. *Animaduertè sensum, & ingenium.*

Auaritia hominum quanta.

Videtur Apostolus respexisse, & memoriâ repetiisse id, quod Propheta Rex de vocis Dei efficacitate canit, in cuius commendationem hæc præter alia dicit: *Vox Domini præparantis ceruos;* Psal 28. 9. Loquitur hic, vt magno consensu Expositores affirmant, de admirabili modo, quo ex Dei ordinatione iuuantur ceruæ, vt fœtum, quem vtero gestant, in lucem edant. Hâc de re ex Aristotele & Plinio, Iacobus Suarez serm. 1. in Apocal. sic habet: *De huiusmodi partu mirabilia videre est apud Aristotelem, & Plinium, qui referunt, quod nisi illa tonitruo præpararentur, & iuuarentur, non modò non parerent, sed & perirent nimiâ difficultate.* Tam ingens est ceruarum pariendi difficultas, vt eniti hinnulos suos, nisi horrisono tonitru cælum immugiat, non possint. Efficacitas ergo vocis Dei in tonitruis ex eo elucescit, quod hæc terrifico suo crepitu, & strepitu facere possunt, vt ex angustâ vterorum suorum custodiâ validè adstrictos fœtus emittant. Dicamus nunc cum Chrysostomo, perquàm ingeniosum, & solertem fuisse Apostolum, quando Corinthiis extremæ tubæ (cuius sonitu expergefacti mortui redibunt in vitam nouam, & anterioris vitæ dent rationes) memoriam refricauit, cùm eos permouere

Ceruarum pariendi difficultatem tonitruum leuat.

Eleemosynarum largitio tam difficilis nonnullis quàm partus ceru

nere voluit, vt facultatum suarum quantulamcunque particulam egenis dilargirentur: *In momento in ictu oculi, in nouissimâ tubâ;* nam vt homo peregrè sua relinquit, tenacissimèque inhæreścit facultatibus suarum opum, sic vt vel minimam portiunculam è manibus dimittat, id omninò necessarium videtur fieri, quod fieri opus est, vt fœtus suos ceruæ soluant, & in lucem effundant.

Quàm probè hoc considerarat rex Theodoricus, quando legis cuiusdam suæ transgressoribus pœnas intentans sic per Cassiodorum lib. 5. epist. 5. scribebat: *Si quis autem à modulo definito amplius fuerit habere repertus duarum vnciarum auri damno feriatur.* Tale videtur, quod dicitur: Qui præterierit limites, quos ego constitui, iacturâ duarum vnciarum auri plectetur. Sed non satis expressi illorum verborum sensum, profundiorem enim recessum habent, quàm ego aperui, vel detexi. Non dicit Cassiodorus, duabus auri vnciis mulctandum, qui Regis sui iussa præuaricatus fuisset, sed quid ait? *Duarum vnciarum auri damno feriatur.* Grauitèr, & sapientèr dictum! Respexisse videtur pœnarum discrimen, quos reprobi, ex Theologorum sententiâ, apud Inferos in æternitate dependunt. Duas illi obseruarunt pœnas damnatorum, damni vnam, sensûs alteram. Sensûs pœnas corpus, vnaque animam afflictat, postquàm in æterno illa ergastulo in veterem naturæ communionem redeunt, & nexu per mortem soluto rursùm coalescunt nouâ, sed infelicissimâ, quià perpetuùm miserâ vitâ. Pœna damni est carentia visionis Dei, hæc verò suppliciorum omnium atrocissimum est, & intolerabilissimum. Quod ergo Cassiodorus aiebat, legis regiæ transgressorum *duarum vnciarum auri damno feriendum,* tantundem fuit, quantum si dixisset, hominem vehementi cupiditatis affectu ita velut transformari in bonorum temporalium, fortunarumque præsentium substantiam, vt dolor, quo afficitur, cùm vel solæ duæ auri, quasi sanguinis, vnciæ illi detrahuntur, cùm illo tantùm cruciatu comparari posse videatur, qui damnatis inde nascitur, quòd se beatâ Dei visione nunquàm fruituros sciunt.

Bonorum temporaliũ iacturâ aatus de- ... lor est quædam velut pœna damni.

Huc accedit, quod Rasis apud Petrum Pictau. ser. separat. cap. 3. ait: *Qui à somno territus surrexit, & hoc multum ei acciderit, vel moritur, vel pecuniam amittit.* Tritum est illud Aristotelis, terribilium terribilissimum esse mortem. At si inter ea, quæ terrent, secundum à morte locum obtinet damnum temporalium, à morte etiam nihil est, quod æquè affligit, & cruciat hominem, atque iactura pecuniæ, siue temporalium facultatum. *Vel moritur, vel pecuniam amittit. Duarum vnciarum auri damno feriatur.* Nullus tam pœnaliter vulnerat, tam lethaliter sauciat gladius, quàm damnum auri, tametsi duarum non ampliùs vnciarum sit.

Bonorum temporalium damnum lethaliter vulnerat.

Benè his conueniet cum pulchrâ quâdam S. Prosperi obseruatione. Cùm incidisset in id, quod beatus Lucas de intimâ necessitudine primitiuorum Christi fidelium Act. 4. 32. ait, *multitudinis credentium* fuisse *cor vnum, & animam vnam,* notauit, mox à sacro Apostolicorum gestorum scriptore subiunctum: *Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia,* ibidem. Quid causæ, quod communes habuerunt omnes suas fortunas, & facultates? Illud, vt & cor haberent omnes idem, & animam vnam. Nam cùm tam proprium sit hominis, intimè coniunctum, & affixum habere opibus animum (nam *vbi est Thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit,* Matth. 6. 21.) vt esset vna primorum credentium anima, vnas voluerunt esse suas facultates, & opes. Verba S. Prosperi lib. 2. de vitâ contemplatiuâ cap. 17. sic habent: *Vnum cor est, & vna anima, diuina charitatis igne conflata, & nulla est in eis diuersitas animorum, quibus est communio facultatum, quia vt fieret, & esset animarum sancta coniunctio, necessaria est facultatum in-*

Christianorum primorum cor vnum, quia bona cõmunia.

rum indicata communio. Cœli arbitrio, & consilio facta est illa bonorum communio, vt ex eâ nasceretur animorum consociatio, & coniunctio.

Cùm autem cor humanum tàm altas agat in rebus huius vitæ radices, tàmque intimè se in eas insinuet, vt in limine huius capitis dictum, idcircò tam intolerabilitèr affligitur, & cruciatur, quando ab eis destituitur, vel auellitur, vt si non omninò martyr fiat homo, qui temporalibus facultatibus nudatur, martyrium tamen sapiat dolor, qui inde illi generatur.

Modestum, elegantemque charæ Sponsæ suæ vestitum, ab odoris fragrantiâ commendans Sponsus, sic aiebat: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*; Cant. 4. 11.

Si Sponsam dicas Ecclesiam, quosnam ea Sponsæ, siue Ecclesiæ vestimenta figuratè referent, aut typicè repræsentabunt;

Pauperes qui tegũt, sunt vestimenta Ecclesiæ.

Lucas Abbas in 4. Cant. to. 1. Biblioth. Vet. Patrum ait: *Vestimenta Ecclesiæ eos opinor intelligi, qui pauperes tegunt*, eorumque in opiam parte suarum facultatum leuant. Benè id habet. Sed qualis est odor eorum, qui fortunas suas inter egenos dispertiunt? *Sicut odor thuris*. Sed quare ijs thus magis, quàm stacten, aut aliud quiduis aromatum, vel suffimentorum oleat?

Huic quæsito satisfacit dictus abbas, inquiens: Eorum, qui pauperes tegunt, *famam similem pronunciat Spiritus Sanctus eorum, qui sacrificium Dei efficiuntur, id est, Martyrum, eò quòd thus soli Deo in odorem suauitatis offerri iussum sit*. Odor, & fama idem sunt, iuxta illud Pauli 2. Corinth. 2. 15. *Christi bonus odor sumus*; hoc est, bonam famam quasi gratum odorem ex halamus. Thus symbolum est Martyrum. Nam vt thus vni Deo imperabatur litari, sic Martyres thus appellantur, quia pro solo Deo sanguis fundendus, & vita neci offerenda.

Pauperum tectores

Quod ergo Sponsus ait, Sponsæ vestimentorum odorem esse qualem thuris, perinde est, ac si dixisset, eos, qui pauperes nudos necessario vestitu tegunt, atque vt hos foueant, bonis suis se nudant, & facultatibus suis renunciant, tam præclaram sibi tali opere famam, & existimationem conflare, vt olere martyrium, & odore referre martyres dici queant, si fortè omninò Martyres appellari non possint. Tam validis nempè tenacibusque, & profundis radicibus infixa est cordi humano temporalium cupiditas bonorum, vt penè, æquè operosum sit, hanc ab animo, ac animam è corpore euellere, parique ferè difficultate & bonorum præsentium amori, & vitæ renunciare homo possit.

martyrium olent.

Opportunum huc veniet, quod S. Ioannes in priore suâ canonica nobis scriptum reliquit, vbi sic habet: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*; 1. Ioan. 3. 16 Cùm hæc dixisset, mox subiecit: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patientem, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* ibid. v. 17.

Notandum in his dilecti Discipuli verbis, quod vult nos tanta ornatos esse charitate Dei, vt ex ea parati simus vitam nostram offerre morti pro salute proximi, quando id res, circumstantiæque iustæ postulent, idque, vt innotescat, esse in nobis charitatem Dei, qui suo exemplo prior nos tale quidpiam facere docuit. Benè hactenùs. Sed quale illud est, quod eiusmodi amorem vult à nobis manifestari per munificentiam, & liberalitatem in egenos, tanquàm nemo exploratè sit præditus charitate Dei, vel promptus mori pro salute proximi, qui non opitulatur illius necessitati?

Respondet S. Augustinus apud Hugonem Cardinalem in 1. Ioan. 3. *Animam meam pro proximo pono, quando ori subtraho, quod pauperi impendo.* Cum euangelista sciret, quàm difficultèr homo auellatur à bonis temporalibus, propter

arden-

ardentissimum amorem quo ea complectii, ac deperire solet, quando voluit, vt ex charitate, & pro Christi exemplo vitam saluti proximorum impenderemus, dixit consequenter, neminem vnquam eam charitatis perfectionem assecuturum, qui viscera misericordiæ erga pauperes auaritiâ obturauerit. Id autem perinde est, ac si dixisset, cui deest animus ad subueniendum pauperi, illi superesse non posse vires, per quas immoriatur fratrum saluti. *Animam meam pro proximo pono, quando ori subtraho, quod pauperi impendo.*

Pauperibus vitam suam impendit, qui quod sibi subtrahit, iis impertit.

Profectò si leue negotium, aut facilè opus esset vitæ huius fortunas abjicere, aut conculcare, nunquàm sacris literis tam variis modis, ac medjis, tam frequentibus parabolis, tam formidabilibus comminationibus, tam copiosis promissis incitarentur homines ad relinquendas, erogandasque suas in egenos facultates, nec vna suprà omnes eleemosynæ, & liberalitatis virtus tam sæpè, ac multùm commendaretur.

Quod ergo Magnus Basilius cœpit homines adstringere legi contemptûs, & renunciationis bonorum temporalium, & abdicationis suorum thesaurorum, & facultatum, quid hoc aliud fuit, quam obligasse, vel initiasse illos martyrio, aut certè fecisse, vt redolerent martyrium? Tantùm audere, tam operosum negotium tentare, tam arduam suscipere prouinciam, nisi à Deo incitatus, & à Spiritu Sancto singularitèr roboratus Basilius non potuit.

Capvt XIII.

Cùm homini (qui vna maxime gloriatur, & præsidit proprij arbitrij libertate) res perdifficilis, perque operosa sit, propriâ se abdicare voluntate, idem videtur voto se obstringere obedientiæ, & præparare se ad mortem.

Obedientiæ voto se obstringere, & ad mortè comparare, idem.

Non meus est titulus, quem inscripsi, non mea epigraphe, quam limini huius capitis insculpsi, verùm sancti Basilij est tam sapiens effatum, qui in monasticis suis sanctionibus volens præmonere tyrones religiosos ad submittendum humilitèr deuotam obedientiæ iugo ceruicem sic ait Constitutionum monasticarum c. 20. *Oportet, vt qui ad vitæ huius rationem se contulerit, ita stabili, firmâ, immobilique voluntatis constantiâ sit, animique firmitate tantâ, vt ad mortem vsque Martyrum constantiam præseferat, cum obedientiâ aduersùm magistros suos conseruandâ.*

In his expendamus ista: *Ad mortem vsque Martyrum constantiam præseferat, cum obedientiâ aduersùm magistros suos conseruandâ.* Quid verò? Tam arduum est proprio renuntiare arbitrio, & suam alteri submittere voluntatem? Si Bernardum audimus declamantem, facilè hâc liberabimur dubietate, & quod res est, comperiemus. Sermone 13. in Cant. ille sic habet. *Cùm nihil in nobis sit charius, intimius, altius, & maius propriâ libertate, ac facultate vsus eius, abdicare hanc à se prout est possibile, tantò est perfectius, & altius, quanto ista præponderat omnibus aliis abdicabilibus nostris.* Nihil habemus in monilibus pretiosiùs, nihil inter omnia supellectilia nostra opulentius, quodque æquè & æstimemus, & diligamus, ac propriam voluntatem, vsumque nostri arbitrij, ex quo illud luculentè sequitur, vt rei digniori posthàc renunciare non possit, qui suæ voluntatis potestati semel renuntiauit.

Voluntati propriæ renuntiare, opus maximè arduum.

Validè hanc veritatem confirmabit prima lex, quam Imperator supremus in voluptuosissimo horto Protoparenti nostro imposuit, cùm ait: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*; Gen. 2. 16. 17.

Obseruauit in hoc dominico præcepto beatissimus Papa Gregorius, quod Deus, cùm vellet primi hominis libertatem quibusdam limitibus circumscribere, & arctare arbitrij illius licentiam, vnam tantùm illi designauit arborem, à cuius fructibus abstineret, quando am-

plissi-

plissimam in omnes reliquas arbores con cessit potestatem. *Omnes paradisi arbores ad esum Dominus concessit, cùm ab vnâ prohibuit*, inquit magnus Pontifex apud Bernardinum Senensem serm 13. to. 3.

Adam cur ex vnius tantùm arboris fructibus edere prohibitus.

Sed quid sibi vult, inquit Gregorius, quod esum fructuum nonnisi vnius arboris interdicit, cùm decerpere, & esitare pro libidine ex omni relinquo ligno permittit?

Respondet quæsito dicens: *Vt creaturam suam, quam nolebat extingui, sed provehi, tantò faciliùs ab vnâ restringeret, quantò ad cuncta latiùs relaxaret.* Cùm Dominus exploratè nôsset, quàm caram haberet, quámque exanimitùs suam diligeret voluntatis libertatem, necessumque esset iniecto fræno eam nonnihil coërcere, vt superius Domini agnosceret imperium, vnicæ tantùm arboris fructus eius denegauit esui, cæteras arbores omnes illius permittens arbitrio, & voluptati, ne arctiori præcepto stuporem illi, mortemque adeò afferret, ne creaturam suam extingueret. Reuera enim nihil est aliud, quod sic perterrefaciat, & conficiat hominem, vt coarctatio liberi arbitrij, & vagæ libertatis coërcitio. Itaque vt deglutire posset (liceat enim sic loqui) amaram vnius vetitæ arboris pillulam, inaurauit eam diuinus Medicus, & legislator amplâ potestate in omnes arbores reliquas. Et cùm tam probè inauratum esset catapotium, ac penè nihil haberet aloës, si cùm saccaro conferas, quo conditum, & perfusum erat, amaritudo tamen illius ita primam offendit mulierem, vt hæc querula, & murmurillans diceret: *De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud*; Gen. 3. v. 2. & 3.

Adam à plurium arborum fructibus prohiberi nō tulisset

Eua ob vni9 arboris interdictùm nō curauit re

Notat in his Lippomanus, quod Eua *non se tam gratam ostendebat pro tot, tantisque concessis in Paradyso fructibus, quàm querulam, & impatientem de vno negato se ostendebat.* Quemadmodùm delicatulo cuipiam, ac mollicello domino non tantùm voluptatis adferunt multi multo artificio lautissimè apparati missus, quantum nauseæ, & offensionis generat vnicum solùm ferculum indiligentèr conditum, inertèr curatum: Ita prima nostra parens malè contenta tot arborum fructibus, quot illi ad vsum, esumq; concessi erant, non tam acceptam habuit istam Domini liberalitatem, quàm inuisam, exosamque eiusdem quantulamcumque austeritatem, quâ vnam arborem ab illâ intactam, illibatamque voluit. Nam cùm tali prohibitione libertas illius circumscripta, & velut fossis quibusdam incincta fuerit, isto præcepti vncino intimus animus illius cruciabilissimè sauciatus fuit. *Nihil* quippe *est*, vt S. Bernardinus Senensis ibidem ait, *quod homo naturali affectu refugiat ampliùs quàm priuari propriâ libertate*, nec ab re aliâ æquè ab horret, ac ab omni eâ, quæ voluntatis facultatem coarctat, vt non liceat omne, quod libet.

liquarum omnium concessionem.

Euæ non tantū placuit ingēs Dei liberalitas, quantum displicuit exigua seueritas.

Volūtatis liberæ coarctationē iniquissimè fert homo.

Non intempestiua veniet quædam Procopij Garæi obseruatio, qui cùm in consideratione versaretur benedictionis, quâ decrepitus, & cœcus Isaac benedixit filio suo Esau, in vnâ voculâ hæsit, quæ aptè in rem præsentem cadet. Benedictio sic habebat: *In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua, viues in gladio, & fatri tuo seruies*; Gen. 27. 39.

Annotauit itaque Procopius, quod Isaac simillimis verbis benè precatus fuit alteri filio Iacob, nisi quod in eius benedictione istud aduerbium, *Desupèr* prætermisit, cùm ait: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.* Commentatio Procopij hâc de re sic habet: *Verùm vt differentiam aliquam cernas, additam esse conspicis dictionem*, De super, *vt denotetur Esau obtemperaturum, Iacob verò imperaturum.* Voculam illam *Desuper* legit Procopius absolutè, significatque ipsi idem, quod *prætereà*, ac si dictum esset: Cùm Isaac pari benedictione

vtrumque filiorum, Iacobtem dico, & Esau impertiit, & vnam ambobus rerum affluentiam adprecatus fuit, vnius tamen, Esau puta, felicitati pondus iniecit, & abundantiam illius graui pensione onerauit. Fel autem, quo huius mel perfudit, & Aloës herba, quâ saccharum eius amaricauit, illud est, quod adiecit: *Desuper fatri tuo serures*; hoc est, non erit mera rerum copia, quam tibi ros cœli, & pinguedo terræ ministrabunt, sed hoc tam molesto censu prosperitas tua miscebitur, ac prægrauabitur, quod fratris tui seruus eris, adeòque habebis impeditam, constrictamque libertatem. Fuit hæc quædam atra quasi litura, quà copiosarum benedictionem illius alba papyrus fœdata. Tametsi enim quis opimissimis terræ prouentibus circumfluat, & totis è cœlo beneuolente copiarum imbribus perfundatur, si hæc tanta felicitas cùm graui seruitutis, & coarctatæ libertatis pensione concedatur, (*desupèr fatri tuo seruias*) miserrima felicitas est, & perquàm inops copia. Vna quippe libertas, prout illam charam habet homo, bonum illi maximum est, etiamsi bonis aliis omnibus sit nudus; Et cæteræ fortunæ illum instar vasti montis intolerabilitèr grauant, si vna illi non sit integra, expeditaque libertas. In hanc sententiam dixit S. Theodorus Studita Catechesi 90. *Certamen obedientiæ maximum est.* Cùm in obedientiæ palæstrâ in seruitutem abripiatur arbitrij libertas, omnibusque impedimentis prægrauetur voluntatis lubido, id circò ibi acrior pugna, & vehementior concertatio, *Certamen obedientiæ maximum.*

Opulẽtus sine integrâ libertate nullꝰ.

Obedientiæ certamen maximum. Quare?

Huc faciet, neque parùm, quoddam S. Ioannis Chrysostomi annotamentum in pollicitationem illius Angeli, qui Agari fugitiuæ occurrit, dicens: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine*; Gen. 16. 10. Quò spectauit illa tam magnifica promissio? aut quid sibi voluit tam ingentis prosperitatis annuntiatio?

Chrysostomus iubet hic recolere, quid Angelus paulò ante dixerit. *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius*, aiebat ibid. v. 9.

In hæc verba Chrysostomus ita disserit: *Magna pollicetur, vt præseferat obedientiam*; velut dixisset: Ne mireris, quod Angelus cœlorum legatus tam grandia vili polliceatur ancillæ, tamque optatam illi annunciet felicitatem; cùm enim ante illi imperâsset, vt ex illâ eremi perampla licentiâ & obedientiæ carcerem sese referret, tàm ingentibus promissis innumeræ posteritatis eam allectare necessum fuit, vt tam amaram pilulam glutiret: *Magna pollicetur, vt præseferat obedientiam.* Vt enim vel vnum Aloës, siue amaræ obedientiæ granulum palato arbitrij humani non adferat horrorem, plurimo promissionum, ac præmiorum saccharo conspergendum est, & condiendum. Tam asperum, tam acerbum est humanæ libertatis palato catapotium obedientiæ.

Obedientiam nec à vili ancillulà nisi magna promittas ne spera.

In huius rei consideratione positus dicebat beatissimus Doctor Gregorius vbi suprà apud Bernard. Senen. *Qui ab vno quoque bono etiam subiectus vetatur, necesse est vt multa concedat, ne obedientis mens funditùs intereat, si omnibus operibus funditùs repulsa ieiunet.* Quisquis Prælatus subdito re aliquâ, quæ illi grata sit, interdicit, multarum aliarum honestarum rerum vsum liberum illi permittat oportet, ne immodicâ arctitudine, & molestiâ cor obedientis suffocetur, si non aliquando vincula subiectionis vel parùm relaxentur. Continuò enim obedire, & nunquàm arbitrij libertate gaudere, est velut perpetuis impendentis mortis pœnis affligari & extingui anxietate, inquit Gregorius. Itaque necessum videtur, relaxare nonnunquàm, & laxiores quandoque habenas libertati permittere, sic tamen, vt debitæ huc prudentèr circumstantiæ adhibeantur: *Ne obedientis mens funditùs intereat.*

Obedientiam continuam ne exigat Superior, sed libertati nonnihil permittat.

Huc apposité cadet, quod Cornelius Tacitus lib. 1. Annal. refert à Romanis in exequiis Augisti Cæsari, non sine murmure

Augusto Cæsari quomodo parêtatū.

mure dictum, factumque: *Die funeris milites velut præsidio stetere, multùm irridentibus, qui ipsi viderant, quippe à parentibus acceperant, diem illum adhuc crudi seruitij, & libertatis improsperè repetitæ.* Quo die tumulo Augustus inferebatur, milites cadauer illius velut custodes cingebant. Ex his multi cùm lusu commemorabant, quæ ipsi vel oculis suis arbitrati fuerant, vel à maioribus acceperant de illo crudæ seruitutis die, quo libertatis per mortem Cæsaris instaurandæ curatam infelicitèr suscepta fuit.

In his Taciti verbis ponderandum nomen, quo donat perditæ libertatis initia. *Crudi seruitij* diem vocat, Ludouicus Dorleanus in lib. 1. Annalium Taciti de hâc re sic ait: *Crudi adhuc seruitij diem vocat Tacitus elegantèr, pro die, quo inciperet Augustorum dominatio, & seruitus populi Romani.* Nam vt crudum difficultèr concoqui, tolerarique potest, ita rarus est patientiæ stomachus, qui seruitutem, ac libertatis iacturam sine graui fastidio excipere, sine multo labore, ac dolore digerere possit. Post annos plurimos, quibus Romani libertate suâ excutierant, tam dura hærebat in patientiæ stomacho buccea seruitutis, vt nunquàm tanti temporis calore satis concoquere potuerint, vt meritò *diem illum crudi adhuc seruitij* vocauerit Tacitus, quo continuâ seruitute premebantur, cùm se liberos à morte Cæsaris Dictatoris fore sperarent.

Libertatis imminutio cruda seruitus.

Itaque non miror, quod S. Theodorus Studita Catechesi 98. dixerit: *Quãobrem haud nos quoque defatiscamur quodam quasi martyrio perfungi voluntatum coërcitionem ceu obtruncationem.* Tale est, quod suis aiebat: Non defatigemur animis, religiosi Patres, neque deficiamus sub illo velut martyrio. quod subimus, quoties obedientiæ ferro propriam nostram quodammodo circumcidunt voluntatem. *Quodam quasi martyrio perfungi* hortatur eos, qui obedientiæ iugum admiserint, appositè ad verba S. Basilij, quæ initio huius capitis dedimus. Obedire namque, & sacrificare propriam voluntatem, & suam in arâ obedientiæ mactare libertatem, est quædam velut ad martyrium præparatio. Quid verò fuerit, si minister huius holocausti sit austerus, si Prælatus capito, si tetricus, rixosus, dicax, procliuis ad vindictam Superior? Sed quia tam est terribile obedientiæ martyrium, tam ingratum fel, tam amara pilula, tam dura buccea, tam horribilis calix abnegationis propriæ voluntatis, propterea Deus tristem illam subacidamque pilulam inaurat suæ obedientiæ exemplo, cuius tota vita à primulo momento ad extremam clausulam vsque vna iugis obedientia fuit. Ille nimirùm *factus* est *obediens vsque ad mortem*, vt Paulus habet Philip. 2. 8. Huc accedit, quod tam magni, & cœlestis Imperatoris ergo cedere libertati, non est perdere illam, sed reddere meliorem, in illius quippe basilicâ qui demissiùs se humiliat, & promptiùs obtemperat, is posthæc, ad imitationem Domini, in sublimius solium, celsioremque thronum euehitur, nihil enim tam honorificum, & gloriosum, quàm tam obedienti obedire magistro. Et quanto grauius, intolerabiliusque fuerit carni, & sanguini iugum obedientiæ, tanto quoque illustrius erit meritum, tantoque copiosior remuneratio.

Obedientiæ nostræ amaram pilulam obedientia Christi inaurat.

CAPVT XIV.

Cùm Matrimonij status sit Ordo omnium Ordinum maximè austerus, dulcissima, & amabilissima erit illorum libertas, qui se obedientiæ intra religiosum ordinem quantumuis duris obedientiæ nexibus obstringunt,

SApiens theologus, simulque clarissimus iurisconsultus Dauid Mauden in cap. 6. Tobiæ, sect. 11. num. 17. ait: *Orta est quondam inter eruditos, ac religiosos viros quæstio, quis omnium Ordinum sit rigi-*

Matrimonij Ordo Ordinum omnium rigidissim⁹

ſit rigidiſſimus. Quæſtionem varia exceperunt reſponſa. Quidam Carthuſianorum inſtituto maximam tribuebant arctitudinem, nonnulli Seraphicum B. Franciſci Ordinem volebant eſſe rigidiorem, aliorum aliò ibant, & variabant ſententiæ. Vnus quidam ex omnibus ſic aiebat: *Pace veſtrâ dixerim, non eſt in orbe Ordo magis adſtrictorij rigoris, quàm ſit matrimonium.* Ita vir ille prudens pronuntiabat, non quod Matrimonium eſſe vnum ex religioſis Ordinibus exiſtimaret, ſed Ordinis vocabulo ampliter vſus, pro quouis durioris vitæ ſtatu, voluit dicere, ſi auſteritas cum auſteritatibus, cum moleſtiis moleſtias conferas, grauiſſimas omnium eſſe illas, quibus Matrimonij ſtatus ſubiacet, in quem vnum omnes ærumnæ, calamitates, infelicitates, reſque aduerſæ certatim confluere videntur. Audiamus nunc de hac ſententiâ cenſuram autoris, quem initio memorauimus: *Veriſſimè hic omnium videtur dixiſſe.* Certè qui miſeriam ingentem cumulum, quibus Matrimonij ſtatus prægrauatur, tantumque non opprimitur, ſecum reputat, is huius viri religioſi de tali ſtatu effatum plauſu, neque ſimplici tantùm commendatione dignum dicet, vt cui & quotidiana experientia, & omnium ſæculorum hiſtoriæ ſuffragentur, veriſſimum dixiſſe. Probemus iſtud.

In matrimonij ſtatum calamitates omnes confluunt.

Ad hanc ego conteſtandam veritatem primo loco adferam quoddam ſanctorum Auguſtini, & Petri Damiani annotamentum, qui obſeruârunt, inſignitiorum, celeberrimorúmq; veteris Teſtaméti Patriarcharum matrimonia pleraque iuxta fontes, aut aquis proxima loca memorari conflata. Talis erat locus, vbi œconomus Abrahæ maximus de conciliandis Iſaaco nuptiis agere cœpit. *Ecce ego ſto propè fontem aquæ,* dicebat Gen. 24. 13. Et cùm Iacob nepos Abrahæ abiit in Meſopotamiam, iuxta puteum etiam, annotante id ſacro textu, primùm vidit formoſam Rachelem, eamque penitiſſimo cordi ſuo inſculpſit, & ſponſam ſibi delegit. Accidit hoc eâ occaſione, quâ vt ſiticuloſo gregi potum venuſtula cuſtos dare poſſet, lacertoſus Iacob ſaxum, quo aqua obturabatur, amolitus fuit. *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur,* inquit ſacer Scriptor G. 29. 10.

Matrimonia Patriarcharum quorundá ceu iuxta fontes celebrata.

Dicit nunc Auguſtinus Serm. 80. de tempore: *Iſti Patriarchæ ad puteos inueniunt matrimonia.* Et Damianus Ser. 70. *Patriarchæ ad aquas fiunt vxorij,* ſiue coniugati. Magnum myſterium, quod tales viri apud aquas repererunt vxores! Cuius rei hieroglyphicum ſunt aquæ in ſacris literis? In his literis nihil magis obuium, quàm quod aquæ ſignificent labores, ærumnas, tribulationes, perſecutiones, & afflictiones. Ita docet Origenes, S. Hieronymus, Geminianus, Ricciardus Brixienſis, Petrus Berchorius, Pierius Valerianns, Hieronymus Lauretus, & alij multi. *Aquæ ſignificant exercitus perſequentium,* inquit hic, quem poſtremum nominaui, Lauretus. Quod ergo Patriarchæ illi per omnia tam ſancti propè aquas inuenerunt ſponſas, & coniuges, id factum, vt indicio eſſet, etiam ſanctiſſima, & pacatiſſima, & conſultiſſimè inter pares, & mutuò vehementèr amantes conciliata matrimonia reperiri iuxta aquas, iuxta tribulationes, ſollicitudines, miſerias, ærumnas. *Patriarchæ ad aquas fiunt vxorij. Patriarchæ ad puteos inueniunt matrimonia.* Et ſi hoc in ſanctorum Patriarcharum coniugiis euenit, quid fiet in iis matrimoniis, quarum ſolus turpis amor eſt pronubus, & fœda libido paranymphus?

Matrimonia etiam ſancta ſuas habent ærumnas.

Commoda huc veniet S. Hieronymi commentatio in illud Pauli 1. Cor. 7. 28. *Si acceperis vxorem, non peccaſti, & ſi nupſerit virgo, non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.*

Quid his verbis voluit dicere diuinus Apoſtolus? S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum ait: *Nos ignari rerum putabamus nuptias ſaltèm habere lætitiam, ſi autem nubentibus etiam in carne tribulatio eſt, in quâ ſolâ videbantur habere delicias, quid erit reliquum, propter quod nubant,*

In matrimonio voluptatum affluentiã qui sibi promittũt errant.

bant, cùm & in spiritu, & in animâ, & in ipsâ carne tribulatio sit? De matrimonio, qui nullum illius fecerunt periculum, sibi promittere solent, qui id appetunt, affluentiam voluptatum se in eo reperturos corporalium, certè ita sentiunt inexperti eorum, quæ in statu coniugali accidunt. At cùm virgo Apostolus coniugatis annunciet, ex carne etiam suas habituros tribulationes, & ærumnas, vnde maxima sperabant oblectamenta, & solatia, quò prouocabunt miseri coniuges, quando omnia sunt consita tribulis, & acculeatis spinis, hoc est, & spiritus, & anima, & ipsa adeò caro? *Si autem nubentibus in carne tribulatio est, in quâ solâ videbantur habere delitias, quid erit reliquum, propter quod nubant?*

Matrimonia etiam sancta suas habent ærumnas.

Non abs re præsenti erit, quod Cornelius Tacitus lib. 3. Annal. his verbis refert: *Relatum* in senatu *de moderandâ Papiâ Poppaâ, quam senior Augustus post Iulias rogationes incitandis cælibum pœnis, & augendo arario sanxerat. Nec ideò coniugia, educatione liberorum frequentabantur, praualida orbitate.* Notandum hîc interpretatio, quâ versutus Tacitus Poppæam legem perstringit magis, quàm illustrat. Quid illa Cæsaris Augusti lex imperabat? Vt Romani matrimonia inirent, atque ex illis deinceps Romana augesceret respublica, vt meritò *ferax* illa Horatio lex dicta fuerit in carmine sæculari, eò quòd incrementum spectaret, procuraretque populi Romani. Tacitus verò ait, istam legem esse latam *incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario,* velut dixisset, eâ lege quâ sub grauibus pœnis mandabatur, vt coniugia inirent, quotquot per ætatem possent, non tam cautum, vt Respublica hominibus, quàm vt pecuniis ærarium afflueret. Cur ergo ducere vxores iussit? Cur nubere præcepit? Vt tali prætextu ingentem auri, & argenti vim in thesauros domûs Cæsareæ inferret. Dixerit Augustus (vt quidem malignè Tacitus interpretatur) quamnam ego legem pœnalem decernam, quæ mihi lucrosa sit,

Matrimonia vt inirent Romani, pœnis cogi debuerunt

& diuitem quæstum facere queat? Post multa in omnem partem apud animum agitata, hoc illi quæstuosissimum fore visum est edictum, quo ducere vxores populo Romano sub multis pœnis imperaret. Nam cùm illius ætatis viri secum reputarent labores, & miserias, quas perferre in matrimonio necessum est, quamcunque pecuniariam mulctam subire, quàm inire coniugium malebant, nullam enim æquè acerbam esse posse pœnam putabant, ac coniugi vinculo adstringi mulieri, quare numariam pœnam iis imposuit Augustus, quos ita defugere matrimonia vidit, vt cùm pauci essent, qui coniugia iussi inirent, multi essent, qui pecuniam ærario mulctari inferrent. *Papiam Poppæam incitandis cælibum pœnis, & augendo ærario sanxerat.*

Non prætereamus sanctum Hieronymum, disertissimum sacrosanctæ virginitatis Apollinem, cuius ea est obseruatio, quod cum sacer textus memoret, Moysis Israelitici populi ductoris obitum fuisse apertâ populi pietate vehementèr defletum, de Iosue, quod illius funus velunicâ lachrymula comploratum sit, non referat. De Moyse Deuteron. 34. 8. sic habes. *Fleueruntque eum filij Israël in campestribus Moab triginta diebus.* De Iosue verò: *Mortuus est Iosue filius Nun seruus Domini, sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ*: Ios. 24. 29. 30.

Quid sibi vult, quod tam siccis oculis spectata fuit mors Iosue ab iis, qui Moysis mortem totis triginta diebus non satis deflere potuerunt? An minoribus beneficiis Israëliticum populum deuinxit Iosue, qui illum in terram promissionis introduxit, & suam cuique habitationem, possessionemque incredibili labore designauit, quàm Moyses, qui in illam terram ipse non penetrauit? Aut parùm gratus fuit populus erga tam benè eritum ducem, & imperatorem?

Respondet S. Hieronymus lib. 1. in Iouinianum: *Moyses mortuus plangitur à populo Israël, Iesus autem,* siue Iosue, *quasi victurus non plangitur, nuptiæ enim*

Moyses coniugatº à morte deplora-

tur, Iosue in iūx non defletur. Cur?

finiuntur in morte, virginitas post mortem incipit coronari. Non fuit ingratitudo, non obliuio beneficiorum, quod Israëlitæ defunctum Moysen deplorârunt, Iosue autem minimè defleuerunt, sed mysterium. Moyses graue matrimonij iugum tulerat, Iosue in cælibatu liberam à coniugij sollicitudinibus, ac molestiis vitam duxerat. Ergo cùm Moyses moritur, fundantur lachrymæ, comploret populus, & ardentia trahant Hebræi omnes ab imis pectoribus suspiria, quia coniugatus, etiam quando liber à matrimonij vinculis euadit, & diuturno velut è carcere dimittitur, meritò deplorari potest. At verò Iosue, qui solutus per amœna pacificæ, & tranquillæ continentiæ viridaria transiit, non est cur defleatur. Qui enim vitam nullis vxoris, ac liberorum pensionibus grauatam vixit, qui tantis à Deo beneficiis cumulatus fuit, vt tot, tamque intolerabilium molestiarum expers è mundo abierit, cur eius causa quisquam illachrymet? aut quo nomine deplorari possit? Soli quippe matrimonij statui videntur seruatæ omnes sollicitudines, & ærumnæ, tanquàm soli coniugati sint miseri primogeniti omnium miseriarum, quas primus coniux Adam hæreditario ad posteros transmisit.

Coniugati omnium miseriarū primogeniti.

Perlepidum est, nec incommodum præsenti causæ, quod egregius Doctor S. Augustinus lib. 19. de Ciuit. Dei c. 6. ait. *Audiant apud Comicos suos*, inquiebat, *hominem cum sensu, atque consensu omnium hominum dicere: Duxi vxorem, quam ibi miseriam vidi!* Quantus me curarum, ærumnarumque exercitus ob sedit, prorsumque inclusit, simul atque coniugi me obstrinxi! Vxorem enim domo excipere, & nubem grandine grauidam, tempestatemque, & molestiarum, querelarum, rixarum, calamitarum tota examina in eam inducere, tantundem est.

Vxorem ducere, & ærumnarū exercitum in domum inducere, idem.

Quapropter S. Hieronymus ait, in sepulchro, cui par coniugum illatum fuerat, hoc funebre visum epitaphium: *Hospes miraculum! Hic vir, & vxor non litigant.* Hæc ille lib. 1. in Iouinianum. Verbis illis hic subest sensus: Siste viam hospes, prouoco enim te, vt hinc rarum referas miraculum, quod per omnem latè patriam recensere possis. Miraculum illud est, quod coniuges hoc lapide tecti, sine iurgiis, & rixis iacent mortui. Nam cùm iurgari, & corrixari tam sit vsitatum coniugatis, quàm aliud nihil, in maximis miraculis numerari potest, si qui vel mortui, & in cineres redacti coniuges non disceptent, vel contendant. *Hospes miraculum: hic vir, & vxor non litigant.*

Coniuges etiam sepulchro illatos non rixari, mirum.

Coronabo hoc negotium, librum adeò totum illustri, & nouo argumento. Quæri potest, quid nam Abel, & Cain primis illis sacrificiis, quæ Deo obtulerunt, impetrare ab illo voluerint. Abel ante omnia voluit Deum tali cultu tanquam supremum numen venerari, & agnoscere, deinde & rogare, vt inspiraret, quem potissimùm vitæ statum deligeret. Syluester de Petrâ sanctâ metaph. 9. in Script. putat de matrimonio ambos fratres consuluisse Dominum, quòd iam vtrique deliberatum esset propagationi sui generis necessariam operam dare. Verba illius sic habent: *Credibile est dum irent ambo ad nuptias (quas Abel non expleuerit) eos maiori apparatu sacrificâsse, vt propitium coniugio, & proli Deum haberent.* Audiuit amabilis Dominus humilem Abelis orationem, acceptauitque religiosum, & votiuum sacrificium, quod illi offerebat. *Respexit ad Abel, & ad munera eius*; Gen. 4. 4. Theodotion legit: *Inflammauit*; & Symmachus: *Delectatus est.* Flagrante linguâ, quâ sacrificium inflammauit, etiam illi locutus est, dixitque, votis eius beneuolentèr, cumulatèque satis fecisse. Quid verò tandem precibus suis iustus Abel obtinuit? Illud, quod *consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum*, ibid. v. 8. exquo Abel primus mundi martyr factus fuit.

Hinc iam dubitatio exurgit. Priusquàm matrimonium iniret Abel, obse-

erabat Dominum, vt cogitatus eius, & animo concepta consilia fortunaret, optatamque vxorem cōcederet (nisi manere inieugem magis fortè conueniret) Dominus verò ardente visibilis flammæ signo declararat, annuisse illius precibus, & concessisse petitioni. Si hæc ita habent, quomodo permisit Dominus Abelem à Caino, tam efferato, & periuro carnifice obtruncari? Fuitne hoc annuisse illius precibus, & concessisse petitioni? Fuit. Quid enim? Nonne Abel cùm meditaretur matrimonium, offerebat Deo sacrificium, & orationes, vt omnia benè verteret? Et nonne Deus, cùm impensiùs alicui fauet, id concedit, quod melius, & conducibilius? Quid ergo fecit? Vt Abel priùs abiret è vita, quàm iniret coniugium, feliciorem quippe Abelis sortem beneuolens Dominus putauit, si martyrem potiùs videret, quàm maritum, quem *credibile est maiore apparatu sacrificâsse, vt propitium coniugio, & proli Deum haberet.*

Abeli satiùs fuit esse martyrem quàm maritum.

Secundùm hæc immortales, & æternas æterno, & immortali Deo gratias debemus, qui singulari beneficio nos ad tranquillum vitæ religiosæ statum conduxit. Nam si matrimonij Ordine nullus alius arctior, quomodo non maxima debet esse nostra ergà illum gratitudo, cùm austeritates, quas in nostris religiosis Ordinibus experimur, flores, & meræ voluptates sint, si cum ijs molestiis comparentur, quibus tota coniugum affluit vita? Vnâ ergo religiosæ castitatis Deo consecratæ victimâ videntur compensari, & obliterari omnia grauamina, si id nominis merentur, quæ Paupertas, & Obedientia secum ferunt, qua enim castitatis claue nobis fores matrimonij præcluduntur, eadem præcluditur porta omnibus matrimonij ærumnis, ne ad nos penetrare queant. Quare etiam magno Basilio plurimùm grati esse debemus, quòd is primus fuerit, qui cùm nos religiosæ arctitudini adstrinxit, à mediis sæculi fluctibus eripuit, & in tranquillum vitæ monasticæ portum, & amœnam ascetices paradysum introduxit, vbi soluti degimus à iugo, & vinculo matrimonij, quorum comparatione dulcissima, & gratissima libertas est, quæcunque illa vitæ religiosæ arctitudo, & asperitas.

Ordinum religiosorum molestia flores sunt, si cū molestijs coniugatorum conferantur.

MONA-

MONASTICA CONVERSATIO SACRI PHOENICIS IN RIGIDO INCOMMODÆ SOLITVdinis nido. *Frequentiſſimus Concurſus eorum, qui diuinam illius Regulam cum plauſu excipiebant, & amplectebantur, Calumniæ, quas in ſancto illo receſſu eſt paſſus.*

Oſtendimus libro ſuperiore, quod ſacer Phœnix cæleſtibus diuini Spiritûs illuſtratus radijs leges dictauit monaſticas, auſteraſque edidit ſanctiones, quarum obſeruatione quidam ad ſublimiſſimam, & heroicam vitæ Euangelicæ perfectionem peruaſerint, alij etiam in celſum epiſcopalis dignitatis thronum aſcenderint. Probatum adhæc, conſtabilitumque dedimus, quod diuinus Pater Baſilius primus fuit, qui ſparſos per auia incultæ eremi anachoretas in cænobiticæ vitæ contubernia adduxit, & alter quidam tum Euangelicus Moyſes, tum intrepidus Aminadab fuit, qui promulgauit leges, ſuperauit difficultates, & ſemitas aperuit tam ſacræ Philoſophiæ auſteritatibus. Et quanquàm ibidem dixi, teſtes, quos ad confirmandam, comprobandamque hanc veritatem adduximus, omnes fuiſſe extraneos, noſtri Ordinis, & habitûs nullos, inter cæteros tamen adhibuimus duos diuinos Gregorios, Nazianzenum, & Nyſſenum, quorum hic frater germanus, ille fidus, & indiuiduus Oreſtes, & amicus intimus Patris noſtri Baſilij, & vterque eiuſdem inſtituti fuit, ne quis hoc ſuperiori propoſitioni aduerſari aiat, tacitæ huic facilè occurro obiectioni, dicoque, duos illos ſanctiſſimos, & exceptione omni maiores teſtes, tam exoccupato paſſionibus, tam vacuo omnibus ſiniſtris carnis, & ſanguinis affectibus animo pronuntiâſſe de Magno Baſilio, vt magis pro extraneis haberi potuerint, quantumuis alter frater, intimus familiaris alter, ambo ſacri Ordinis illius alumni, ac profeſſores fuerint.

Perſequamur nunc, quæ de rigidâ pœnitentiâ, & flagrante charitate, & ardente cupiditate profectûs animarum, quâ ſacroſanctus Phœnix inflammatus erat, dicere cæpimus. Promulgauit auream ſuam Regulam, & cæleſtes Conſtitutiones, eæque tam vehementer ſtatim placuerunt, tamque ingenti plauſu, tam contentis acclamationibus exceptæ fuerunt ſanctorum Monachorum, qui ſolitariam, & ab omni hominum aliorum conuictu remotam

vitam

vitam ducebant, vt doctiſſimus P. Magiſter F. Didacus de Coria lib 1. c. 15. Hiſtoriæ Carmelitarum dicat, Pachomios, Antonios, Iulianos, Macharios, & Hilariones extemplò certatim accurriſſe, vt diuinas leges acciperent, quas magnus paſtor Baſilius tulerat. Innumera fuerunt excitata monaſteria, in quorum vno Baſilius trium millium monachorum dux, & Pater, rectorque fuit. Ad hanc tamen noui inſtituti fabricam diuinus Pater S. Gregorius Nazianzenus non parùm operæ contulit. Per totum Orientem ſacræ hæ Conſtitutiones intrà pauculum tempus diſſeminatæ plurimos ſtatim inuenerunt monachos, qui humiles ceruices ſacro iugo legum tam ſapientèr excogitatarum ſubmitterent. Non hæc ſola res occupatum per illos dies habebat Baſilium, vt gubernaret monachos, & conſtrueret cænobia, verùm ex ſecretiore eremo, & abſtruſiore ſolitudine, vt mouet Ruffinus lib. 2. eccleſ. hiſtor. cap. 9. ad Euangelicas excurſiones centurio catholicus erumpebat, perque villas, & cortes, oppidaque & ciuitates Ponti ferebatur, diffundens Apoſtolicos ſacræ doctrinæ radios, rudesque illos, & barbaros iſtius Prouinciæ homines ad veram æterni Dei agnitionem erudiens, à dæmonis ſeruitute eruens, & à fatalium errorum procelloſo mari in tutum veritatis portum adducens. Hâc de re ſic habet Romanum Breuiarium 14. Iunij lect. 4. *Ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium in Pontum accerſitus, eam Prouinciam à Chriſtianis inſtitutis aberrantem ad viam ſalutis reuocauit.* Quare inclytam hanc appellationem diuinus Phœnix meretur, vt Ponti Apoſtolus nominetur, Eliæ, & Ioannis Baptiſtæ flagrantes ſpiritus diuinus Baſilius velut hæreditariò acceperat. His incitatus ſpiritibus ita ordinauit, conſtituitque religioſa nouorum, & Apoſtolicorum ſuorum alumnorum diuerſoria, & monaſticas manſiones, vt propiùs abeſſent à pagis, oppidis, ciuitatibus, vt poſſent citò, ac facilitèr remedium adferre omnibus, quorum ægra animarum valetudo medici ſpiritualis opem requireret, & ſanctum Euangelium prædicare, & ignorantiæ fugare nebulas, & infirmos ſpiritu corroborare, & cùm pij parentes, tùm fidi conſultores, & commune omnium ærumnoſorum perfugium eſſe poſſent. Quare tanquàm ſapiens legiſlator vitam ſolitariam communemque tam prudentèr, ac moderatè temperauit, vt qui officio Mariæ per contemplationis ſtudium vacabant non prætermitterent miniſterium Marthæ, neue curam eorum deponerent, qui eorum ſolatia inter mœrores, interque ſæculi pericula conſilium, auxiliumque deſiderarent. Ad hunc modum ſanctus Pater has duas ſorores concili-

Baſilius monaſterium extruxit, in quo tria millia monachorum viuebant.

Baſilius Apoſtolus Ponti.

Monaſteria propiùs ab oppidis vel ciuitatib9 conſtruxit

Vitam contemplatiuam actiuæ coniunxit.

are, has vitas fœderare nouit, vt nec se obliuiscerentur, nec proximorum essent immemores. In hanc partem ità rursùm disserit Ecclesia in Breuiario Romano 14. Iunij lect. 9: *Monasteriis extructis ità monachorum institutum temperauit, vt solitariæ, atque actuosæ vitæ vtilitates præclare simul coniungeret.* Sed quis credere, quis cogitare potuisset, quod nunc subjiciam? Quando nouus Elias, & alter Domini præcursor totum se profectui, & vtilitati proximorum consecrabat, erant qui in vicem illum probris, & calumnjis appeterent. Diem suum obierat venerabilis Pater Musonius Neocæsariensis in Ponto Episcopus, cumque ciuitatis illius incolæ cuperent sedis suæ Pontificiæ deplorandam inanitatem Basilio explere, vt meliorem patrem nacti, lachrymas in risum, luctum in gaudium verterent, pro tam insigni, & præstante pastore, felicitatis nostræ hostis communis, administris, & subsidiarjis vsus hæreticis Sabellianis, primores illius ciuitatis ita concitauit, & dementauit, vt mutatâ in partem alteram sententiâ perdere vellent illum, quem ante suarum animarum Pastorem depoposcerant. Dici non potest, quot, quàmque diabolicas machinationes, & satanicos dolos excogitârint partium catholicarum inimici contrà innocentem, integerrimumque Patrem, qui tam nudus ab omni rei terrenæ cupiditate, tam immersus cælestibus, tam alienus, & liber à peste ambitionis, tanquàm rationale holocaustum igne diuini amoris inardescere, & conflagrare cupiebat. Vide Baronium Anno 363. num. 100. tom 4. Purgauit se apud malè circumuentam ciuitatem, & concitatum populum, omnemque à se culpam humili cum synceritate amouit. Quod Pontum suæ habitationi delegisset, id singulari industriâ, hocque consilio factum calumniabantur, vt proximus adesse, si fortè sedes Episcopo, & pastore grex catholicus destitueretur, ipseque in expetitæ dignitatis sublimem locum ante alios extolli posset. Istam tam fraudulentam interpretationem hâc verâ, & omnibus exploratâ narratione refellebat, quod à morte Musonij senatus vterque, ecclesiasticus, & sæcularis, præcipuos, & nobilissimos submisserit rogatum, vt patris, pastorisque officium non grauatè susciperet, simulque & sacrilegis hæreticorum erroribus, & obstinatis Gentilium blasphemiis ducem strenuum sese pro fidei orthodoxæ defensione opponeret. Etiam hoc in illo culpitabant, quod tot viris religiosis monasteria, tot sacra Deo palatia exædificaret, tot cælo victimas consecraret, tot Agno immaculato Virgines validis septis ab omni hominum prophanorum consortio exclusas offerret. Austeritatem vitæ prætereà, pauper-

Calumniæ quas in eremo positus est passus.

Ambitionis insimulatur.

Eam à se remouet culpam.

tatem spiritûs, feruentem sacrorum psalmorum cantum vitio dabant. Ita nulla est tam nobilis actio, ita nulla tam præclara, & inculpata vitæ consuetudo, quam cæca malitia, & fœda calumnia, & liuens inuidia diro, ac furiali pectoris sui veneno non conspergat, tingatque. Huic cæcæ malignitati satisfaciebat dulcis cygnus, & feruens phœnix (cygnus propter diuinarum laudum cantum phœnix propter ardentem honoris Dei zelum) exultans gaudio, quòd se nonnisi de rebus perquàm gloriosis accusari intelligeret, & hoc solùm sibi culpæ dari, quòd virgines septis includeret, quòd innumeros ad excipiendum suaue vitæ religiosæ iugum adduceret, quòd sub Regulæ illius, & instituti vexillo tot religiosorum cateruæ, tam numerosæ cohortes, tam valida agmina, tam euangelicæ turmæ, tam Apostolicæ phalanges, tam copiosi, potentesque exercitus concurrerent ad lacessendum bello perpetuo infernum, ad oppugnandum mundum, ad subigendam carnem, denique ad fugandum, fundendumque omnes, qui erecto signo aduersùs IESVM CHRISTVM, catholicasque illius, & æternas veritates militant.

PHOENICIS GRÆCIÆ S. Basilij Magni,

LIBER IV.

CAPVT I.

Tanta sunt, tamque grauia solitariorum pericula, vt solus Christus eorum magnitudinem indicare potuisse videatur, quando ad mortem vsque anima illius tristata fuit.

Solitudinis magna pericula.

QVanquàm diuersæ admodùm fuerint hominum sententiæ de vtilitate vitæ solitariæ, & commodis vitæ communis, diuque, ac multùm à variis disceptatum fuerit, vtra alteri ad emolumentum, dignitatemque antecelleret, ego tamen vt ad paradoxum reuocem, quod hac in re certum, indubitatumque arbitror, dico, in hac me sententiâ perpetuò futurum, quod vita solitaria, absolutè loquendo, validioribus oppugnationibus, sæuioribus inuasionibus, atrocioribusq; tentamentis, & machinationibus communis, & capitalis hostis semper est exposita.

Solitariæ vitæ maiora discrimina, quàm communis.

Sit nobis vsui ad hanc rem comprobandam quædam S. Paschasij dubitatio, & obseruatio, qui expendens S. Matthæi Euangelistæ verba referentis conflictum Christi Imperatoris cælorum cum Principe tenebrarum, dicit videri sacrum historicum demùm prætermisisse, quod initiò promiserat. Si verba illius prima consideres, nihil aliud expectabis, quàm vt acrem Christi, & cacodæmonis congressum in eremo audias. Sic enim orditur historiam: *Ductus est Iesus in desertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo;* Matth. 4. 1. Cùm verò mutuos illorum conflictus describit, dicit, quod stygius lauernio, tametsi primo prælio occubuisset, *assumpsit* Christum *in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi*, ibid. v. 5.

Dicit nunc Paschasius, *Quærendum est, quomodo in deserto teiunâsse, vt tentare,*

taretur, dicatur, cùm hic in ciuitate sanctâ assumptus tentandi gratiâ congrediatur. Deserti nomen populosæ ciuitati minimè conuenit. Quid ergo à peruicaci hoste assumptum in ciuitatem Christum Matthæus narrat, postquàm dixerat, in eremum, vt tentaretur, fuisse illum adductum?

Hanc difficultatem aptissimè in causam præsentem diluit Doctor Angelicus, dicens, singulari mysterio factum, quod euangelista referat, Christum ductum fuisse in desertum, vt tentaretur, quanquàm simul memoret, etiam in ciuitate, & loco frequentato fuisse tentatum, nempè vt eâ re erudiremur, si mutuò componantur tentationes, quibus homo inter frequentes homines, siue in ciuitatibus prouocatur, & quibus in solitudine ad peccandum sollicitatur, priores illas ex tali comparatione perdere nomen tentationum, tantò scilicet acriores, valentioresque sunt tentationes, quibus solitarij subiecti sunt, quàm eæ, quibus cænobitæ, quique in conuictu multorum degunt, expositi. *Diabolus magis tentat aliquem, cùm est solitarius. Et inde est, quòd Christus in desertum exiuit, quasi ad campum certaminis, vt ibi à diabolo tentaretur. Vnde Ambrosius dicit super Lucam, quod Christus agebatur in desertum consilio, vt diabolum prouocaret.* Ita S. Thomas 3. p. q. 41. art. 2. o. Ergo solitudo sanctissimo huic Doctori dicitur campus certaminis, & aptissimus pugnæ locus, Ambrosio autem occasio, quæ maximè prouocet, audacioremque non modò ad tentandum, sed etiam præfidentiorem ad sperandum victoriam reddat diabolum. *In desertum exiuit quasi ad campum certaminis.* Et quàm vera sint, quæ dixi, ex eo manifestum est, quod innoxium Agnum sanguinarius lupus nunquàm adoriri ausus fuit, quousque illum in vacuâ, remotâque ab hominum conuictu eremo, solum, incomitatumque inuenit.

Solitudo campus tẽtationis

Christum nonnisi solitarium adorari diabolus est ausus.

Ad huius rei confirmationem faciet, quod S. Ephrem beatum Macharium de seipso dicentem audisse refert in epist. ad Ioan. monachum to. 2. Hunc aliquando narrâsse, ait, quod cùm inter monachorum contubernia degeret, eiusmodi vocem audierit: *Abi in interiorem eremum, & vide quid ibidem cernes,* vbi admirabilium visionum, quas tibi Dominus monstrabit, eris spectator. Obsecundauitne diuinus Pater, vt abiret, inque abstrusiorem sese eremum abderet, fieretque solitudinis incola, quod vt faceret, vox ea, quam de cælo esse rebatur, illi persuadere velle videbatur? Respondet ipsus apud S. Ephrem vbi suprà: *Persistis in pugnâ cum cogitatione annos quinque, cum dicerem, ne fortè id mihi à dæmonibus suggeratur.* Toto quinquennio cum vnâ hâc cogitatione confligebat, num à bono spiritu ea vox esset, an à malo dæmone adornata impostura? Sciebat nimirùm euangelicæ militiæ veteranus sectator, fraudulentum, & vafrum inimicum nostrum nunquàm faciliùs victorem euadere, quàm cùm in secessum abducit milites Christi, quibuscum dimicare optat, nam & summum illorum imperatorem, cùm illum in remotiore deserto solitarium vidit, audactèr aggressus fuit, tanquàm certus iam de victoriâ, & præfisus de triumpho.

Solitudinis pericula S. Macharius timuit.

Certè neminem æquè plorat sapientissimus Ecclesiastes, ac illum, qui contubernia fugiens hominum solus morari amat. *Væ soli, quia cùm ceciderit, non habebit subleuantem se,* exclamat Eccles. 4. 10. De cuius effato Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apib. c. 11. §. 2. sic ait: *Quàm vera sit hæc sententia, ego noui; qui triginta annis, & eò ampliùs vices Episcopi in diuersis Prouinciis, & diœcesibus habui, qui in hoc articulo, quo Religiosi vel soli vadunt in viis, vel soli manent in curiis, horrenda mala, horrenda scandala, horrendaque pericula frequentèr audiui, quæ nunquàm sustinuissent adiuncto socio, vel fecissent.* Ecce locupletem testem malorum, quæ vel facit, vel patitur vir religiosus, qui absq; socio teste obire mundũ, aut viuere præsumit.

Solitarium ecclesiastes deplorat.

In duo-

In duobus hircis, quos ex Dei ordinatione summus sacerdos offerre simul cum vitulo debebat, est alio[illegible] signum, quod notes. Ritus, quo ea sibi Deus offerri animalia volebat, sic describitur Leuitici 16. v. 6. & deinceps his verbis: *Cumque obtulerit vitulum, duos hircos stare faciet coram Domino, mittensque super vtramque sortem, vnam Domino, & alteram capro emissario, cuius exierit sors Domino offeret illum pro peccato,* Solitariorum periculo in capro emissario adumbrata. *cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces super eo.* Horum duorum hircorum qui sorte Domino obueniebat, idem mactabatur victima, alterum verò cui sors conferebat; vt emissarius esset, multis perfundi precibus Dominus imperabat. Quid causæ, quòd hic, cui salua manebat vita, tot orationibus expiari, & velut obarmari debuit? Quonam is ablegabatur? *Et emittat eum in solitudinem,* ibid. v. 10. In desertum expulsabatur, vt solitariam vagus in eremo vitam ageret. Quid ergo mirum, quod tot communiebatur precum adiumentis, qui sortis iniquioris casu ad eremum destinabatur, vbi inter feras animantes diu securus viuere non poterat? Eâ re haud obscurè adumbratum fuit, quantis periculis expositus sit homo, tentationibus alioqui obnoxius, & quæ mala à iurato, & perfidioso generis nostri hoste timere, quantisque orationum præsidiis obuallari debeat, qui solus morari eligit.

Huc respiciens Petrus Blesensis contra quendam operum ipsius improbum deprauatorem dixit Opus 9. *Qui priùs, fueras Canonicus Regularis, factus es canonicus insularis, Solitudinem congregationi prætulisti, & insulam claustro, fecisti te anathema fratribus tuis, terram promissionis pro Ægypto, pro Babylone Ierusalem, & cælum deseris pro inferno. Quid tibi, & solitudini? Multos in discrimen animi solitudo deiecit. Errauerunt in solitudine quidam, & à serpentibus perierunt.* Nihil inuenit Blesensis in illo suorum operum constupratore, seu vitiatore, quod illi exprobrare posset, quàm quod ex hominum conuictu in solitudinem sec[illegible]. Nam in solitudinem se [illegible] udèm esse videtur, quantū gra[illegible] periculis se exponere.

Nondum satis, meâ quidem sententiâ, probatum, confirmatumq; dedi, quod in vestibulo huius capituli velle probatum dare promisi. Ex Augustino ergo accersam, quo validè euincam quod titulus habet. Hæsit is cogitatione in iis turbationibus, quæ nocte cœnæ fortissimum leonem de tribu Iuda inuaserunt, de quo S. Ioannes c. 13. v. 21. ait: *Turbatus est spiritu, & protestatus est,* de ipsâ scilicet, quâ tunc mouebatur turbatione. Comparat S. Doctor hanc turbationem cùm illâ tristitiâ, quæ eundem Dominum in horto corripuit, tamque vehemens, & lethalis fuit, vt exanimalem facere potuisset, nisi mortem omnipotente virtute suâ auertisset. Christus in cæna lethaliter turbatus, quod Iudas solus abiturus erat. Sic enim multi accipiunt ea verba Domini: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Huic autem tristitiæ parem fuisse illam turbationem affirmat S. Augustinus Tract. 60. in Ioan. dicens: *Tale aliquid etiam hic intelligendum est,* quasi in tantas angustias illum adduxerit turbatio in cœnâ, in quantas tristitia in horto coniecit. Sed vnde illi ea tam terribilis inter cænandum turbatio, & angustia? Tam mortalitèr turbatus fuit, *suo traditore iam tunc solo exituro,* inquit ille. Tanta ergo animi turbatio non aliundè venit Domino, quàm ex eo, quòd perfidus discipulus, & sacrilegus apostolus apostolicum collegium destiturus, solus absque comite abiturus, & tam sacrum cætum, tam religiosum contubernium relicturus esset. Et quoniam Dominus probè intelligebat, quot pericula, quantæque calamitates minarentur homini solitario, quando vidit, quòd Iudas esset abiturus solus, tam vehementer turbatus fuit hâc cogitatione, quàm immaniter contristatus, & afflictus proximæ crudelissimæ passionis consideratione. *Tristis est anima mea vsque ad mortem; Tale aliquid etiam hic intelli*

gendum eſt, quodam ſuo traditore tam tunc ſolo exituro. Turbatus eſt ſpiritu, ſimulq; *proteſtatus eſt,* vt nemo admiraretur, quòd improbus [illegible] in tam [illegible] tremam impietatem [illegible] ius eſſet.

Solitudo Iudam in perditionis ſcelus coniecit.

Nam qui à tam Sacroſancta ſocietate egreſſus vagari ſolius elegerat, quid illi euenire aliud poterat, quàm in profundum Satanicæ malitiæ, & diabolicæ perfidiæ pelagus ſeſe ingurgitaret, magiſtrumque, & creatorem, & Saluatorem ſuum ter ſacrilegus nundinator venderet? Eiuſmodi infelicitates, & præcipitia ex tali vitæ ſolitariæ conſuetudine formidari ſemper poſſunt.

Solitudinis pericula à Cãtipratano obſeruata

Quod in hanc rem venerabilis Suffraganeus Cameracenſis Thomas Cantipratanus lib. 2. de Apibus c. 11 §. 2. pronunciat, id ab experientiâ habet, & tale eſt; *Dicam quod ſentio, etſi inuitè ab improbis audiatur. Credo ſolis, & ſine ſocio foris ambulantibus mille infortunia, & plura, quàm credi poteſt, ſapius occurriſſe, in quibus nec opere, nec ſaltem animò offendiſſent, ſi cuſtos fratris ſocius affuiſſet.* Ad vitia procliuiter accedunt, qui ab aliorum ſocietate leuiter abſcedunt, & qui ſe à bonorum conſortio inconſultò ſeiungunt, his talia nonnunquàm flagitia ſe adiungunt, quæ neque cogitare in mentem veniſſet, ſi arbitrum morum, teſtem vitæ, factorum, infectorumque cenſorem, Angelum cuſtodem, ſocium proximum habuiſſent. Tam periculosè agitur cum illo, qui agere ſolus amat, tot aduerſa minantur eis, qui ab omni hominum contubernio ſecedunt.

Solitudinis ignora bat quædam Monialis apud S. Bernardum.

O quàm ignara horum periculorum, malorumque illa caſtimonialis erat, quæ cùm aſperioris vitæ deſiderio monaſterium ſuum deſerere, & in ſolitudinem ſeſe abdere vellet, hanc conſilij ſui rationem apud S. Bernardum per literas prætexebat: *Annon mea mihi pudicitia tutior erit in eremo, vbi in pace cum paucis, aut ſola conuerſans ſoli placeam, cui me probaui?* Sed quàm exploratè cognita habebat mellifluus iſte Doctor, qui malè conſultæ moniali epiſt. 115. ita reſpondit: Putaſnè rectè ſentis, in eremo tuam tibi tutiorem fore pudicitiam? *Nequaquàm.* Quid ita? *Nam volenti perperam [illegible] abundantiam habet, & nemus vmbram, & [illegible]ntium ſolitudo. Malum quippe, quod nemo videt, nemo arguit. Vbi autem non timetur reprehenſor, ſecuriùs accedit tentator, licentiùs perpetratur iniquitas. In conuentu verò bona ſi qua facis, nemo prohibet, mala autem ſi facere vis, non licet, mox enim à pluribus comperitur, arguitur, emendatur.* Et poſt aliqua. *Agnoſco, filia, agnoſco, vtinam & tu mecum agnoſcas ſerpentinum virus, fraudulenti dolum, verſipellis aſtutiam. In nemore lupus habitat. Si ſola oucula vmbras nemoris penetras, præda vis eſſe lupo. Sed audi me filia, fidele audi conſilium. Siue peccatrix, ſiue ſancta ſis, noli te ſeparare à grege, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat.*

Solitudinis mala à S. Bernardo detecta

In Solitudine lupus habitat.

Cùm hæc vitæ ſolitariæ pericula, quæ tum experimento, tum librorum lectione didicerat, Magnus Baſilius ſecum reputaret, cogitaretque diſcrimina, in quæ ſolitarios malus dæmon conijceret, quàmque audactèr, præfidentèrque hic illos oppugnaret, Spiritu ſancto illuſtratus diſperſos per nemora anachoretas ad vitam in cænobiis communem adduxit, & quot monaſteria fundauit, tot velut exercitus, tot militares alas, tot pugnaces phalanges inſtruxit, quibus hoſti generis noſtri communi occurreret, terroremque incuteret. Quare in Conſtitutionibus ſuis monaſticis c. 19. vir ſanctus ita dicit: *Vbi multi vnus, & vnus non ſolus, ſed in pluribus, huic vita inſtituto quid eſt quod iure æquiparari poſſit? quid beatius dici? quid hâc coniunctione, & vnitate aptius excogitari? quid elegantius fingi mutua inter ſe morum, animorumque contemperatione?* Hic infirmo parata medicina, hîc triſtis ſua habet ſolatia hîc rerum neceſſariarum ignarus magiſtros, hîc debilis confortationem, hîc tepidus calorem, & ſi quis cadat, plurimos, qui manum offerant, & erigant, & ſi ſtet, innumeros, qui confirment,

Vitæ communis laudes & cõmoda.

firment, vel sustentent, ne ruat. Hæ sunt vitæ cænobiticæ vtilitates, solitariæ autem conuersationis incommoda illa, quæ toto hoc capite carptim perstrinximus. Hinc accipimus, quantùm debeamus Magno Patri Basilio, propterea quòd monachos solitarios ad communem in sacris conuentibus vitam adduxit, quos proinde à procellosis tot periculorum tempestatibus ereptos in tranquillo, tutissimoque portu constituit.

CAPVT II.

Vnius solius societas tantùm animi addit, vt facilè viribus præfidat, & quiduis audeat, qui tantùm vno sit comitatus.

Societas vel vnius addit vires sociato.

ET non miror, quod diuinus Pater, & sacer præceptor Basilius tam seriò instituerit hoc vitæ communis genus, eaque cænobiticæ conuersationis sacra contubernia, mirum quippe est quantùm roboris addat homini quæcunque illa etiam societas siue hominis, siue rei cuiuspiam alterius, & incredibile est, quantum animi adimat etiam robustissimo, si se incomitatum, & societate omni nudum, destitutumque videat.

Id probatum dabit regia magnanimi Dauidis historia. Intellexit is aliquando hostem suum Saulem profundo somno in abstitiore quâdam deserti parte sepultum iacere, decreuitque per medios militum stipatorum, sed pari somno sopitorum cuneos tentorium illius adire. Cùm tam audax facinus animo agitaret, habebát proximos Achimelech Hethæum, & Abisai filium Saruiæ, fratrem Ioab, ad quos aiebat: *Quis descendet mecum ad Saulis in castra?* 1. Reg. 26. 6. Ex his Abisai statim se socium obtulit, cumque illo noctu ad Saulis dormientis papilionem vsque penetrauit.

Quæstio Abulensis sexta in 1, Reg. c. 26. hanc in rem talis est: *Cur Dauid non duxerit nisi vnum de duobus comitantibus eum in castra?* Cùm duos haberet præsentes, animo, & manu fortes, cur non ambos assumpsit socios, qui quò magis comitatus, eò tutior iuisset? Dices, non iuisse, vt pugnaret, adeò satis putâsse vnum habere socium. Benè habet. Verùm si gladio rem conficere, & dormientem hostem ferro obtruncare nolebat, si non pugnare propositum habebat, cur non incomitatus in castra descendit?

Dauidi vel vnus socius animũ addidit.

Respondet quæsito magnus Doctor dicens: *Dicendum quia quanquàm Dauid non putaret sibi esse pugnandum, tamen non haberet animum audacem adfaciendum hoc, si solus esset, qui à homo, cùm solus est, timidus redditur, duobus autem simul existentibus audacia crescit. Voluit ergo alterum illorum secum habere, vt intrepidè aggrederetur, quod cogitauerat.* Tametsi non esset propositum Dauidi armis quidquam attentare, incomitatus nihilominùs ire ad tentorium Saulis noluit, quantumuis enim animosus esset, defuturos tamen sibi spiritus metuebat, quando iis maximè egeret, hominem enim alioqui intrepidum facilè destituit animus, cum destituit socius, dici autem non potest, quantùm augescat fortitudo ei, qui se vel vno socio stipatum videt. Voluit ergo vel vnum viæ socium habere Dauid, illum enim incendendæ suæ audaciæ satis putabat. *Duobus simul existentibus audacia crescit.*

Non incommodè constabiliet hanc veritatem inuictus Christi athleta, & bellorum Domini intrepidissimus præliator (ex his signis intelliges, Paulum esse, quo de loquor) qui cùm Athenis esset, remisit ex his, quos viæ comites habuerat, vt Silam, & Timotheum Berææ relictos quam primùm accerserent. Sanctus Lucas Act. c. 17. v. 15. hæc ita describit: *Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt eum vsque Athenas, & accepto mandato ab eo ad Silam, & Timotheum, vt quàm celeriter venirent ad illum, profecti sunt.*

Quæri hic potest, quamobrem Paulus, tam ingenti vir animo, duos illos discipulos tam festinantèr ad se venire voluit, qui cùm Atheniensibus euange-

lizare deliberatum haberet, trepidâsse metu videtur, dum illud absque præsentibus sociis aggredi officium noluit?

Respondet Doctor ecstaticus Dionysius Carthusianus art. 17. in c. 17. Act. *Illorum volebat aßistentiam habere, atque præsentiam, quatenus & ipsi aliquibus loquerentur, quæ Dei sunt. Si quidem frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas munita.* Nemo miretur, quod tam robustus, & magnanimus Apostolus, qui nunquàm tergum obuertit, quoties per iustam occasionem pro fidei defensione pugnare necessum esset, par illud Apostolorum Silam, & Timotheum ad se euocauit: Tametsi enim satis, superque animi haberet, & ignauam formidinem omnem pedibus substratam, habere tamen proximum, qui assistat, nescio quid & consolationis adferat, & virium adiiciat, videtur enim præsentia, cuiuscunq; illius, velut accutum quoddam calcar esse, quo animi latera figuntur, vt ad quiduis audendum sit incitatior, ac vehementior. *Duobus simul exsistentibus audacia crescit,*

Paulus socios accersijt, vt ad prædicandū alacrior esset.

Ita testatur magnus theologus Nazianzenus, quando refert, Basilium, cùm in Atheniensium Vniuersitatem (à quâ tam ardentèr expetebatur, quàm celebre sibi nomen & ingenij præstantiâ & eruditionis singulari magnitudine cōflârat) aduenisset, statim appetitum fuisse disputationibus à quibusdam arrogantibus, & iactabundis Armenis, qui studiosi adolescentis præclaræ famæ inuidebant, & peritiæ illius facere periculum cupiebant. Cùm iam ferueret scholastica concertatio, & Armeni, quod se vi, & efficacitate argumentorum eius oppressos viderent, dare terga inciperent, aduenit Nazianzenus tanquam suppetias laturus infirmioribus, & instauraturus prælium, in quo illi iam iam succumbebant. Hanc rem Orat. 20. talibus verbis narrat: *Reductâ disputatione suffulciebam, atque auxilij mei momentum ipsis largiens (in huiusmodi porrò rebus vel per exigua accessio quiduis potest) æqualia, vt ille ait, prælij capita constitui.* Tantùm animi iam victis addidit qualiscunque opitulatio Nazianzeni, vt dubium esset, quamnam in partem bilanx pugnæ inclinaret. Sed quàm benè dictum illud? *In huiusmodi rebus vel perexigua accessio quiduis potest!* Ignauo enim, & fracto animo homini quidquid subsidij ex societate alterius adueniat, valde potens est ad reficiendas, augendasque vires.

Magnus Gedeon huius veritatis locuples testis fuerit, quem Angelus bello inuadere idolatras Madianitas iussit, dicens: *Surge, & descende in castra, quiâ tradidi eos in manu tua, sin autem solus ire formidas, descendat tecum Phara puer tuus*; Iud. 7. v. 9. 10.

Duo in hoc casu quæruntur. Primum est, cur Angelus, qui personam domini referebat, cùm iussisset in castra Madianitarum descendere, mox subintulit, *Sin autem solus ire formidas?* Vnde colligi potuit, non habiturum tantum audaciæ, vt solus noctu ad exploranda hostium castra descenderet? Respondetur, facilè fuisse id coniectare ex eo, quod homo naturaliter defugiat ancipites id genus prouincias, quantiscunque verbis, & modis corroboretur. Alterum est, quamobrem Angelus, cùm humanæ iam se accommodaret imbecillitati, non iustum exercitum secum ducere, sed vnum tantùm famulum ad qualecunque pusillanimitatis solatium assumere præcepit?

Gedeon solus, incomitatusque ire ad castra hostilia timuit.

Huic occurrit doctus Serarius in c. 7. Iudic. q. 10. dicens: *Et consilium statim, remediumque suggerit, vnius alterius societatem. Est ita natura comparatum, vt in terroribus omnibus magno vel solatio, vel auxilio sit vel vnius tantùm præsentia.* Cùm non nesciret Angelus, quantum momenti habeat vel vnius societas ad corroborandum eos, quibus terror imminet, vt hanc naturalem à Gedeone auerteret timiditatem, vno solo famulo omnem illius cōfortauit trepidationem. Habet nimirùm id natiua hominis conditio, vt multis ab vnico socio viribus augescat, & vnius minima societas plurimùm

Vita socialis etiam duorum sua habet solatia.

rimùm solatij adferat illius peregrinationi. Quapropter pergit Serarius: *Et hinc videmus nonnullos, quos nocturna vexant formidines, allevari, recrearique non parùm, si socium vel in eodem, vel in vicino certè cubiculo habeant, immò si puerulum, si canem, si lumen.* Tantos animos facere potest qualiscunque illa societas. *Duobus simul existentibus crescit audacia.* At si quantulacunque illa societas plurimùm roborare, & consolari potest, quantum valebit sodalitas, & collegium multorum, qui in nomine Domini coierunt, sacrisque illius seruitiis religioso holocausto se consecrârunt! Hæc fuit causa præcipua, quæ gloriosum Patrem nostrum Basilium permouit, vt nos in vnum vitæ religiosæ consortium adduceret, vt alterius infirmitatem constabiliret, nostramque mutuò & confortaremus imbecillitatem, & dispelleremus timiditatem, quam cordibus humanis versutus, & sanguinarius hostis infundere solet.

Societas etiam pueri vel canis leuat formidinem.

Capvt III.

Illa vehementèr timeri debent errata, quæ nunquàm emendari possunt.

Peccata immendabilia vehementer timenda.

NOn leuiter, non incolsultè non de repente illas tulit diuinus P. Basilius monasticas constitutiones, sed multum temporis in abstrusioribus asperæ solitudinis recessibus dedit excogitandis primùm dein & prudentèr ordinandis religiosis decretis, ac legibus. Nam vt optabat sacrum illud perpetuò durare ædificium, & perennare cum Ecclesiâ eiusque annos exæquare, ità naturâ cum deliberatione, & longâ consideratione, morosaque consultatione adornabat, quod semel constitutum per omnes Sponsæ Christi regiones latè diffundendum, & disseminandum esset. Et velut cordatus, & prudens secum reputabat, postquàm semel ab ipsius manibus Apostolica regula, & Euangelicæ illæ leges in lucem prodiissent, facere infectas deinde non posse, idcircò per diuturnam perseuerantemque orationem de ijs communicauit cum supremo Legislatore, omnis boni, & consultæ actionis fonte, atque autore. Seruiunt hæc nostræ institutioni, vt à quibus discere possumus, quod semel factum malè non potest emendari, id ante, quàm in opus producatur, lentâ, longâ, perque tum attentâ, tum diligente, ac solicitâ consideratione probè pensiculandum.

S. Basilius suas Constitutiones maturo, & diuturno cõsilio ordinauit.

Ad hanc rem comprobandam opportuna veniet quædam Tostati Episcopi Abulensis obseruatio, qui in Moysis actis hoc annotauit, quod admodum tepidè vt quidem videtur, obsecrauit Dominum pro salute sororis suæ Mariæ, quam pro temerariâ murmuratione leprâ iratus Deus meritò perfuderat, cùm pro populo & contumaciore, & magis querulo tam affectuosè, tam ardentèr, tamque pertinacitèr orauerit. Quid causæ, quod Moyses tam languidus sororis patronus, & tam vehemens, operosusque fuit populi aduocatus? Audiamus illius pro Mariâ preces. *Deus, obsecro, sana eam,* Num. 12. 13. Quàm succincta precatiuncula! Quando verò populi causam apud Deum agit, multas illi proponit rationes, ob quas murmuris, cæterarumque noxarum gratiam facere debeat. Ante omnia Dominum rogat cogitare, quod vicinæ Gentes, si Hebræos suos pro sceleribus mactet, dicent: *Non poterat introducere populum in terram, pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine;* Num. 14. 16. Tunc affusus pedibus domini quàm poterat affectuosissimè precabatur, dicens: *Magnificetur ergo fortitudo Domini &c. dimitte, obsecro, peccatum populi huius secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum:* ibid. v. 17. & 19. velut alijs verbis dixisset: Agedum pientissime, & generosissime Domine, exere inuictæ fortitudinis tuæ robur, & fine vt liberalitatis tuæ magnificentiam experiantur, qui eam solùm ad necessitatum suarum alleuationem, sed etiam ad fin-

Moyses ardentior orator pro populo, quàm pro sorore. Cur?

ad singulare laudandi tui argumentum vehementèr expetiissunt. Per uiscera tua paterna, perque infinitam immensæ pietatis tuæ magnitudinem te oro, & obtestor, vt intempestiuarum querimoniarum, & inconsultæ murmurationis, & liberæ, insolentisque contumaciæ noxam imprudenti meo, immò tuo populo condones.

Quærit nunc magnus Scripturæ interpres, & Doctor Tostatus, quid causæ sit, quod Moyses, cùm Mariæ sororis suæ leprâ percussæ causam patronus agit, tam paucis verbis ad eam vsus fuit, qui ad populi negotium curandum tam supplices preces, tam multas & magnas, efficacesq; rationes ardens aduocatus adhibuit.

Vt huic quæsito satisfaciat, monet dispicere, quo in loco res Mariæ, quo item in statu vita populi per id tempus fuerint. Et populus quidem tunc in confiniis mortis positus erat, cui necem iratus Deus his iam verbis decreuerat: *Vsquequò detrahet mihi populus iste?* Vsquequò me querularum, & maledicarum, & blasphemarum linguarum suarum spiculis configet? Eximam (nec enim aliud possum) meum è patientiæ vaginâ gladium, *& feriam eos pestilentiâ, atque consumam.* Num. 14. 11. In Mariam verò, cùm eam subiicere pœna vellet, eiusmodi sententiam pronunciauit: *Separetur septem diebus extrà castra, & posteà reuocabitur;* Num. 12. 14. Dicit nunc Tostatus q. 70. in c. 11. Num: *Quia illud erat malum perpetuum, & maximum, scilicet quòd deleretur Populus, & nunquàm vltrà esset, orauit valdè Moyses, in præsenti quia pœna erat temporalis, scilicet, septem dierum, non debuit Moyses vltrà orare pro hâc re.* Maria solo octiduo, non ampliùs abesse castris iussa, posthàc ad commune contubernium reditura erat, & à fœdo contagiosæ lepræ malo persananda: Verùm Hebræo populo certam Deus necem denunciauerat, quâ semel illatâ neque curari vulnus, neque consolidari hiatus poterat,

Moyses ardentiùs orauit vbi maius malum auertendum erat.

nec malo spes remedij reliqua erat. Itaq; cùm has intentatas pupulo minas sciret, vt constitutas pœnas has tam fatales præoccuparet, tam flagrantes preces, tam momentosas rationes accinctо iam ad extremum supplicium Domino ardens patronus opponit, *quia illud erat malum perpetuum.* Malum, quod curari potest, acerbiùs afficere neminem debet, quod verò absque remedio est, postquàm semel nos inuasit, id vigili attentione considerandum, & in herbâ succidendum, & cùm procul aspicitur, maturo consilio auertendum, aut repellendum.

Huc spectat ratio, ob quam sapientissimus Iudæorum Philo vult sanguinarijs homicidis nullum debere esse in templis sacris perfugium. Causam illam, ob quam hominibus nefariis in fano ius asyli non deberi existimat, his verbis in libro de specialibus legibus exponit: *Nam quisquis malum dat incurabile, inimicus est Deo, homicida autem lædit immedicabilitèr, quia occisus non potest in integrum restitui.* Habeant aliorum scelerum perpetratores sua perfugia, habeant ciuitates, in quibus tutò delitescant, habeant asyla, in quibus securi degant: At qui alteri amabilissimum, preciosissimum, & incomparabile vitæ monile truculentâ manu eripuit, nullum habeat receptum, nullum securæ mansionis locum, quia damnum intulit, quod nec arte, nec pretio aliquo reparari queat: *Homicida lædit immedicabiliter, quia occisus non potest in integrum restitui.* Qui mala pepererunt, quorum nulla possint inueniri remedia, ij videntur debere omni destitui præsidio, & auxilio, non enim attenderunt, quàm sollicitè, & vigilanter sit cauendum malum, quod est incurabile, nullum enim erratum æquè metui debet, ac illud, quod emendari nequit.

Homicida malum infert immedicabile.

Meritò proinde nullum habeant in templis asylum.

Quæri hoc loco potest, quid lasciuiuam illam, liberamque puellam & salacem illius matrem (quæ totius sceleris autrix, & architectatrix fuit) mouere potuerit, vt tripudij sui, quo regem oble-

ctaue-

ſtauerat, præmium non aliud depoſceret, quàm ſacroſanctum diuini Præcurſoris caput. Rem iſtam talibus verbis narrat S. Marcus c. 6. v. 25: *Cùm introiſſet ſtatim cùm feſtinatione ad regem, petiuit dicens: Volo vt protinùs des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Iuratus barbarus rex addixerat velle puellæ precibus quiduis illud concedere, dimidiam licet regni partem expoſceret. Cùm ſaltatione ſuâ ita dementâſſe regem cerneret, dubia quid potiſſimùm peteret, matrem conſuluit, quæ cùm vnicum Baptiſtæ caput petere ſuaſiſſet, curſu in conuiuij locum multiuola, & ſcelerata ſaltatricula recepit, & ab impuriſſimo patre ſanctiſſimi Præcurſoris venerandum caput in patinâ ſibi extemplò dari obſecrauit.

Obſeruarunt hâc in re venerabilis Beda, & Gloſſa interlinearis incitatam effrontis puellæ accelerationem, & precandi impetuoſum ambitum, quo regem perurſit, vt iuramenti rationem haberet, & quiduis illud, dum regno medio maius non eſſet, dare pollicitus, vnicum, ſed confeſtim, incunctanterque caput Baptiſtæ concederet, pro quo monile aliud nullum vellet. Monent ij, quos dixi, notare introiſſe puellam, vt Marcus ſcriptum reliquit, *ſtatim cum feſtinatione*, vt improbiſſimæ matris conſilium in opus explicaret, caputq; Præcurſoris derepentè à reliquo corpore demeti, & ſibi dari obſecraret *Volo, vt protinus des.* Quonam illa ſpectauit tam vehemens, tam anhela inuerecundæ puellæ oratio, quæ omnis moræ impatiens, tãquàm fureret capitis illius deſiderio, illicò ſibi ipſum dari popoſcit? Itane verò mors Ioanni in medio epuli inferetur, & inter ipſas tum lauti conuiuij, tum feſtiui tripudij voluptates feneſtro interitu vir talis, ac tantus peribit? Nonne conſultius eſt deſiſtere à precando, & promiſſorum non vrgere executionem interim, dum natalis regij anniuerſario gaudio omnia exultant, opportunioríque occaſioni expetitam internecionem ſeruare? Certè ratio id non vna tantùm poſtulabat. Quamobrem ergo mater, & filia tam ſunt anxiæ, & præcipites, vt nec momento retardari necem Ioannis ferant?

Occurrunt dubitationi Beda, & aiunt: *Timens Herodias, ne Herodes aliquando reſipiſceret, monet filiam, vt in ipſo ſtatim conuiuio caput Ioannis poſtulet.* Adimere vitam homini, eſt opus, quòd ſemel factum nullo deinceps remedio curari poteſt, & inemendabilis error. Quare cùm Herodias certâ, indubitatâque morte ſublatum Baptiſtam cuperet, qui tam ſeriò tamque enixè contendebat, vt fœdæ amicitiolæ laſciuum nodum, quo Herodi peſſimo, & perniciabiliſſimo exemplo coniuncta erat, diſſolueret, impellebat filiam, vt in medio epulo, quando Herodem tam propensè addictum, iuramento adeò puellæ obſtrictum intellexerat, vt promiſſorum fidem & caput Præcurſoris exigeret, talibuſque verbis temulentum, neque ſuis ſatis compotem regem appellaret: *Volo, vt protinùs des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Nam ſi Herodes longulo tempore ad hanc rem vſus fuiſſet, cunctantèrque, & attentè ad tranquillam veritatis lucem conſideràſſet, immedicabile futurum malum, ſi vitam, quod rogabatur, Baptiſtæ ſuam eriperet, tam enormi ſcelere fors nunquàm ſeſe obſtrinxiſſet, ſe ab inemendabili errore vehementèr abhorruiſſet, ea namque maximopere cauere damna debemus, quæ reſarcire, vel ſi velimus, non valemus.

Caput Baptiſtæ cur extemplò dari Herodias, filiaque voluerunt.

Ioannes vixiſſet, ſi Herodes cogitaſſet incurabilem fore ipſi° necẽ.

Anxium reddidit beatiſſimum Pontificem, & Doctorem S. Gregorium illâ ſtupenda anxietas, quæ Domino ſanguineum ſudorem expreſſit in horto Gethſemani, priuſquàm in cruce ſanguinem fudiſſet. De hac tam cruentâ afflictatione ſic habet B. Lucas c. 22. v.v. 43, 44. *Et factus in agoniâ, prolixiùs orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Talibus anguſtijs hominis cuiuſpiam alterius compreſſum animum nemo hactenùs legerit, nemo

 leget

leget deinceps. Cui enim ad hunc diem vel auditus aliquis, quem mœroris cruciatus tam vehementèr angustârit, vt sanguinis diluuium magnitudo doloris toto corpore expresserit? Quid verò arcani habet, quod Christus appetente iam morte tam anxiè, tam prolixè, tam perseuerantèr orauit, simulq; & supplices ore preces, & multum toto corpore sanguinem fudit?

Christus morti proximus perquàm anxiè orauit sãguinẽq; cum precib⁹ fudit.

Huic dubitationi satisfacit beatissimus Doctor lib. 26. Moral. c. 16 inquiens: *Appropinquante morte nostrâ mentis in se certamen expressit, qui vim quandam terroris, ac formidinis patimur, cùm per solutionem carnis æterno propinquamus iudicio.* Quid necessum habebat Dominus pro se tam anxiè obsecrare qui cùm in terra degeret, summorum cælorum imperator erat? Nihilominus cùm è vicino mortem opperiretur, diu, plurimum, enixissimèq; inter supremum vitæ agonem Patrem obtestatus fuit, & nostræ humanæ fragilitatis speciem indutus, hominem repræsentauit, qui in fatali illo, & ancipiti discrimine positus horrescit metu extremi tribunalis, & inflexibilis iudicis, cui sese jam jam sistendum cogitat. Sed vnde tanta homini moribundo sub id tempus nascitur anxitudo? Respondet Magnus Gregorius: *Neque enim tunc cuiuslibet anima immeritò terretur quando post pusillum hoc inuenit, quod in æternum mutare non possit.* Nemo mirari debet, quod Christus morti proximus tam prolixè, & enixè, orauit, mœrorique, & horrori tam multùm indulsit, vt sanguineum sudorem velut vndatim illi è toto corpore exprimeret: Hominem enim referebat in extremo conflictu positum, qui in eo versari deinceps æternùm debeat, quidquid illi dubia mortis alea ferat: *Quando post pusillum hoc inuenit, quod in æternum mutare non possit.* Reuerà enim illi momẽto seruantur angustiæ, sollicitudines, metus, anxietates, horrores, & lethales sudores, à quo inuariabilis æternitas, qualiscunq; illa, suum habet exordium.

Mors formidabilis, quia immutabile est, quod consequitur.

Meritò ergo quantâ maxima fieri potest attentione pensatur id, quod semel in opus deductum nullâ dein curari medicinâ nullo emendari remedio potest.

Hinc intelligamus insignis Plutarchi prudens adagium, quod vtinam tam sit vsu receptum, quàm est verum, & longo experimento comprobatum. *Neminem pœnituisse tacuisse, locutum esse permultos,* ait ille in libro de instituendis liberis to. 2. Quid causæ sit, quod nullum vnquàm pœnituerit silentium obseruâsse, & arctâ custodiâ inclusam seruâsse labiis linguam, cùm loquendi facilitas, & licentia plurimis maximam attulerit infelicitatem, & perniciem?

Silentium obseruasse, neminem pœnituit.

Respondet Plutarchus vbi suprà: *Quia tacita est procliue proloqui, at dictum nullâ queas ratione reuocare. Sexcentos ego fando accepi ob linguæ intemperantiam in grauissimas incidisse calamitates.* Quod neminem pœnituerit tacuisse, causa est, quia dicendo promptè ac facilè curari potest, si quid tacendo neglectum: Locutos verò persæpè multos plurimùm piguit, quia verba, quæ vel linguæ, fundâ iaciuntur, vel labiorum arcu exploduntur, lapidum, & sagittarum instar sunt, quæ semel emissæ reuocari non possunt. Si enim, quod semel dictum, factumque est, fieri infectum, indictumque, & hac oratione curari posset, nunquam de verbis tanta nascerentur suis autoribus incommoda, neque tam multas, ac graues pareret liberior, & incauta lingua calamitates. Eapropter Plutarchus aiebat, consultissimum semper fuisse tacere, qui enim silet, constituit se in statu, in quo promptum habeat remedium, & facilem curationem, prinsquàm enim loquatur, potest ad iudicij trutinam vocare verba sua, eorumque pretium expendere, tuncque illa vel cohibere, vel pro temporis, personarumque occasione proloqui, attentèque curare, vt sint talia, quæ semel exprompta promptum emendationis remedium habere semper possint. Quod enim semel factum curari deinceps

Linguæ intemperantia genuit plurima mala.

cepi non potest, id meritò ante, quàm fiat, maturè considerari, sensim dispici, & solicitè pensari debet.

Capvt IV.

Nullæ res aliæ tam sibi debent esse aduersæ, quàm consilium, & executio, illud enim cunctationem exigit, hæc accelerationem requirit.

VT sacer Politicus noster, & diuinus Phœnix Basilius maturâ deliberatione, ac diuturnâ attētione ad expendendas, discutiendasque leges, & constitutiones suas vsus fuit, ita nihil prætermisit, per quod fieri posset, vt citam, expeditamque inuenirent obseruantiam, de quibus ordinandis in abstrusione eremo & ipse secum, & cum alijs hominibus, & cum vno Deo maximè tam diu, ac multùm deliberârat. Nimirùm curauit, vt extemplò peruulgarentur suæ Regulæ, executionique mandarentur constitutiones euangelicæ, idque tam feliciter, auspicatèque perfecit, vt intrà paucos dies totus Oriens collustraretur radijs sanctionum, quas intrà reconditiorem solitudinis officinam plurimo ardentium orationum, pœnaliumque operum labore cuderat. Docta hæc est materia status, & commoda ijs qui è loco superiore publici moderantur habenas imperij. Clarum speculum est, ad quod sæpe recurere debeant Principes, quicunque rectè pronunciare, & iusta decernere, & æquas ferre leges optant. Quod fiet, si moram, cunctationemque ad consultationes adhibeant, tum verò citam, & expeditam, & celerem vrgeant executionem eius, quod semel maturè fuit deliberatum, & constitutum. Tale quodpiam consilium dictauit sapiens ille, & celebris Imperator Leo apud Tact. c. 9. nu. 41. vbi sic ait: *Ante belli tempus remissè, ac pedetentim incedito, vbi hostes in conspectu propè venerint, cum celeritate quadam instructis copijs in illos irruito.* Hoc est, quod dicit, quanta mora ad deliberandum adhibetur, tantâ festinatione, & celeritate vtendum ad executionem eorum, de quibus instituta fuerat consultatio.

Consilium cunctationem, executio consultorum accelerationem requirit.

Sit nobis ad hanc rem contestandam vsui quoddam S. Gregorij Magni annotamentum, qui in Sodomitarum supplicio monet obseruare, quàm impeditis velut pedibus ad illud decernendum percipiendumque illorum flagitia iuerit Dominus, & quàm incitato, ac præcipite impetu ruerit ad infligendas pœnas, quæ semel iam constitutæ fuerant. Disserebat apud Abrahamum de infandis obscœnissimarum ciuitatum sceleribus, & aiebat: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ità, vt sciam*; Genes. 18. 20. 21. Deinde post crebras congressiones dedit hoc Dominus flagrantibus Abrahæ precibus, quòd consceleratis parcere ciuitatibus vellet, dum soli decem iusti in ijs reperiri possent, quorum causâ sospitare cæteros valeret. Venerunt Angeli Sodomam à sancto Lot hospitio excepti, & postquàm illa formosis, ac venustis peregrinis, malè intenta vis conquieuisset, præceperunt hospiti suo totâ pedum pernicitate infami è ciuitate se proripere, dicentes: *Festina, & saluare ibi* &c. Genes. 19. 22. Quid sibi voluit tanta nunc Angelorum festinatio, qui hucusque tam cunctantèr egerunt? Quid nunc demùm tam incitati, & impetuosi, qui hactenùs tā tardi fuerūt, & impediti?

Sodomitarum pœnā Deus cunctanter decreuit, celeriter intulit decretas.

Respondet beatissimus Doctor lib. 19. Moral. c. 14. apud S. Pater. in c. 46. Gen: *Ecce malum quasi cum difficultate credidit, cùm audiuit, & tamen sine tarditate percussit, cùm verum cognoscendo reperit.* Moras interponere videbatur, neque citam fidem adhibere ijs, quæ de nefarijs brutorum Sodomitarum flagitijs ferebantur. Dicebat nempe: Scelera Sodomitarum quidem magnis clamoribus

apud me perſonant, iuſtitiamque meam appellãt, vt digna in eorum autores ſupplicia decernat. Verùm ego ante deſcẽdam, vt exploratè de proximo intelligã, verúſne ſit, an ſiniſter, qui ad me perlatus, rumor. Deſcendit ergo, & indagauit, & ſuis ponderibus penſauit omnia, comperitque nimiſquàm vera eſſe, quæcunque clamore ad ipſum perlata fuerant. Sed quid tum denique iuſtus, & rectus iudex egit, cùm poſt diſcuſſam lento examine, & longulâ indagine cauſã, inuenit cõſẽtaneã eſſe verò famam? Ad pœnam incitatiſſimè proſiliit, de quâ cũctabũdus diuculè deliberârat. Quidnã talib⁹ actis ſuis cunctator, idemq; incitatus, & præproperus Dominus docere nos voluit? Moras nexuit, dum in audita ſcelera inquiſiuit, celeritate maximâ vſus eſt, cùm animaduertendum in eadem flagitia putauit, *vt nobis videlicet daret exemplum, quod maiora crimina & tardè credenda ſunt, cùm audiuntur, & citius punienda, cùm veraciter cognoſcuntur.* Palam eſt dominum omnia ſciuiſſe, exploratàque, & perfecta habuiſſe, ſic vt nullâ indiguerit diſcuſſione, nullâ opus habuerit indagatione, vel diſquiſitione, verùm quod moras ad examinandum credendumque ſcelera, quorum clamor ad ipſum perlatus fuerat, adhibuit, hoc fecit, vt nos tali exemplo inſtitueret, non facilè fidem accommodare famæ, quæ atrocia delicta, & enormia flagitia nunciat, quià ea ſenſim, cunctanterq; ſunt diſcutienda: At cùm ſemel rectè perpenſa, adeòq; iuſtè credita ſunt, ſubitario etiam ſupplicio properantèr ſunt plectenda. Idem de grauibus negotijs, de momentoſis expeditionibus affirmare poſſumus, quod nimirùm ſuſpenſo gradu pedetentim eas adire, & maturâ deliberatione penſare oportet, dein verò, poſtquàm ſemel probè attentèq; diſcuſſæ ſunt, celeriter executioni mandare, & in opus producere.

Magna ſcelera tardè credenda, citò puniendo, ſi vera.

Quàm præclarum exemplar huius perquàm vtilis documenti nobis exhibet ille omnis rectæ inſtitutionis conſummatiſſimus magiſter, Dominus, & Saluator noſter, prout à diuino Chryſoſtomo expenditur. Baptizatus fuit Soſpitator noſter Iordanis aquis, extemplòq; vt Euangeliſta monet, è fluuio in aridam ſe recepit. *Baptizatus autem Ieſus confeſtim aſcendit de aquâ*, inquit Matth. 3. 16. Hæſit Chryſoſtomus in eo, quod Euangeliſta ſubnotandum putauit, nempe quod Chriſtus ab aquis derepente velut proſilijt, ſimul ac ijs tinctus fuit. *Potuit dicere, Ieſus autem baptizatus aſcendit de aquâ*, inquit ille homil. 4. in c. 3. Matth. in Imperfecto. Quid neceſſum fuit commonere, ſtatim à ſuſcepto baptiſmo aſcendiſſe de baptiſmi loco?

Chriſtus baptizatus confeſtim ab aquis velut exilijt. Cur?

Reſpondet autem ibidem. *Confeſtim aſcendit de aquâ, feſtinans ad tentationem contrà diabolum ad liberandum genus humanum. Ex quo baptiſmatis ſignum accepit, feſtinabat quaſi exire, ſciens quia tarditas eius interitus erat mundi.* Conſtitutum erat, vt à baptiſmo in arenam cum Principe tenebrarum deſcenderet, atque exinde illum ſanguinolento bello laceſſere, ac velut intruſum tyrannum è mundo exturbare inciperet. Antequàm ad baptiſmum veniret, pugnamque ordiretur, *ipſe erat incipiens quaſi annorum triginta*, vt habet S. Lucas 3. 24. Totis itaque triginta annis ſe continuit intrepidus pugil, quouſq; decretum conſtituti tempus, & pugnæ occaſio aduenit, cùmque hæc ſeſe obtulit, *baptizatus confeſtim aſcendit de aquâ*, & obfirmato ad operis conſtituti executionem animo ſtatim ſe in viam dedit, eremumque curſu petiit, & perduellem hoſtem ibi præſtolatus fuit. Quare S. Marcus c. 1. v. 12. ait: *Statim Spiritus expulit eum in deſertum.* Et S. Lucas c. 4. v. 10. *Ieſus regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à Spiritu in deſertum*, & vi magnâ incitabatur, vt magnâ pedum contentione pernicitèr in palæſtram deſcenderet. Triginta annis de hâc expeditione, & concertatione deliberatum in concilio ſupremo fuit: *Erat incipiens quaſi annorum triginta*; verùm ſimul ac definitum

Chriſtus feſtinauit ad bellum de quo tamen diu ante deliberaret,

præfixo tempus, & opportuna occasio appetiit, concitatissimè ad certaminis locum auidus pugnandi deproperauit. Docuit nos eo exemplo, res magni momenti maturo consilio diu, cunctantèrque pensandas, posthæc verò celeri executione festinantèr in opus explicandas, quod ille tam sapiens, quàm inuictus Imperator Leo Tact. 2. num. 40. his verbis monebat: *In rebus magnis, & necessariis nihil facies sine consilio, quod consultum est, sine vllâ dilatione, aut hæsitatione perficias, quemadmodùm in agritudinibus faciunt Medici.* Cùm grauem morbum curandum Medicus suscipit, priusquàm medicinam malo adhibeat, facultatis medicæ partes, & senatores consulit. Hyppocratis sententiam requirit, Galeni, Auicennæ, Celsi arbitria exigit, & post illorum expensa consulta, & probè discussa afflata opportunum extemplò applicat medicamentum. Hunc medicorum morem imitari debent Superiores (hanc enim ob causam ille apud Isaiam c. 3. v. 7. Principis officium recusabat, inquiens, *non sum medicus.*) & consilia peritorum exquirere, tùm verò vbi ea perceperint, quæ deliberata sunt, executioni quamprimùm mandare.

Quod in grauibus morbis Medici, hoc in arduis causis faciant Principes.

Perquàm aptè in rem præsentem cadit quædam magni Hispaniarum magistri obseruatio. Obiurgabat omnipotens Deus Aaronem, & Mariam, quod contra fidum illius famulum Moysen improbè commurmurâssent, dicens: *Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* Num. 12. 8. Et subjicit mox sacer Scriptor: *Iratusque contrà eos Dominus abiit, & ecce Maria apparuit candens leprâ quasi nix;* ibid v. 9. & 10.

Sciscitatur nunc Abulensis q. 48. in c. 12. Numerorum: *Quare non vocatur iratus ante hoc, sed tunc, quando finiunt verba, dicitur iratus?* Magnum vtique mysterium habet, quod tunc stomachatus dicitur Deus, quando audacem murmuratricem fœdâ leprâ mulctauit, non quando illam asperis verbis perstrinxit, & obiurgauit? Quænam huius rei causa esse queat?

Deus iratus fuit, postquàm obiurgauit Mariã. Cur non ante?

Respondet Abulensis: *Quamdiu Deus loquebatur præcedentia, erat sicut consilium ad deliberationem de puniendo, sed finitâ illâ inquisitione conuenientèr dictum est, quòd Deus iratus fuit, quia non restaret nisi executio, ad quam ira prodest in homine.* Peculiare mysterium habet, quod nihil de stomachatione Domini dicitur, quando is reprehendisse Aaronem, & Mariam fertur, nimirùm dum illos argueret, inter verba increpatoria velut deliberabat (ad modum, quo nos res eiuscemodi intelligimus) de supplicio, quod sumpturus erat de illâ, quæ sanctum fratrem mordace linguâ arroserat: Et cùm ira sit incitata, impetuosa, præceps, stomachosa, consultatio verò cunctatrix, morosa, tarda, & absque bile esse debeat, ea propter non dicitur succensuisse Deus, quando de pœnâ infligendâ consilium cepit: Verùm cùm tergum indignabundus obuertit, & ad exigendum pœnam decretam iuisse fertur, tunc ira illius commoratur, vt esset nobis documento, iræ impetum reseruandum executioni, adhibendamque festinationem, cùm opere perficiendum, quo de consultatio ante instituta fuit, velut cunctatio, & prolixior mora ad deliberationem est adhibenda.

Quare perquàm acutè dixit insignis Cordubensis Seneca lib. de Irâ: *Vtendum est irâ vt milite, non vt duce.* Quid his tam emphaticis verbis dicere sapiens Stoicus voluit? Nolo meo iudicio permitti illius effati interpretationem, cuius sensum Salomon Hispaniæ Tostatus, vbi supra, enucleatè expressit dicens: *Vtendum est irâ vt milite, non vt duce, id est, quamdiu manet consilium, & deliberatio, quæ pertinet ad ducem, nunquàm debet inesse ira, postquàm autem deliberatum est, ira conueniens est, sicut miles ad executionem belli.* Ducis est de futurâ pugnâ deliberare, militis verò pugnam inire, & exercere. Quod ergo ille ait, irâ vt milite vtendum, non vt duce, tantundem est ac si dixisset. con-

Irâ vt milite vtendum, non vt duce.

sulta

ſultationes debere eſſe tranquillas, pacatas, ſedatas, & cunctabundas, vt ſunt tardi, & cunctatores, cùm deliberant, duces, executiones verò debere eſſe militum ſimiles, quibus ira dominatur, impetuſque, & præceps furor familiaris eſt. Re enim vera proſperè, & feliciter omnia eueniunt ijs, qui conſultationibus vtuntur vt ducibus, & irâ vt militibus, qui longulum tempus dant deliberationibus, properantèrque perficiunt, quod moroſè decretum fuit. *Vtendum eſt irâ vt milite, non vt duce.*

Magni Imperatoris Leonis conſilium hoc eſt, idque ter repetitum Tact. cap. 20. num. 88. vbi ſic habet: *Ea, quæ geri abs te poſſunt, & magna ſunt, cùm prouisâ, ac circumſpectâ deliberatione, quid maximè ex vſu tuo ſit, ſuſcipias, vbi ſuſceperis, ſine vllâ dilatione, quæ deliberata ſunt, conficias. Nam Alexander rex aliquando quomodo tot, tantaſque res adminiſtraſſet, interrogatus, reſpondiſſe fertur, quia nihil, quod hodie faciendum fuit, in proximum diem diſtulerit.* Hucuſque prudens, & expertus Imperator Leo. Sumant hinc exemplum Principes, qui felices ſuarum ditionum progreſſus optant, & loco ſpeculi ea, quæ hîc dicta ſunt, habeant. Sint cunctatores, cùm de re quàpiam deliberant, ſedatam maturitatem, & tranquillitatem ad conſultationes adhibeant, demùm verò ad executionem eius, quod ſemel decretum fuit, incitato curſu deproperent.

CAPVT V.

Non parùm potentes eſſe ſolent humani reſpectus ad infrænandos, permouendoſque homines, vt Dei iuſſa, & conſilia apud alios obtineant.

Hominum intuitus multa auertit mala.

Digna eſt, quæ expendatur, diuini Phœnicis noſtri cæleſtis induſtria, digna, quæ animaduertatur, ſacri Politici celſa, ac ſublimis materia ſtatûs, quam magnus theologus Nazianzenus in Mon. obſeruauit, & his verbis expreſſit: *Monachorum cœnobia haud procul ab ijs, qui in hominum ſocietate viuunt, ædificari iuſſit, nec omninò ſeparauit.* Quid cauſæ ſit, quod ſuorum aſceteria procul ab aliorum hominum contubernijs abeſſe magnus Baſilius noluit? Illud, quod conſiderauit, quantum valeat reſpectus humanus ad coërcendos homines à multis, à quibus non abſtinerent, ſi humanorum oculorum obtutibus, & examini non eſſent expoſiti. Eam ob rem conſultus, & attentus legiſlator conſtituit, vt Monachi ſui ob oculos hominum viuerent, vt tali freno in omnibus actionibus ſuis regerentur. Nam vt præclarè dictum à Moyſe Barcepha de Paradiſo part. 1. *multos mortales pudor, atque verecundia magis deterret, prohibetque à patrando eo, quod improbum eſt, quàm legis, aut iudicij ſubeundi metus.* Quotidie experimur, quantam vim adferre homini hominũ metus, & innatus pudor ſoleat, multos enim à malè agendo validius coërcet hominum, quàm legum, pœnarumq, decretarum formido, multi in multa fortè ſcelera ruerent, niſi tali cohiberentur frœno, & abſterrerentur timore.

Pudor à peccando multos prohibet magis, quàm iudicij ſubeundi metus.

Quàm illuſtre huius veritatis exemplum habemus in eo, quod præſidi Pilato accidit, qui tam multas tentauit vias, quibus in noxium agnum Chriſtum liberare ab efferatis lupis, Iudæis poſſet, qui magno furore, & incredibili contentione inſtantiſſimè expetebant, vt immaculatus illius, & pretioſus ſanguis funderetur. Allegabant neci illum addicendum, quem lex iam prædamnâſſet: *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit;* aiebant Ioan. 19. 7. velut dixiſſent: Eius, qui filij Dei nomen ſibi arrogare audet, tam immane ſcelus eſt, vt mortis pœnam culpa eiuſmodi certò præparatam habeat. Satisne fuit talis allegatio, & prætextus, vt ſententiam, quam truculenti hoſtes optabant, Pilatus ſtatim ferret? Euangeliſta negat fuiſſe ſatis, immò verè

contra

contrà ac illi cupiebant, *Pilatus quærebat dimittere eum*; ibid. v. 12. idque propter verba, quæ Christus ad illum dixerat. Cùm hoc furentes Christi hostes animaduerterent, dixerunt Pilato: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*: ibid. v. 12. Quid hæc pilula operata fuit, & quid sermo iste effecit? *Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum*, ibid. 13. Cùm Pilato repræsentârunt personam Cæsaris, quam illi ob oculos statuebant, & Imperatoriæ maiestatis eum commonefecerunt, statim finem imponere causæ cæpit, & indicare, ab eorum parte stare iustitiam, & rationem, qui accusatum internecione deleri magnis vocibus expetebant: *Tradidit eis illum, vt crucifigeretur* ibid. v. 16.

Obseruauit hic Aquila Doctorum S. Augustinus, quòd cùm Iudæi suam allegarent legem, per quam Christus mori debuisset, non fuit eâ re inclinatus, aut motus Pilatus, vt mortis sententiam pronuntiaret, verùm vbi personâ Cæsaris eum conterruerunt, statim causam ex voto perfidorum hominum absoluit. Audiamus Augustinum. *Maiorem timorem se ingerere putauerunt Pilato, terrendo de Cæsare, vt occideret Christum, quàm superiùs, vbi dixerunt: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit; eorum quippe legem ille non timuit, vt occideret.* Hæc ille Tract. 115. in Ioannem, velut aliis verbis dixisset: Cùm viderent sacrilegi Iudæi exiguum illud, quo legum suarum commemoratio apud animum Pilati operata esset, alio stratagemate vsi sunt, & offensionis Cæsareæ comminatione illum perculerunt, hoc sibi persuasum habentes, quod vbi non perterrerent leges, neque expauefacerent iura, plùs valituri, effecturique essent humani respect⁹. Nimirùm quod legũ assertio, & inculcatio rationis non obtinet, id gratiæ humanæ perdendæ metus, & indignationis incurrendæ timor impetrare solet: *Maiorem timorem se ingerere putauerunt terrendo de Cæsare, vt occideret Christum.*

Pilatus plus Cæsarē timuit, quàm legem.

Tali fulcro nitebatur, ne incautus laberetur, admirabilis ille eremi ciuis Antonius, qui præclarè gestorum suorum scriptorem, & encomiasten meruit habere magnum Athanasium. De sacro illo viro refert Hermias Salaminus apud Sozomenum lib. 1. ecclesi. historiæ c.13. *si quidquam contra quàm debuerat, commisisset*, solitum fuisse *in tabulis illud scribere, quo de reliquo à peccatis se temperaret*. Quod autem sua in tabulis delicta exarauit, id potissimum quidem fiebat, vt hac ratione minutiora peccata, & leues imperfectiones deuitaret, sed ob eam rem etiam, vt *simul vereretur, ne tabulis ejus fortè repertis improbus ab aliis planè deprehenderetur*, & jam non solùm defectuum suorum intuitu, & indignitate, sed etiam verecundiâ, pudore, ac metu humano à minoribus etiam offensiunculis coërceretur. Nimirùm etiam viris jam consummatis, & perfectis, & quorum sunt sublimes, heroicæq; virtutes, pro validissimo fræno est, quod sciunt (vt ait S. Paulus 1. Cor. 4. 9.) quòd non Dei solùm, neque Angelorum tantùm spectaculum sumus, sed etiam hominum.

S. Antonius peccata sua in tabulis describebat. Cur?

S. Antonius leues offensiunculas arte vitauit? Quâ?

Cùm dictis cohærebit iniqui iudicis (qui cùm Dei hominumque metum omnem abiecisset, pauperis viduæ tamen importunis precibus cessit:) parabola, quâ nos Christus ad piam orandi pertinaciam excitare voluit. Quomodo illum tam insolentem, & flagitiosum hominem diuinus Magister depingit? *Iudex quidam erat in ciuitate quâdam, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur.* Ita Lucæ 18. 2.

Notauit in his verbis magnus Bulgarorum Archiepiscopus Theophilactus, quòd Christus postremo loco posuit hominum reuerentiam ab illo iniquo iudice prætermissam. *Vide autem*, inquit ille, *maioris malitiæ indicium esse, neque homines revereri, Deum enim multi non timent, attamen homines reuerentur, &*

Hominum ob oculos peccare nô timens perditè flagitiosus

ideò minus peccant, quando autem & apud homines quis impudens fuerit, tunc omnis malitiæ vertex videtur. Idcircò & Dominus posteà posuit. Neque hominem reuerens, *quasi hoc dicens: Iudex erat Deum non timens. Et quid dico, quod Deum non timuerit? Maius malitiæ indicium habuit, quia neque hominem reuerebatur.* Vt extremam sceleratι huius iudicis improbitatem paucis Christus indicaret, hoc in cæteris illius flagitiis numerat, quod nullum deinceps timuit, curauitque hominem. Multos videas, qui Deum metuere desierint, & tamen intra officij sui limites se contineant, & partibus suis satisfaciant, hominum gratiâ, siue intuitu, eamque ob causam minùs peccare audent: Sed qui in eam cæcitatem & perditionem incidit, vt iam nullos hominum ampliùs erubescat aspectus, is malitiæ, & præcipitij lineam extremam attigit. Quapropter de iniusto illo, & conscelerato iudice ait Dominus, non timuisse Deum, & tanquàm mores illius flagitiosos non satis expressisse putasset, mox subiunxit: *Neque hominem reuerebatur*; cùmque timorem hominum abiecisse dixit, totum dixit quo describi extremè perditus potest: *Maius malitiæ inditium habuit, quia neque hominem reuerebatur.* Hinc in prouerbium abiit, vt eum, qui omnibus flagitiis adopertus est, Dei, hominum metum omnem exuisse dicamus.

Achatius episcopus semper apertas habuit habitaculi sui fores. Cur?

Tali industriâ, & artificio vtebatur Achatius insignis Bereæ in Syria Episcopus, de quo Sozomenus lib. 7. eccles. historiæ c. 27. affirmat, *quod omni tempore apertum habuerit episcopale habitaculum*, omnesq; aulæ suæ fores semper patiētes, sic vt prohiberi aditu nemo posset. Fortean id fecit, vt pauperes, mendici, peregrini, negotiatores promptum inuenirent solatium, & facilem, celerem, expeditam causarum suarum absolutionem? Potuit hæc fuisse istius rei causa, quia vna actio varias rationes, & fines habere multos potest, verum Sozomenus aliam talis facti causam, eamque causæ præsenti per opportunam reddit, dicens, *quòd hoc exercitij genere naturæ procliuitatem ad vitia propensam refrenare cogitauit, vt dum perpetuò se deprehensum iri suspicatur ab ijs, qui improuiso superuenirent, in continuis excubijs neque ab ijs deuiaret, quæ ipsum decebant.*

Hominum metus etiam viros sanctos à peccando deterruit.

Achatius ergo Episcopus, tametsi attentissimâ ad omnes vitæ suæ actiones vigilantiâ vteretur, apertas semper voluit esse aulæ suæ fores, vt cùm sciret eâ patentium omni tempore portarum occasione multos excitandos ad ipsum crebriùs visitandum, vel incursandum, incertâ hominum venturorum expectatione tanquàm fræno coërceretur, ne quid officio suo indignum siue ageret, siue diceret. Itaque cùm timeret, ne à quoquam inopinatò deprehenderetur, semper temperans, semper modestus, ac deuotus inueniebatur: *Hoc exercitij genere naturæ procliuitatem ad vitia propensam refrenare cogitauit.* Ita vt homo sese contineat, & detineat, ne præceps ruat pro fortibus habenis illi esse hominum timor, & pudor solet.

CAPVT VI.

Vt ne lucrum, quod ex curandarum animarum negotio speratur, pereat, eâ moderatione ad hanc rem vti oportet, quâ solent, qui ignem adeuntes nec tam procul absistunt, vt non calefiant, nec tam propè accedũt, vt cõflagrent.

Animarũ curiones magnâ ad suum officium moderatione vtantor.

BEatissimus Papa Gregorius XIII. de religiosis magni Basilij alumnis ait, domi, forisque esse Ecclesiæ ornamenta, & oracula omnium responsionum, & interrogationum, quæcunque in summo salutis æternæ negotio occurrere possunt. Verba Pontificis in Bullario magno Anno 1576. ita habent: *Adoptatos sibi noua sobolis fœtus in cœnobia à communi viuendi ratione segregatos in compositum ordinem redegit, vt perpetuâ futurorum temporum successione verbo, & o-*

pere

pere à se instructi catholicæ Ecclesiæ ornamenta essent, atque in dubiis rebus adiumento. Sed quomodo sacer Phœnix disposuit humilium, & euangelicorum pullorum suorum nidos, vt alios tum vitæ exemplo fouere, tum doctrinæ splendore illustrare possent? *Monachorum cœnobia* (quod & superiori cap. ex Orat. 20. Nazianzeni diximus:) *haud procul ab ijs, qui in hominum societate viuūt, ædificari iussit, vt & propinquitate, cùm opus charitatis exposceret, adesse valerent.* Propiùs ciuitates, vel oppida religiosas suorum mansiones construi voluit, vt si quæ proximorum necessitas opem flagitaret, citam opportunè, expeditèque subministrare medicinam possent. Quàm cœleste arbitrium! Quàm prudens consilium! Noluit prouidus Pater filios suos vel in medijs ciuitatibus degere: quia id tunc ita expediebat: vel tam remotè ab eisdem sua excitare asceteria, vt non possent promptâ facilitate spirituales fidelium morbos necessariis depellere remedijs. Prudentèr nimirùm arbitrabatur, euangelicos, & apostolicos magnâ debere vti ad ægritudines animæ curandas moderatione, & neque penitissimè se in contubernia hominum profanorum intima insinuare, neque familiarem eorum consuetudinem immoderatè appetere, neque continuè cùm illis versari, neque verò etiam tam procul ab eis secedere, vt quando corrupti mores salem, errorum tenebræ lucem exposcerent, neutrum opportunè præbere possent. Denique vt ne in isto sospitandarum animarum negotio damnum incurrant, debent sui copiam præbere ad modum ignis, qui cùm nimis vicinus est, incendit, & adurit, cùm plus satis abest, non depellit frigus, neque calore fouet. Et nimia vicinitas, & longior secessus suum habet periculum, vt proinde magnam ad omnia cautionem, prudentiam, circumspectionem adhibere oporteat.

Religiosi neq; semper versari inter sæculares neq; prorsùm eos aduersari debent,

Audiamus percommodam huic rei commentationem sacri Mediolanensium Archiepiscopi, qui accutè notauit distantiam à regio Prophetâ tributam mysticæ illi arbori, quæ tam copiosos, & opimos reddit fructus. *Et erit tanquàm lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia, quæcunque faciet, prosperabuntur;* inquit Psal. 1. 3. Nemo quantumuis ambitiosus, & anhelus rerum secundarum insectator, potuit sibi maiorem expetijsse felicitatem eâ, quam hâc metaphorâ designatur, arboris, quæ suo tempore plurimos vbertim edit fructus, neque vllo vnquàm destituitur folio, & optatum semper habet omnium cæptorum euentum. Iam peruulgatum est, per folia huius designari verba, quæ procedunt ab ore iusti, & opera huius bona per illius fructus denotari. Ita communitèr sentiunt Expositores, Hugo Cardinalis, Iacobus de Valentiâ, Ludolphus Carthusianus, Ioannes Baptista Folengius, Titelmanus, & alij sine numero. At videamus nunc quisnam ille tam felix, commodus, & opportunus locus, in quo illa ex omni parte fœcunda, & facunda, inque foliis, & fructibus, in verbis, & operibus summè felix arbor sita fuit. Lignum hoc *plantatum est secùs decursus aquarum,* inquit Propheta pœnitens. Et sancti Ambrosij commentarius in hunc psalmum to. 2. ita habet: *Plantatus ergo* iustus *rectè dicitur secùs decursus fluminum, non in ipsis decursibus, vt finitimum, non demersum intelligas.* Aquæ sunt symbolum populorum, secundùm id, quod Angelus cœlo delegatus dixit Discipulorum charissimo Ioanni Apoc 17. 15. Velut enim aquæ aliæ post alias iugi, & continuo fluxu transeunt, & omnes sua mari tributa pendunt: Ita omnes quasi aqua dilabimur, & ad mortis mare properamus, vbi flumina quæque, etiam abundantissima, perdunt sua nomina, & omnem de ponunt autoritatem. Ad rem nunc. Quonam in loco plantata fuit arbor proferens fructum, quo aluntur, & nutriuntur

folia, illa tam medica, & vtilia? *Secùs decursus aquarum*, non in ipsis aquis, seu fluminibus. Nam quæ vel in medijs fluminibus, vel nimis remotè ab aquis plantaretur arbor, non redderet optatos fructus. Vt verò expectatos liberalitèr proferat fructus, vbi serenda? *Secùs decursus* pla... ndum fructiferum lignum, *vt finitimum, non demersum intelligas.* Quod si fiat, tunc aqua facit, quod ignis facere ex iusta distantiâ solet. Eâ mysticâ comparatione arboris monemur, quod homo iustus, & vir spiritualis, vt optatum fructum proferat, nec tam procul secedere debet, vt nunquàm sui copiam faciat aquis, hoc est, populis, nec tam penitùs se ingurgitare in aquas, hoc est, in vulgi consuetudinem insinuare, vt nimiâ familiaritate non solùm nihil commodi pariat, verùm etiam corruptelam fortè adferat, & destruat, quos ædificare oportebat: *Secùs decursus aquarum, vt finitimum, non demersum intelligas.*

Quod mensa panum propositionis sit mystica adumbratio eorum, qui splendidâ doctrinæ suæ luce spiritualem ministrare animabus alimoniam debent, id communis Patrum, & Expositorum sententia habet, præsertim SS. Cyrilli, & Gregorij Magni, Hugonis Cardinalis, Radulphi Ardentij, Iacobi Losanæ, Petri Berchorij, Ricciardi Brixiani, Germiniani, & plurium aliorum. Videamus ergo, quid in ijs rebus, quibus eam sacer Opifex exornatam voluit, præsenti causæ nostræ commodum habuit. *Facies illi labium aureum per circuitum, & ipsi labio coronam*, inquiebat Dominus ad Moysen Exod. 25 24. Magnum mysterium habet, quod extremitati mensæ panum corona imposita fuit. Et si illud mensæ labium eos significat, qui panem prædicationis dispertiunt, quòd labio corona imponebatur, haud dubium tacita admonitio erat, vt coronæ similes esse studerent, qui coronata habere labia, & optatum ex euangelico labore fructum reportare desiderant. Qualis ergo debet esse corona, vt verè coronet?

Secundus sui sæculi Augustinus (ita est Hugo de S. Victore) id perquàm aptè in rem præsentem dicet: *Corona crines castigat, latior decidit, strictior non aptatur.* Hæc ille lib. 4. de propriet. & epithet. lit. C. Tom. 2. Inter varias coronæ functiones, & proprietates sunt hæ tres magis communes, nempè quod fluxos, solutos, liberos, effusosque capillos adstringat, & castiget, quod proinde nec sit iusto amplior, ne decidens è capite officium coronæ non faciat, nec debito arctior, vt proptereà rectè accommodari, & ad muneris sui partes perficiendas, hoc est, ad coronandum, illustrandumque suo splendore caput aptari nequeat. Quod itaque mensæ, hoc est, Prædicatoris labio corona imposita fuit, mysticus quidam, & arcanus hortatus fuit, vt ecclesiastes, qui labium suum coronatum cupit, coronam sibi siue pro exemplo, siue pro speculo propositam habeat, ab eâque discat nec tam strictus, austerus, arctus esse, vt nunquàm se patentem ad docendum exhibeat, neque tam laxus, effusus, solutus, vt nocumento sit, & destruat eo, quo ædificare, & esse emolumento cupiebat. Sit ergo ita moderatus, vt superflua, & laxa constringens, aptè instar coronæ inhæreat, & tanquàm serto adornetur luce doctrinæ, quam diffundit, & splendore verborum, quibus apud Auditores disserit. *Crines castigat, latior decidit, strictior non aptatur.* Nisi enim proportionatâ vicinitate, & iustâ appropinquatione vtatur, non coronabitur labium, quod dare monita debet, neque lingua, quæ spiritualibus consilijs alios erudire.

Sollicitus paterfamilias suo exemplo nostram fouebit commentationem. De paternâ illius vigilantiâ, & amabili diligentiâ hoc nobis dicit sanctus euangelista Matthæus, quod plenus curarum sub creperam matutinam abierit, vt vineæ suæ cultores conquireret: *Exiit primo mane conducere operarios in vineam suam*, inquit ille c. 20. 1. Iterùm autem *egressus est circa horam tertiam,*

Non

Non remisit de studio ad meridiem. Non dormiuit horâ nonâ, neque vndecimâ curam, sollicitudinemq; deposuit: *Iterùm exiit circa sextam, & nonam horam, circa Vndecimam Verò exiit.* Nonne aduertitis quomodo suauissimus pater nostri amore inflammatus ardentèr id forum prosilit, vt vineæ cultores conquirat, idque omni tempore, & quâuis horâ.

Cardinalis Caietanus hoc loco dicit: *Potuisset componi parabola describendo Patrem familias continuè manentem in foro, sed non describitur continuus, sed certis horis*, atque vt discreti nomen ei conciliaretur, non dicitur iugitèr hæsisse in foro. At si operarios indagabat, si homines colendæ vineæ perquirebat, quamobrem sedulus Pater non totum in foro exegit diem? Noluit omnes diei horas in foro transmittere, vt sibi prudentis opinionem conflaret, proinde magno mysterio non describitur continuus, quâ re monitos uoluit Patres spirituales, & Prædicatores, & quotquot sunt ab officiis supremi Domini in causâ animarum, & in procurandæ saluationis summo negotio eidem seruiunt, quod sacris vestigijs diuini Patris inhærere debeant, qui non à primulo diluculo in seram noctem in foro hæsit, dùm operarios quæsiuit, & conduxit, verùm commodo tempore, & opportunis horis abijt, redijt, remque suam confecit? *Non describitur continuus, sed certis horis.* Si nunquàm in forum exijsset, frustratus amor fuisset: Si perpetuò in foro hæsisset, modum statio excessisset, superuacaneaque, & inconsulta mora fuisset. Quid ergo faciendum Patribus, & Prædicatoribus? Illud, vt commodis horis, & opportuno tempore prodeant, iustamque solùm, & sufficientem moram adhibeant, fortè enim tantùm damni adferre potest, si continuò assistant, quantum si nunquàm accedant.

Id consilij ante plurimos annos Euangelicis Prædicatoribus, & Patribus spiritualibus Propheta regius vaticinatus fuit, cùm ait: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ Verba eorum*; Psal. 18. v. 5. Quod dicit, tale est: Vox Euangelicorum Prædicatorum, spiritualium Nunciorum, & Legatorum ad curanda negotia animarum, per totum se diffudit terræ ambitum, & vsque ad extremos illius angulos insonuit. Notandum, quod aliqui, vt habet Titelmannus, hic transferunt: *In omnem terram exiuit linea*, *Vel regula eorum*, Et ex Reuchlino superiora verba sic vertî possunt: *In omnem terram exiuit linea, perpendiculum, ædificatio, & architectonica eorum*, Alij pro eo, quod Vulgatus textus habet, *Sonus eorum*, reposuerunt, *exiuit forceps eorum*. Hæc omnia collectim sumpta hunc habent sensum, quod vox, & prædicatio euangelica debeat esse instar regulæ, lineæ perpendiculi, normæ, circini, siue quod prædicatio, admonitio, doctrina debeat habere, suam regulam, perpendiculum, circinum, & quod discretio, ac prudentia debeat suos habere in manibus forcipes, quibus abrumpat orationem, vel amputet sermonem. Quia tametsi de Deo loquaris, potest esse valde periculosa dissertatio, si tempus superfluè consumas, & accidere, vt superuacaneus de Deo sermo, sit miseranda Dei perdendi occasio. Semper in Confessionali versari, in eoque pretiosas horas non alio studio transmittere, quàm vt doceas, quomodo cùm Deo communicandum, nunquàm commendatum tanquàm conuenientèr factum: Nunquàm vacare sacro commercio, & negotio animarum, ne tunc quidem, quando id requirit officij debitum, & obligatio coniuncta cùm ingenio, eruditione, & cæteris, quæ id munus exposcit, & abditum latere in recessu, neq; istud bonum est, aut laudabile. Ergo vt decentibus circumstantijs sit ornatum, & debitis qualitatibus vestitum vtile, cœleste, & euangelicum munus regendarum, moderandarumque animarum, prudentia ad illud adhibenda est, tantaque vicinitas, quantam diuinus Pater

Basilius voluit esse monasteriorum, quæ suis alumnis, ministris euangelicis erexit, ac fundauit, qui nec tam procul aberant, vt calore suo fouere non possent, nec tam propè aderant, vt fortè cōtrahere maculas ex nimiâ propinquitate valerent. *Monachorum cœnobia haud procul ab ijs, qui in hominum societate viuunt, ædificari iussit, vt & propinquitate, cum opus charitatis exposceret, adesse valerent.* Sic ignis, qui lucere, & calefacere debet neque nimiùm sit absitus, alioqui neutrum eorum officiorum rectè administrabit, neque plus satis vicinus, ne in papiliones parùm attentos incidat, qui ab illo inflammentur, & conflagrent.

Capvt VII.

Vt quis doctrinâ suâ luceat, nullâ re id faciliùs obtinuerit, quàm si vita priùs ardeat.

Doctrina facilè lucet, si ardeat vita doctoris.

Attendamus quid supremus Pastor Gregorius XIII vbi suprà dictum reliquerit, *Adoptatos sibi noua prolis fœtus*, inquit, *in cœnobia à communi viuendi ratione segregatos, in compositum ordinem redegit, & salutaribus præceptis instituit, vt verbo, & opere à se instructi Catholicæ Ecclesiæ ornamento essent, atque in diuinis rebus adiumento.* Ante curauit diuinus Pater filios suos salutaribus excolere præceptis, ante omnibus illos obarmare gratijs, & virtutibus studuit, egitque vt diuini amoris ignibus ante inardescerent, quàm prodirent, vt alios Euangelicæ doctrinæ splendicantibus radijs illuminarent. Nam vt S. Basilius homil. 10 in Hexameron sentit, *conuenit eum assumi ad aliorum præfecturam, qui quæ sibi sunt intima, probè nouit, ac decenti ordine moderari.* Qui alios moderari, qui tanquàm lux nebulas ignorantiæ dissipare, & errorum tenebras fugare debet, is oportet vt sit ante peruigil Prælatus, & impiger Superior sui ipsius, vtque ardeat charitate Dei, quo efficiat, vt & alij dulcibus flammis, & suaui incendio inardescant amoris ergâ amabilem Dominum, & pium patrem Deum.

Vt hoc assertum nostrum confirmemus vtendum est quadam commentatione beatissimi Patris Gregorij Magni in illud quod S. Iob de Struthione affirmat, nimirum in omnibus brutis animantibus, bestijs, auibus nullam reperiri vel minùs amantem suorum filiorum, vel magis efferatam erga depositum ouum, in quo habet successionis suæ spem collocatam. *Derelinquit oua sua in terrâ, obliuiscitur quod pes conculcet ea, duratur ad filios suos, quasi non sint sui*; Iob 39. v. 14 15. 16. Mira impietas, & efferatio! Cùm cæteri irrationales parentes amabili naturæ instinctu abrepti incredibiles amoris erga liberos suos demonstrationes facere soleant, solus Struthio tam rigida viscera, tamque æreum, aut adamantinum habet pectus, vt oua sua oblitus relinquat in terrâ, non attendens, quàm facilè conculcari, & frangi à quouis transeunte queant, & blanditiæ, quibus pullos demulcet, tales sunt, quales alterius, qui sanguinolento mucrone pectus eorum transuerberaret.

Struthio immitis erga oua sua, & pullos.

Struthio in sensu allegorico potest esse symbolum hypocritæ. Nam vt Struthio habet alas, velut auis, neque tamen volat, sic & hypocrita volare videtur operibus virtutum, & semper manet in terrâ suorum vitiosorum affectuum. Hoc constituto, quod Struthio sit imago hypocritæ. quærit nunc beatissimus Doctor, quâ re hypocrita Struthioni magis assimiletur? Respondetque, eâ, quam S. Iob expressit, dicens: *Derelinquit oua sua in terrâ, duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Non curat filios suos pater hypocrita, neque Prædicator, qui solam inanem speciem sanctitatis affectat, & falsam assimulationem virtutis. Vnde verò tantus nascitur neglectus? Et quæ talis incuriæ origo? Respondet magnus Doctor lib. 13. Mor. c. 2. *Quia enim hypocrytæ per charitatis viscera non calent, de corpore prolis editæ nequaquàm dolent.*

Struthio hypocritæ typus.

Prædicator quia non calet, non calefacit.

Curam

Curam namque filiorum hypocrita negligit, quia ex amore intimo rebus se exterioribus subdit, in quibus quantò magis extollitur, tantò minùs de prolis suæ defectu cruciatur. Si hypocrita est Struthio tanti ferri concoctor, si tam efferatè impius est erga suam sobolem, si ære, atque adamante durior aduersùs suos liberos, non debemus admirari, quòd illum destituat calor, zelus, amor, & charitas ad instruendum, & fouendum illos, quòd non doleat, videns eosdem rerum cœlestium tam parùm studiosos, ac tam frigidè tractare negotium salutis æternæ, cùm ipsimet habeant affectus, conatus, desideria omnia radicata in terris, sintq; merum gelu, & glacialis hyems, & rigidum marmor, & dura statua in semitis virtutis. Et cum hypocrita in seipso sit destitutus calore, inops zeli boni, vacuus charitate, nihil nouum, quod non sit sollicitus de excitando in alijs igne, atque amore, procurandaque illis charitate: *Quia per charitatis viscera non calent, de corpore prolis editæ nequaquam dolent.*

Consiliarius aliorũ nemo bonus, qui sibi nescit consulere

In eâ sententiâ est diuinus Mediolanensium Archiantistes Ambrosius lib. 2. offic. c. 11. cùm ait: *An idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi?* An is mihi commodus esse possit consultor, qui de suis incrementis nunquàm deliberat, neque profectûs sui aliquâ sollicitudine vel aliquando tangitur? Videtur quod non. Nam qui sui, suarumque rerum est negligens, mirum fuerit, si negotiorum meorum sit diligens procurator.

Cùm potentissimus Artaxerxes opulentam Persiam pertransiret, offerebat illi Persa quidam, dictus Mises, malogranatum insolentis magnitudinis, & venustatis. Admiratus Rex aiebat illi: *E quonam Paradyso depromptum hoc mihi donum adfers?* Sic Ælianus lib. 1. de variâ historiâ c. 33. Respondebat, qui obtulerat, ex suo horto, quem ille suarum manuum sollicito labore, artisque, & industriæ propriæ infatigabili studio coluerat, attulisse. Tum Rex sublatâ voce exclamauit: *Per Solem iste homo tali curatione, & diligentiâ poterit etiam ciuitatem meo quidem iudicio, ex paruâ ampliorem reddere.* Vnde collegit, quòd is homo posset ex infrequente pago populosam vrbem efficere? Ex studio, & diligentiâ, quam ab illo ad elaborandum, excolendumque hortum adhibitam audiuit. Qui enim suâ industriâ, sedulitateque facere potuit, vt arbores tam ingentes, vberes, & copiosos ederent fructus, non illi ingenium, solertiaque deesse poterat, quibus populos augeret, & ciuium numerum maiorem redderet. Quisquis in rebus suis industrius est, & solers qui arte, & ingenio valet, quibus sua amplificet, certam spem facit, quòd non deerit illi sedulitas, & labor, quibus aliorum accessiones, & incrementa procurare possit. Nam vt Imperator Augustus, cùm aduersùs Marcum Antonium differet, aiebat, vt refert Dion Nicenus lib. 50. histor. *Fieri non potest, vt qui probrosam, & voluptuariam vitam traducit, viro aliquid dignum vel agat, vel consulat:* Naturalis, & communis rerum cursus id habet, vt qui in delitijs viuit, vitæ austeritatem seriò, ardentèrque consulere non possit, neque curare vt alij sint ignes, & incendia, qui ipsius est mera nix, & crusta è gelu. Quisquis enim vt viuit, sic consulit, & qui in eo sedulus est, vt se tradat vitijs, non erit sollicitus, vt alij se dent exercitationi virtutum.

Hortulanus qui fit bonus, idem ex pago vrbē facere possit.

Vitam voluptuariā degens nil viro dignum agit.

Qualis vita cuiusq; tale consilium.

Huc opportunum veniet, quod mellifluus Doctor annotauit, nempe quàm crebrò Ioannis Baptistæ tribuatur gloriosa appellatio Præcursoris Verbi æterni. Ipse ideò pater illius Zacharias exultans gaudio pro tanto beneficio, cùm illum fortè brachijs constrictum gestaret, aiebat: *Præibis ante faciem Domini parare vias eius,* Lucæ 1. v. 76. & officium metatoris hospitiorum supremi apud Principem æternitatis administrabis. Cùm autem hoc officium in eo positum esset, vt lucem ministraret, erudiret, doceret, videamus, inquit Bernardus,

dus, quemadmodùm lucem hæc fax præbebat, vt inde intelligamus, quomodo tantundem facere debeant, qui ex vero, & legitimo zelo illuminare debent. *Ille erat lucerna ardens, & lucens*, inquit de illo Ioan. 5. v. 75. Christus ipse, cui præibat Ioannes viam, vt exciperetur in mundo. *Magnum testimonium fratres mei, magnum enim est, cui perhibetur*, inquit Bernardus serm. de S. Ioanne. Ingens elogium, gloriosa prædicatio, insignitissima commendatio diuini Præcursoris. Et quantus ille, qui tantum meruit encomium! Et quomodo illum vocat cælestis Magister? *Erat lucerna ardens & lucens*, inquit. Primum arsisse memorat, deinde luxisse. *Non ait, lucens, & ardens*, inquit Bernardus, sed quod ante ardebat, dein lucebat. Nam lucere vt ardeas, vana diligentia est, verùm ardere vt luceas, Præcursorum Christi verum iter est. Expono sensum meum, ait Bernardus. Lucere videtur olere hypocrisin, & vanitatem, nam lucere, solùm est studere opinioni, & existimationi apud homines conciliandæ, verùm ardere, est solidæ, & veræ virtutis nota, & indicium. Sed quare dicitur de Ioanne, quod venit in mundum, & natus est in spiritu Eliæ? *Præcedet in spiritu, & virtute Eliæ*; Luc. 1. v. 17. Ideò quòd *erat lucerna ardens, & lucens*. Ardebat primùm, mox lucebat. Nam qui primùm ardet, qui flagrat, qui viuis diuini amoris flammis inceditur, ille aptus est, vt luceat, ille virtute, & spiritu ardentis, & zelosi Eliæ armabitur. Nam qui solùm ardet, & studet inani probitatis existimationi, Patrisque spiritualis titulum affectat solà vanâ spiritûs umbrâ contentus, nunquàm is talis erit, vt doceat cum spiritu, & veritate, quam professio Euangelica postulat. Ardeat Prædicator, ferueat Confessarius, conflagret Dei amore magister spiritualis, & non studeat soli cuticulæ suæ curandæ, & carni commodè habendæ, scio enim quod tunc ex animo, & Apostolico Zelo tractabit summum salutis animarum negotium. At quem carnis cura occupatum, impeditumque habet, fieri non potest, vt is seriò, atque vt decet, animæ & spiritûs negotia procuret. Hanc in rem quidam Sapiens dixit: *El que seoccupa mucho en lo mastico, nunca ser à bueno para lo mistico*; quod hunc habet sensum: Qui multum occupatur masticatione ciborum, nunquàm erit aptus mysticæ commentationi vel comtemplationi sacrarum.

Ioannes lucerna ardens, & lucens cur dictus.

Ioannes ante ardebat, quàm luceret.

Prædicator ardeat vt luceat.

Animarũ curio nemo bonꝰ, qui suæ cutis curator.

Quædam Theophrasti interrogatio erit commoda nostro intento responsio. Magnus hic philosophus de causis plantarum lib. 6. cap. 14. quærit: *Cùm saporum genera plura sint, cur salsum nunquàm fieri potest?* Saporum diuersitates, & differentia quamplurimæ sunt. Est sapor amarus, acerbus, dulcis, &c. Qui fit ergo, quòd in nullâ plantâ saporem experiamur omninò salsum? Quæstioni occurrit, dicens: Si plantarum humores, quibus viuunt, quibus nutriuntur, degustes, prorsùs salsum nullum reperies. Quid ità? Eò *quod salsum nullam alimoniam, nullam generationem præstare potest. Quod igitur cæteris, ne generentur, causa sit, id certe neque ex se quidquam creare posse, ratio est.* Cùm salsum non possit subministrare vnde alia generentur, crescant, & augescant, hinc fit, vt & ipsum per se dare vitam, alimoniamque nulli queat. Quàm elegans, & apta in rem nostram ratio! Non est sapor in plantis, quià salsum rodit, & consumit virtutem terræ, & quoniam virtutem adimit, & impedit generandi vires, inde fit, vt ex re salsâ nihil nascatur. Et cùm salsum sit causa sterilitatis, ea propter terrâ nihil salsum producit. Quid causæ est, quod aliqui tam exiguos profectus spiritus faciant, & tam paruos profectus inter exercitationes virtutum in scholâ, & sub disciplinâ quorundam magistrorum? Quare tam inopes virtutum sunt, tam languentes spiritu nonnulli, qui cum aliquibus Patribus spiritualibus communicant? Possumus respondere cum Theophrasto: *Quod cæteris,*

Saporem in plantâ salsum nõ reperias. Cur?

Salsum generationi officit.

E salso nihil nascitur.

terü, ne generentur, causa sit, id certè neque ex se quidquam creare posse, ratio est. Magistri, Patres, & Doctores quidem parum spiritus habent, destituit illos ignis, non flagrant charitate, & cùm non sint feraces bonorum operum, sed frigidi infœcundi, steriles, ità nihil mirùm, quod non generent in Domino filios verè spirituales, virtutum profectibus adultos. Accendantur itaque, & inardescant amore Dei, ita fiet, vt cùm ipsi inflammati, & ardenti Dei zelo armati deflagrant, etiam alij magnos faciant in virtute progressus.

CAPVT VIII.

Exiguum & inualidum est robur mortis, si hoc cum linguæ maledicæ viribus componas, nam vbi mors ignaua se submittit, ibi lingua temeraria se præcipitat.

Linguæ maledicæ malum maius, quàm mortis.

VErùm quomodo possumus silētio inuoluere, quod Ecclesiasticę historię Cęsar, & Eminētissimus Annalista Baronius non dissimulat, neque sine peculiari expensione præterit? Tomo 4. ad Annum 363, num. 10. sic habet: *Dum verò in eadem Ponticâ solitudine Basilius versaretur, licet è fluctibus maris videri posset ad tutum portum nactum esse confugium, haud tamen desinit iactari fluctibus, & illis sanè immensis, vt potè à vehementiori flatu perfidiæ agitatis.* Quando diuinus Phœnix communis boni zelo, tanquàm viuis flammis deflagrans, in Ponti desertis locis cum suis Monachis abstrusus degebat, & in illius eremi recessibus securum portum captabat, mūdique sæuas tempestates defugiebat, etiam inibi eum; maledicorum hominum venenatæ linguæ, tanquàm turbulentæ procellæ exagitârunt, & pudendarum calumniarum toxica in illum euomuerunt, falsaque crimina illi imposuerunt, & infamem notam (quod iam suprà monuimus) illustri nomini innoxiæ vitæ ipsius inusserunt. Hinc eruemus doctrinam quandam, & corollarium deducemus, istud nempe, vt notemus, quod & magnus Cardinalis obseruauit, non profuisse sacro Phœnici, quod in deserti abdita volauit, quod in solitudinis occulta, & recondita se recepit, vt vel ibi à præpilatis venenatisque maledicarum linguarum spiculis non configeretur. Sed quid hìc miremur, si auscultamus, quod sacer encomiastes Gregorius Nazianzenus dicit, cum de hâc sagittâ loquitur, quando à pharetrâ labiorum soluta in muros violenta inuehitur, rumpitque aggeres, quod illius procacitati tam prouida, quàm attenta Natura opposuit. Ille in orat. de Ieiunio Quadragesimali sic habet: *Protinùs vt mens tela lingua emiserit, statim prouolant omnia, qua feriunt cælites, terrestres, posteros, non minùs bonos, quàm malos, non minùs amicos, quàm hostes, non minùs exteros, longèque dissitos, quàm propinquos, denique nihil est, quod à lingua sagittâ tutum, atque immune sit.* Quando mentis humanæ iussu lingua suos explodit globos, videre est quàm temerario ausu Superos, atque Inferos, cæli, ac soli habitatores, probos æquè ac improbos, infensos similitèr atque addictos, & hos, qui prope, & eos, qui procul absunt, indifferenter, & promiscuè appetat. *Denique* neque cælum, nec terra, nec mare, nec sylua, neque solitudo, nec ciuitas, non vir, non mulier, non status aliquis, non sceptrum, non pedum, non infula, non sagum, non aliud quidquam est, *quod à lingua sagittâ tutum, atque immune sit.*

A lingua sagittâ nihil tutum.

Linguæ potestas imperium mortis exæquat.

Probatum nunc demus, quod maledici linguâ tyrannidi mortis saltèm non cedat, nam siquidem mors absolutum habet imperium, linguæ non minùs est ampla potestas. Habacuc propheta, cùm de præclaris facinoribus, quæ diuinus Orbis Reparator editurus esset, loqueretur, aiebat: *Ante faciem eius ibit mors*, c. 3. v. 5. velut dixisset: Ex diuersis rebus, quas inuicta ejus dextra in Crucis ligno operabitur, hæc vna erit,

Mors à Christo ad pompam traducta,

quod pallida mors subacta, & ad victrices plantas ejus deiecta in triumphali Crucis curru, ad pompam circumduceretur. Sed notandum, quòd vbi Vulgata nostra dicit *Mors*, ibi Theodoretus, & Theophylactus transferunt: *Ante faciem eius ibit sermo, ibit Verbum*, ibit lingua, quæ sermonem, verbumque eloquitur. Sed quid linguæ cum morte? Magna est amborum affinitas, magna similitudo, & necessitudo, & arcta societas. Nam si nemo tam potens est, vt absolutum mortis imperium euadere queat etiam nullius tantum est robur, vt linguæ dominatum effugere possit. Ita dixit S Petrus Damianus to. 1. li. 6. epist. 27. *Sicut equus effrænis per anfractus, & inuia, plana, vel ardua quaque transmittit, sic lingua recta, vel friuola, vt qualibet suppetunt indifferentèr, ac leuitèr effluit.* Solutus habenis equus, si furor illum incessat à brutâ ferocitate abreptus per aspera, & plana fertur, & cæcus per obuia quæque, vt se efferunt, loca præceps vadit, neque obstaculum reputat, quidquid illi se impedimenti obijciat. Ad hunc modum lingua est gladius vtrimque acutus, qui omne iugulum petit, equus est, qui omnia conculcat, per omnia rapitur, omnia proterit, sit vt nec augustissimæ Basilicæ deferat, nec vilissimo gurgustiolo parcat.

Linguæ dominatum nemo effugere potest.

Lingua libera equo effrænis.

In illis tam peruulgatis inuicti nostri pugilis, & pugnacissimi Ducis Apostoli Iacobi verbis inueniemus dictorum nostrorum præclaram comprobationem, qui de effronte linguæ præcipitantiâ loquens sic ait: *Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis*; Iacobi 3. v. 6. Fortè inclytus noster Patronus, cùm linguam nomine ignis donat, allusit ad illum ignem, qui inter fatales exspiraturi mūdi paroxismos omnia inflammabit, & consumet. Sunt enim linguæ, quas audire perinde sit, ac Deum in supremo judicio omnium scelera peruulgantem audire, cùm non sit actio, non vita, non mors, quam non carpant, cui non detrahant. Verùm alteram dicti Apostolici partem excutiamus, *Lingua vniuersitas iniquitatis est*, inquit. Linguam vocat Vniuersitatem. Et quàm proprio nomine? Vt enim scholæ, in quibus traduntur scientiæ, & facultates, vulgò appellantur Vniuersitates, quia in illis omnes vniuersim scientiæ docentur, deque omnibus agitur, & disseritur, puta de sacrâ Theologiâ, Legibus, Canonibus, Medicinâ, Philosophiâ, Astrologiâ, Mathesi, Rhetoricâ, alijsque pluribus Facultatibus: Ita lingua est *Vniuersitas iniquitatis*, quia illa de omnibus loquitur, omnia capit, de omnibus murmurat, & detrahit, de sacris, & profanis, de ecclesiasticis, & sæcularibus, de pace, & bello, de omni, quod dicitur, quod scribitur, quod imprimitur, quodque non scribitur, nec imprimitur, nec status quisquam est, nec officium aliquod, seu magnum, seu tenue, siue sublime, siue humile, quod suo veneno non perfundat. Demùm Vniuersitas est, in quâ de omnibus disseritur: *Vniuersitas iniquitatis*.

Lingua ignis similis illi, quo mundus conflagrabit.

Lingua iniquitatis Vniuersitas aptissimè dicta.

Huc aptè cadet, quod eruditus Pater Michael Ayguanus docet, quod lingua murmuratoris (hæc est, quâ de semper loquimur, quamque absolutæ temeritatis coarguimus) à Veteribus per coruum adumbrata fuit. *Antiqui morales*, inquit notus Autor in Ps. 100, *istud vitium per coruum figurabant* Quid illud singulare habet coruus, quas conditiones proprias, & peculiares, quarum gratiâ typus linguosi murmuratoris esse possit? Audiamus de hâc aue Macrobium, qui lib. 7 Saturnal. c. 5. ait, *Omnibus inhiare cadaueribus, vniuersisque similibus insidiari, fructus arborum persequi*, proprium coruorum esse. Insatiabilis edacitas Corui facit, vt in omnia inuehatur cadauera. Coruus fur est, à quo nullum tutum semen. Pirata est, qui alarum remigio per aëris vndas se circumfert, vt prædam ex arborum fructibus agat. Parum dixit Macrobius, nam si Georgium Draudium consulimus, ad plura sese Corui veracitas extendit, plura illius ingluuies expetit. Is in Solinum c. 47. sic habet: *Coruus, si qua alia*

Coruus linguosi hominis typus.

Coruus voracissimū & furacissimum animal.

Coruus

pampha gos, poliphagosq; est.

alia auis, vnde vel maximè eius voracitatem liceat colligere, pamphagos, vel poliphagos est, instar rapacium auium carniuora, instar gallinaceorum frugilega, instar picorum vermiuora, instar steganopedum pisciuora, denique multarum aliarum carcophagarum more seminibus, & fructibus vescitur, carnem appetit tum crudam, tum morticinam. Auidissimi comedonis, & inexplebilis manduci nomen coruus magno suo iure obtinuit. Quare & pamphagos, poliphagosque appellatus fuit, vt qui omnia promiscuè voret, fruges, vermes, pisces, arborum fructus, carnem viuam, mortuam, qualemlibet. Quæ cùm ita sint, prudentèr actum à Veteribus, quòd Coruum delegerunt hieroglyphicum murmuratoris, & figuram maledici. Nam si coruus insatiabili, & voraci rostro suo quærit, comedit, abligurit, consumit omne quod vorabat, quod currit, quod natat, & neque in terrâ, neque in aëre, neque in mari quidquam ab inexplebili eius ventriculo tutum est: Similitèr murmurator, & maledicus quidam belluo est, & vorax coruus qui execrabili linguâ suâ omnia appetit, omnia vorat, & consumit. *Pamphagos est, vel poliphagos,* qui omnibus vescitur, omnibus pascitur, omnia conficit, & neque semini, neque fructui, nec operi, nec verbo, neque cogitatui, nec viuis, neque defunctis parcit, sed omnia vitiat, fœdat, corrumpit, peruertit, succidit, & destruit: *Lingua ignis est, & vniuersitas iniquitatis*; de quâ & Nazianzenus rursùm Carm. 30. ita canit.

Coruus inexplebilis manducus

——Nullo discrimine in omnes
Euomit hac rabiem &c.

Lingua nullo discrimine vomit rabiem.

Quàm benè dixit magnus Theologus, *nullo discrimine!* quia aduersùs omnes sine differentiâ pestilens murmuratoris lingua sese audactèr exerit. Nonne hîc exæquata morti lingua fuit? Quid ibi Horatius de mortis inualidæ, & potentis imperatricis absoluto dominio dixit, cùm tritam illud, peruulgatumque protulit Odâ 4. lib. 1.

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres, o beate Sexti!

Mors eodem pede ingreditur gurgustium Pastoris, quo basilicam Regis. Præmitto illud: *Æquo pulsat pede.* Nom amplius aliquid purpuræ, quàm sago defert, eodem loco omnia habet, eodem radio metitur omnia. Si cum Nazianzeno loquaris: *Nullo discrimine pulsat pauperum tabernas, Regumque turres*; Sin cum Horatio: *Æquo pede in omnes euomit hac rabiem.* Falx mortis, quæ omnia promiscuè demetit, sine vllo discrimine personarum, & lingua murmuratoris, quæ omnia exurit, & consumit, tantam affinitatem contrahunt, & cognationem, vt verba, quæ ad vnius dominatum extollendum delecta sunt, etiam perquàm apta sint ad alterius absolutam potestatem exaggerandam.

Lingua mortis æmula.

Huc respiciens Ieremias Drexelius maledici linguam vocauit. *Phaëtontem Orbis.* Quid fecit Phaëton? Omnia excussit, vt in suâ Metamorphosi ingeniosus Poëta fingit. Voluit lucidum patris sui Phœbi currum moderari, non sciuit ardentes decentèr regere equos, hinc factum, vt tota vno incendio terra deflagraret

Lingua Phaëton orbis.

— Magna pereunt cum mœnibus vrbes
Cumq; suis totas populis incendia gentes
In cinerem vertunt
–Sylua cū mōtibus ardent. Metamorph.

Omnia ambitiosus iuuenis exussit, montes, ciuitates, syluas, valles, campos. Sic lingua maledici *Phaëton* est *Orbis*, qui omnia incendio vastat, nihil reliquum faciens, nec rei cuicunque parcens, nec personæ alicui deferens.

Itaque Eliphaz Themanites adnotauit, in rarâ felicitate numerari posse, si quis Dei potente manu seruetur, & sic lateat, vt linguæ maledicæ virgâ non vapulet: *In fame eruet te de morte, & in*

A linguâ maledicâ seruari magnum Dei beneficium.

bello de manu gladij; Iob 5. v. 20. Et quid adhæc? *A flagello linguæ absconderis*; v. 21. Non solùm te sospitabit, cùm fatalis fames omnia conficiet, neque tantùm saluabit, cùm sæuo bello cætera vastabuntur, sed aliâ re quoque peculiari, & inauditâ felicitabit, hoc est, à linguæ diro flagello seruabit.

S. Ioannes Chrysostomus in catenâ obseruauit in his verbis, quæ patientissimi Iob amicus Eliphaz dixit, modum illius loquendi, atque in eo istud, quod ait, à flagello linguæ custodiendum illum, quem Dominus facere diuitem, & singulari felicitate cumulare velit. *Haud leue est*, inquit ille, *immò verò magnum, eum posse, iuuante Deo, hominem effugere, qui nihil boni vnquàm loquatur, lingua enim quibuslibet insidijs, quolibet ense immanior, atque intolerabilior.* Magnus rerũ expensione dignarum thesaur⁹ his Chrysostomi verbis subest. Non qualecunq; beneficiũ, sed ingẽs felicitas, & insignita gatia est, Dei auxilio sic obarmari Iustum, vt pestiferam hominis maledici linguam effugere possit.

Linguosũ hominem etiam Deo iuuante euadere, res magna.

Notate ista verba: *Eum posse, iuuante Deo, hominem effugere, qui nihil boni vnquàm loquatur.* Nimirùm linguæ maledicæ potestas tam absoluta est, tam temeraria, & præceps, vt insolens aliquid sit, inuenire hominem, qui eius dominatum, & iurisdictionem, *Deo iuuante*, euadat. Videtur dicere debuisse Chrysostomus, absque Dei opitulatione euadere murmuratoris linguam, id reuerà magnum aliquid esse. Sed quod aliquis cum omnipotentis Dei adiutorio malam linguam effugiat, quid hæc res magnum habet? Quid arduum, quid difficile habere potest opus, in quo conficiendo Deum, cui omnia sunt facilia, habes adiutorem, & cooperatorem? Quid operosum potestati Dei immensæ, & infinitæ? Nonne Paulus admodum præfidentèr dicebat: *Omnia possum in eo, qui me confortat?* Philip. 4. v. 13. Omnipotentem se reputabat Paulus, quando omnipotentem habere auxiliatorem cogitabat. Quid ergo Chrysostomus in rebus magnis, & arduis collocat, quod quis linguam malam, Deo opitulante & confortante euadat? *Haud leue est, immò verò magnum, eum posse, iuuante Deo, hominem effugere, qui nihil boni vnquam loquatur*: Nihil hîc incogitantèr, aut imprudentèr, sed attentè, & pensiculatè locutus est sacer Doctor: Quia rarum prodigium est, etiam Deo assistente, & iuuante euadere malam linguam, vt ne aculeatâ illius sagittâ configaris. Etenim maledici hominis lingua infamis tam acutam habet ad amputandum, & abtruncandum aciem, tantam ad quiduis tentandum, & inuadendum audaciam, vt in memorabiliorum, & insignitiorum omnipotentis Dei facinorum Annalibus recenseri debere videatur, si quis, etiam illo opem ferente, & adminiculante, armentatam murmuratricis, & maledicæ linguæ sagittam euadat. *Magnum est, eum posse, iuuante Deo, hominem effugere, qui nihil boni vnquàm loquatur.*

Paulus omni potentẽ se ex omni potente adiutore Deo putabat.

Sed quid tam tenuitèr, parcè, & angustè disserimus de murmuratricis linguæ temeritate, audaciâ, præcipitantiâ, dum robur illius solùm cum mortis potestate componimus? Virium illius magnitudini per hæc multùm detrahimus, potestatisque eius amplitudinem nimis arctis terminis circumscribimus, & includimus. Tantumne audet Mors, vt cæli arcem imperiosa ingrediatur? An potestas illius tam latè patet, vt etiam Basilicam illam complectatur, vbi tranquilla, & amabilis pax æternùm regnat: Minimè. Nam vt sacer Chronographus iu suâ Apocalypsi memorat, felix illa, & beata patria à mortis iuribus perpetuò immunis est, in Elysios illos campos acuta eius securis nunquàm infertur, vbi nulla planta marcescit, sed omnia semper vernant, viroreque perpetuo constant: *Mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor*; Apoc. 21. v. 4. Ac si Mors nullam habet in illam beatam, & gloriosam Basilicam iurisdictionem, minus imperij habebit in Imperatorem, qui suum semper in

Mors cæli aditum tẽtare non audet.

per in eâ habuit domicilium, & principatum. Ita Paulus affirmat, cùm ei *Regi sæculorum immortali, & inuisibili* dicit 1. Tim. 1. 12. Et in eiusdem epistolæ c. 6. v. 15. ab eodem Deus appellatur *Rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem*, non aliunde, sed ex seipso, & naturâ suâ.

Linguæ tyrannica potestas latior, quã mortis.

Bene habet istud. Sed fortean Mortis limites lingua prætergredietur? Cui hoc dubium esse queat? Audite quomodo id Propheta regius dicat: *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terrâ*; Ps. 72. v. 9. velut alijs verbis dixisset: Aduersùs cœlum fœdas, & audaces linguas suas exeruerunt, atq; inde in terram descenderunt, vt omnia illius popularentur, ac deuastarent. Paraphrastes Chaldæus habet: *Posuerunt in Sanctos cælorum os suum.* Et ante dixerat Propheta: *Iniquitatem in excelso locuti sunt*; ibid. v. 8. siue vt B. Hieronymus legit: *Calumniam in excelso loquentes*; quod ex Treueto, Lyrano, Strabone, Ayguano, Brunone Herbipolensi, Osorio, Cassiodoro, Rabbi Isaia, & alijs perinde est, ac si dixisset: *Iniquitatem in excelso locuti sunt, ita vt blasphemetur Deus.*

Lingua cælum, cælitesque inuadit.

Sordidis horridisque linguis suis cælum appetierunt, & blasphemiam Deo dixerunt, & primum quidem de excelso Domino, dein verò etiam de illius Sanctis mala, & indigna effutierunt. Nazianzenus in Orat. de Natiuit. Humana aiabat: *In bonam partem hoc accipe, Sancta Trinitas, nec tu stultorum linguas prorsùs effugisti*, & cùm sis ipsa omnipotentia, temerariorum tamen maledicentiam non omninò euasisti. At si linguæ sunt, quæ non parcunt Deo, & Mors nihil in illum habeat iurisdictionis, nec habere vnquàm quantulumcunque potestatis poterit quid multum, quod dicamus, linguæ audacem iurisdictionem, & temerariam audaciam longius, latiusque se extendere? Nam quò Mors ne propiùs quidem accedere audet, quin arma, & sceptra sua submittat, eò lingua temerariâ suâ audaciâ impudentissimè ingreditur. Hæc ad nostram consolationem, & eruditionem scripta sunto, vt si nostra facta, dictaque perstringi, pestiferarumque istarum viperarum morsibus vulnerari, & procacium zoilorum, maleuolorumque Aristarchorum amentatis sagittis configi compererimus, non miremur ictum, neque insolentem arbitremur plagam, quandoquidem si vilis, & infamis murmuratoris lingua nec Deo, Sanctisque eius, quos cælum habet, parcit, quid magnum, quod nos appetat, adoriatur, infestet, quid hîc infernè in terrâ degimus?

Linguam nec S. Trinitas effugit.

Mors cæli aditum tentare non audet.

Capvt IX.

Mirum est, quàm facilè fidem inueniat calumnia apud eos, qui sunt animo alieni ab illo, cui infertur.

Facilè credimus mala eorum, quibus volum⁹ malè.

Calumnia, quâ innoxium Basilium vexabant, illum, qui se totum in arâ synceræ charitatis ardens holocaustum pro salute publicâ offerebat, hæc erat, quod meditatò, & de industriâ domicilium sibi delegisset prope Neocæsaream, vt si fortè Episcopalis illa sedes vacâsset, ipse ad eam promoueretur. Eminentissimus Baronius ad Annum Domini 363. num. 107. to. 4. hâc de re sic habet: *Iactârant, Basilium è Cæsarea Cappadociæ Neocæsaream in Ponto venisse, & proximam solitudinem delegisse, vt sedis eius Ecclesiæ crearetur Episcopus.* Hanc calumniam, & fraudulentam interpretationem vt confutaret, ac dilueret diuinus P. Basilius, hortabatur calumniatores meminisse, quod annis elapsis misissent magistratus suos Cæsaream, qui rogarent, vt illius sedis administrationem admitteret, & ecclesiam illam Pastor moderari dignaretur. Huic tunc legationi humilitèr respondit, officiumque tam graue, quàm periculosum recusauit. *Quomodo igitur*, inquiebat Basilius epist. 57. *qui tum cùm vocabar, non obediui, nunc citra vocationem meipsum*

intru-

intrudere conatus essem? Quomodo consectarer vt ambirem jam calumniantes, cùm aliquando laudantes me, & celebrantes fugerim? Ne credatis hoc, viri optimi. Velut alijs verbis dixisset: Si tunc fugi, & negaui aures ijs, qui me plausibus celebrabant, & vehementer deprædicabant, si abnui esse pastor ouium, quæ tam obedientes se mihi submittebant, & tam amantes, obseruantesque ostentabant quî fiet, vt homo cordatus, & prudens sibi persuadere possit, quòd nunc exorare ab illis id officij velim, quos in feros calumniatores, & rerum mearum malitiosos calumniatores transmutatos experior? Hinc accipimus; verissimum esse, quod huius capitis titulus habet, nempe leuitèr credi calumniæ ab ijs, qui sunt parùm addicti his, quibus infertur. Erant Neocæsarienses parùm jam beneuolentes in diuinum Patrem Basilium, suspectæ doctrinæ professorem illum arbitrabantur. Sabelliani hæretici malam gratiam illi apud ipsos conflârant, & quidquid mendaciorum perfidi desertores fidei contrà Basilium euomerent, credebant Neocæsarienses, quos cùm animo alienos ab illo jam fecissent, eisdem quiduis de illo facilè persuadebant, neque difficilè esse poterat introducere calumniæ qualiscunque formam in maleuolorum animorum materiam tam aptè, & accuratè dispositam.

Quodnam huius Asserti fulcimentum illustrius esse potest Christo, qui perfidarum calumniarum scopus quàm creberrimè fuit, & centrum, in quod obliquæ lineæ peruersorum propositorum, quæ hostes illius animo concipiebant, passim ibant. Benignâ austeritate flagitia eorum arguebat, dicebatque, quod diuinam doctrinam humilitèr, ac deceret, non excipiebant, id fieri, quia partibus æterni Patris non adhærerent. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*; Ioan. 8. v. 47. Vix ea verba audierunt, quando hanc immanem, & nimisquàm iniuriosam calumniam homines perfidiosissimi exploserunt, *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* ibid. v. 48. Id ex Apostolico concionatore S. Vincentio Ferretio in Serm. Dom. Pass. tantundem fuit, ac si dixissent: *Nonne benè dicimus, quia Samaritanus es, hoc est, renegatus, infidelis, hæreticus?*

Quæri potest, cur Dominum, qui ob oculos Mundi tam inculpabilem, tam modestam ducebat vitam, vt omnium virtutum clarum esset speculum, & miracula tam vera, stupendaque operabatur, tam probroso, & proprudioso de honestare voluerint nomine, vt Samaritanum vocauerint, quæ appellatio in gentem secum adferebat cumulum iniuriarum.

Huic interrogationi satisfacit venerabilis abbas Rupertus in c. 3, Ioan. dicens: *Vnde huius improperij occasionem nacti sint, apud neminem Euangelistarum inuenimus, nisi fortè pro eo quod apud Samaritanos biduo mansit.* Apud Ioannem c. 4. *cum venissent ad Christum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret, & mansit ibi duos dies*, v. 40. Hîc jam noua exoritur dubitatio. Itane quia Christus duos, non ampliùs dies mansit apud Samaritanos, & tam paucas horas inter illos transmisit, & Iudæorum professionem solùm velut in transcursu prætergressus est, idcircò ad sectam Samaritanorum transierit! Fortè an benè fieret, si quis præstantem quempiam concionatorem in suspicionem desertæ veræ religionis, & sacræ fidei vocaret, ob hoc tantùm, quod is Algirium, infame nefariorum piratarum diuersorium, pertransiisset? Nequaquàm. Quamobrem ergo Iudæi tam indignis nominibus dedecorant Christum, vt vocent Samaritanum, arrepticium, & Iudaicæ religionis conculcatorem? *Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es?* Respondetur, facilè fuisse introductam formam calumniæ, vbi tam probè disposita erat damnatæ intentionis materia. Quemadmodùm ignis non eget multo vigore, vt inflammet stuppam, ipsius almoniæ, simul ac eam

Calumniæ in Christũ iactæ faciles aures apud Iudæos inueniebant.

Christus cur Samaritanus à Iudæis dictus.

ac eam

ac eam contigerit, faciliter cedere solitam; Ita maleuoli, & maledici, & inuidi exploratores actuum Christi, vix perceperant illum in Samariâ mansisse, quanquàm non nisi biduo, quando statim Samaritanum calumniosè appellârunt, & detulerunt velut excommunicatum, & veritatis desertorem: *Pro eo, quòd apud Samaritanos biduo mansit.* Qui alium auersatur, qui obliquâ intentione proximum respicit, idem quâcunque ex illius actione occasionem arripit eiusdem calumniandi,& in vnius verbuli basi turres construit sinistrarum suspicionum, & fraudulentarum interpretationum.

Oculorum vitio laboranti lux vna multiplex est.

Nam vt insignis Tertulianus lib. 1. contra Marcion. c. 2. ait: *Lippientibus etiam singularis lucerna numerosa est*, & qui oculorum vitio laborat, ei lux vna multiplex est. Ita ei, qui simulate, & animi alienatione, & sinistrâ intentione laborat, quælibet imperfectionis formica videtur elephas immanis flagitij, & qui infensis, infestisque intuetur proximum suum oculis, idem ex minutulo oscitantiæ, vel negligentiæ scrupulo vastum scelerum, & peccatorum montem facit. Hoc nempè est inuenire materiam dispositam, & præparatam ad introducendam calumniæ formam.

Querimonias dedit regina Esther apud Regem Assuerum de crudelibus, & efferatis propositis, quæ Aman contra Dei populum exequi cogitarat, dicens, malum, quod ille machinabatur, non solùm suæ Hebrææ nationi, sed etiam ipsius Regis capiti paratum esse: *Nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in Regem*, Esth. 7. 4. Vt Rex hæc audiuit, irâ vehementèr inflammatus fuit, sciensque intimum suum Aman esse eum, qui talem animo stragem designâsset, surrexit, vt sacer Textus memorat, è loco conuiuij, & secessit in hortum Aman præsens aderat, arreptâque occasione, quæ se tunc illi offerebat, pedibus Reginæ se affudit proximè lectulum, in quo illa ad quietem captandum recumbebat, multisque cùm suspirijs, & lachrymis, quàm demissè, & enixè rogauit, vt Regem, à quo impetrare, & exobsecrare quiduis posset, reconciliaret, mitigaret, pacatum redderet. Reuersus ex horto Rex recepit se in locum, vbi delicium suum, charissimam Esther dico, reliquerat, & *reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther*; ibid. v. 8. Quid effecit in animo Regis, quòd vidit perfidum Aman strato suæ Reginæ infusum? Non illud dissimulat sacer Scriptor, quin ait dixisse: *Etiam Reginam vult opprimere me præsente in domo meâ*; ibid. tanquàm verbis pluribus dixisset: Estne malitia alia par huic, quam mei hîc vident oculi? Estne insolentia alia, qualis huius infamis, & vilis hominis, qui domi meæ, vbi ego præsens adsum, tam proiectè audax, & temerarius fuit, vt dilectæ coniugi meæ inferre flagitium voluerit? Patres Serarius, & Sanchez in hanc rem sic aiunt: *Communis sententia est, Regem existimasse ab Aman aliquid intentari turpe, & Reginæ torum scelerato concubitu fœdari.* Nicolaus Lyranus ait, voluisse opprimere, idem esse ac voluisse strangulare. Sed quomodo Rex Assuerus tam repentè præsumpsit, & iudicauit, quod Aman in suâ Regiâ, & se præsente in tantum scelus se præcipitare ausus fuerit, cùm tamen de hâc re tum ne quidem cogitaret, vt ait eruditus Feu ardentius, quin potiùs piam Reginam supplex, & plorabundus plurimùm obsecraret, vt suis precibus Regem mitigaret, placatumque, & pacatum redderet?

Assuero Aman cur de intentato adulterio suspectus.

Respondet Autor, quem iam dixi, ex eo, quod sacer Textus ait? *Surrexit Rex iratus.* Cùm Regina Esther illi dixit, quod Aman machinaretur non solùm exitialem stragem populo Hebræo, verùm etiam internecionem Regi ipsi, surrexit substomachosus, cùmque indignatio in pectore ferueret, & animus irâ conflagraret, & materiam ad calumniam aptissimè dispositam reperiret, quod Aman Reginam supplex obsecrabat, quod velut deliquium passus, ac penè exanimis

Assuerus iratus malè multa malè credidit.

iacebat

iacebat ex timore periculi, cui se proximum videbat, id totum Rex oppressionem, turpem violentiam, temerarij ausus præcipitantiam, Palatij dedecus, suum ipsius probrum, omniumque iurium, ac legum attentatam præuaricationem sinistrè interpretatus fuit: *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente in domo meâ.* Vbi odium dominatur, vbi passio, & simultas, & animi auersio, atque alienatio cor occupârunt, ibi facilè temerari iudicij, & sinistræ suspicionis, acceleratæque calumniæ forma introducitur.

Suspicionum parēs maleuolentia.

Id præclarè probatum dabit Madaurensis philosophus Apuleius. Hunc oderat, & persequebatur Æmilianus, cumque magi, & venefici infamem notam ei inurere cuperet, factum est, vt quodam die pisces ementem deprehenderet, eâque re vehementèr lætatus, sublâtâ voce exclamaret: *Pisces quæris, ergo magnus es;* velut alijs verbis dixisset: Iam inuenimus, quidquid quæsiuimus, & necessarium habemus. Quod video, id satis est ad causæ meæ iustitiam adserendam, euincendamque, atque vt sententia mea obtineat. Nonne Apuleius inquisiuit pisces? Itaque magnus est, idque tam indubitatum, quàm certùm, quod ijs tantùm ad veneficium adornandum vti velit. Huic calumniæ respondit Apuleius Apolog. 1. *Equidem non magis arbitror, quàm si lepores quærerem, vel apros, vel altilia;* tanquàm apertiùs dixisset: Verùm quid ego miror, quod hostis meus calumniam mihi inferat veneficij, ob id tantùm quia indagantem pisces vidit? Tantundem faceret, si volucres, ceruos, apros, aut quiduis aliud inuestigantem conspexisset, nam vt animus illius ad construendam calumniam probè dispositus erat, ita è quâuis aliâ re illam excitâsset. Vbi enim pectus simultas, odium, & sinistra intentio semel inuaserunt, ibi quauis actione quolibet verbo, nutu, gestu ad fundandam, conflandamque calumniam vtitur.

Apuleius ob emptos pisces magus putat⁹

Quam opportunum huc veniet, quod Regum historia de Dauide refert, quando is à Saule exagitatus, vt illius persecutionem declinaret, ad terram Regis Achis transiuit! Exercitatio illius non alia erat, quod cùm *ipse, tum viri eius agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi, & de Amalecitis,* 1. Reg. 27. v. 8. Sciscitabatur ex illo aliquando Rex paganus Achis, in quos per illud tempus excurrisset, respondebatque Dauid, *meridiem Iudæ* tiruisse, Mox subjicit sacer Scriptor: *Credidit ergo Achis Dauid dicens, Multa mala operatus est contra populum suum Israel,* ibid. v. 12,

Claudius Rangolius quærit hoc loco, quomodo Rex tam facilè credere potuerit, & tam promptè sibi persuadere, quod eas prædas ex Israëlitis fecisset Dauid, quod de eis illa spolia extorsisset, quod illas cædes, & strages eisdem intulisset, quodque mucrone suo suorum fratrum, & cognatorum iugula petiisset, & non magis crediderit, quod hostiles patrias inuasisset, diripuisset, vastasset, hoc namque facilius creditu erat, quàm quod solus Israëliticus populus, vnumq; tantùm Regnum lueret mala, quæ Dauidi ab infesto Rege Saule inferebantur.

Huic interrogationi occurrit Rangolius in c. 27 1. Reg. to. 2. dicens: *Nec mirum, facilè enim credimus ea, quæ vera esse cupimus. Volebat autem Achis & affligi Iudæos, & ditari illorum spoliis.* Non est cur admiremur, quod Regi Achis vera visa sunt, quæ à Dauide dicebantur, hoc enim passim fit, vt quisque quæ sibi commoda veniunt, facilè credat. Et quoniam barbaro Regi Achis pergratum veniebat, quòd ex Israëlitarum, hostium suorum, spoliis opulesceret, ea propter exemplò credidit, quæcunque Dauid hac de re dixit; nec quidquam illis opposuit. Inuenit Dauid Regem Achis ita comparatum, vt quoduis damnum, atque exitium Hebræis optaret, itaque nullo etiam labore illi persuadere potuit, multa mala intulisse Israëlitis, quibus ille extremam vastitatem illatam intelligere cupiebat. *Facilè enim credimus,*

Facilè credimus, quę vera cupimus.

dimus ea, quæ vera esse cupimus. Idem in nostro casu, & doctrinâ quam versamus, contingit. Quando animum passio obtinet, & odium inuasit, & simultas occupatum habet, & malæ intentionis pestis infecit, tunc leuibus ex causis, & ob futiles ratiunculas vel promptè sibi persuadet calumniam, vel in sinistras præcipitantèr prorumpit suspiciones, & obtrectationes. Nam cui ex passione, & malâ intentione ægrè est, idem ardentèr desiderat vera esse, quæcunque ipse dicit, & loquitur, atque vt malæ intentionis pullus incendiarius præmodùm est dispositus, ita si leuissima modò scintillula in eum incidat, mox inflammatur, & vi magnâ explodit quamcunque contumeliam, & iniuriam, & indubitatè verum habet, quidquid contra eum spargitur, contra quem fouet odia, & coquit simultates, perquàm anxiè, & inhiantèr cupiens verò consentanea esse, quæcunque de hoste dicuntur.

Vidistisne persæpè fieri, quod vna buccea, & quædam breuis apricatio, & aëris quidam lenis aspiritus, & aliæ tales leuiculæ causæ graues, & periculosas pepererunt infirmitates? Quæres, quomodo ex tam leui causâ tam insperatus, & fatalis effectus natus fuit? Respondebunt Medici, tanti mali, & morbi causam non fuisse exilem bucceam, non lenem aërem, non in Sole apricationem, sed illud, quòd corpus iam dispositum esset ad ægram valatudinem, atque inde tam terribilis, & diuturnus morbus subsecutus fuit. Ita communitèr accidit, vt quis ex vno verbulo, risu, gestu, motu, actu arripiat occasionem concitandi seipsum, & stomachandi, & vehementèr irascendi, vt in grauem calumniam, & importunam, querimoniam prorumpat. Quid hoc rei? Fuit ille ante dispositus, malum propositum, hostile odium illi imperauit, idcircò facilè introducta fuerunt ægritudo querimoniæ, infirmitas iniuriæ, morbus calumniæ. Qui sic est comparatus, paulo eget vt succenseat, leuissima occasio illis satis est vt irritetur, & irascatur, & in acerbas calumnias, & nunquàm benè pacatas querimonias effundatur.

Facilè credimus, quæ vera cupimus.

Capvt X.

Sunt quædam tam honorificæ accusationes, & tam gloriosæ calumniæ, vt pro amplâ, & lautâ exceptione admitti, & præclaræ commendationis locò haberi possint,

CAlumniabantur quoque diuinum Patrem Basilium, quòd ducem se constituisset, ac moderatorem virorum illorum religiosorum, qui postquàm generoso animo vitæ huius bona calcârant, & colla suaui obedientiæ iugo submiserant, castitatemque professi fuerant, grata diuinis oculis holocausta se consecrabant. Obtrectabant illi, quod sacris hymnis, & psalmis cùm suis asceticis contubernalibus & perdulces omnipotenti Deo laudes concinebant. Murmurabant, quod modestè incederent, asperè vestirent, parcè comederent, austerè conuersarentur hi, qui cùm Basilium quoddam pœnitentiæ, & adlegendorum Christo militum speculum reputarent, nomina sua illi dabant, vt sub religioso eius vexillo stipendia mererent. Basilius ipse de hâc re sic ait epist. 56. *Psalmos causantur, & modum melodiæ accusamur, & huius, quod homines habeamus monachos pietatis studiosos, qui mundo renunciarint.* Quid verò his accusationibus, & calumniis sacer reus opposuit? Illud: *Ego verò omnem vitam meam impenderem, vt mihi possent ista impingi delicta, haberemque apud me viros, qui me doctore hoc pietatis studium amplexi hactenùs fuerint.* Velut alijs verbis fusiùs dixisset. Quod his criminationibus respondeam, illud habeo, quòd nihil habeo, vt respondeam, sed vt solùm dicam, quòd perlubens vitæ concederem, illudque in maximo lucro ponerem, vt talium criminum perpetuò insimularer. Atque vtinam

Calumniæ quædam sint gloriosa.

nam in conuictu meo haberem viros, qui hactenùs sunt professi rigidum hoc, & austerum institutum, & modum viuendi cum tam euangelicâ contentione, & Apostolicâ perfectione sectati. Itaque sunt nonnullæ incusationes tam præclaræ, & calumniæ tam honorificæ, vt non adducant hominem in periculum infamiæ, sed potiùs illustrem reddant, & gloriosum. Id Rex Atalaricus calamo sui tam prudentis, & cordati Senatoris Cassiodori lib. 9 epist. 4. expressit dicens: *Felix querela est, quando leges pietate superantur.* Optabiliores vel querimonias, vel calumnias nemo expetierit, quàm eorum, qui hoc deplorant, & criminantur, quod legum austeritas suauitate pietatis temperatur, & mitigatur.

Accusationes quædã pro infamiã gloriã adferunt.

Hispaniarum Salomon Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus quærit aliquid, quod ad rem præsentem plurimùm faciet, si responsum illius ad interrogationem accedat. Percontatur magnus hic Doctor, quamobrem Dominus noster, qui in monte pro concione dixerat, *non venisse soluere legem, sed adimplere*, Matth. 5. v. 17. statim vt è monte descendit, obuium leprosum manu prehendit, dixitque velle sanum, & incolumem: *Ecce leprosus veniens adorabat eum, & extendens manum tetigit eum, dicens, Volo, mundare*; Matth. 8. 3. Quid est, quòd tetigit leprosum (sciscitatur nunc Tostatus) cùm in Lege cautum esset, ne quis eiusmodi hominem contingeret, & immundus redderetur, qui contra faceret, quod ex Leuitici c. 12. accipitur? Si venit sacer Magister ad implere legem, & non soluere per id tempus, quare tetigit leprosum, quo fieri poterat, vt illum arbitrarentur immundum, qui absolutum legis non agnoscebant Dominũ?

Christus cur leprosũ tetigit, quod lege prohibitũ.

Huic quæsito satisfacit magnus Doctor q. 12. in c. Matth. 8 dicens: *Etiamsi tangendo incurreretur aliqua immunditia legalis, Christus non curaret de hoc, quia immunditia legales non erant aliqua peccata, immò interdum erat meritorium legalitèr pollui.* Perspicua est, & manifesta huius rei probatio. Nam Textus sacer gloriosam facit commemorationem pietatis, quâ sanctus Tobias defunctorum corporibus extremum deferebat honorem, cùm eorum funera honestæ tradebat sepulturæ de quo Tobiæ 1. v. 20. sic habes: *Mortuis, atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat.* Clarum est tangere eos debuisse, quos tumulis inferebat, ergo quod tunc contaminabatur, & legalem contrahebat immunditiam, id illum gloriosiùs venustabat, maioremque in modum decorabat, & honestabat. *Sepelire mortuos erat opus meritorium,* inquit Tostatus vbi supra, *de quo vnde Tobias laudatur.* Ex his sequitur, esse quasdam accusationes, culpationes, insimulationes, quæ tam procul absunt ab infamiâ, vt potiùs maiorem adferant gloriam accusato, & illustriorem existimationem reo.

Legalitèr inquinari aliquando meritoriũ.

Tobias ex legali immunditiã gloriosus.

Non intempestiuè huc veniet insignis, & profundus Tertullianus, qui pro defensione Christianæ professionis, & Catholicæ philosophiæ disserens, ait, inter alias calumnias, quibus per summum contemptum onerabantur à Gentilibus ij, qui huic solùm veræ Religioni dabant nomen, etiam hæc dicteria audire debuisse: *Qua mulier? Quàm lasciua! quàm festiua! Quis iuuenis? Quàm lasciuus! quàm amasius! facti sunt Christiani.* Tertull. in Apologet. c. 3. Viden' mulierem tam modestam, tam temperantem, tam circumspectam, tam amantem recessus domestici? At nos illam nouimus impudicam, petulantem, effusam, liberam. Viden' iuuenem illum tam pallidum à ieiuniis, tam extenuatum abstinentijs, tam attentum ad verba, tam vigilantem ad opera? At nobis antehàc visus fuit lasciuus, impurus, effœminatus, impotens mulierum amator, & alter quidam Veneris Adonis. *Facti sunt Christiani*; hoc est: vt probrorum, contumeliarum, ignominiarum finem faciamus, hoc vno rem istam absoluimus, quòd ex lasciuis, impuris, effœminatis denique facti sunt Christiani.

Christianũ fieri Gentiles probrosissimũ putabant.

Dicit nunc Tertullianus: *Quos retrò ante hoc nomen vagos, viles, improbos nouerant, ex ipso denotant, quod laudant, cæcitate odij in suffragium impingunt.* Nouerant quosdam barbari Gentiles, qui superioribus diebus licentiùs vixerant, turpemque voluptatem effusè consectati fuerant. Quando dicebant hos factos esse Christianos, eo nomine illos plurimùm criminari intendebant, sed reuerà magnum in modum honestabant, & illustrabant eo ipso, quo obscurare volebant. Nam si eò, quod Christiani facti erant, emendârunt infames vitæ prioris mores, & ex impudicis casti, ex dissolutis continentes, ex auaris liberales, temperantes facti sunt ex luxuriosis, quos de Christianæ fidei susceptâ professione redarguebant, eosdem honoribus cumulabant, & illo nomine plurimùm commendabant, & cohonestabant. Ergo sunt quædam criminationes, & calumniæ, quæ expeti, & optari possunt, ad sensum dictum, nam quando criminatores putant intulisse calumniam, inueniunt dixisse encomium. *Ex ipso denotant, quod laudant, cæcitate odij in suffragium impingunt.* Quàm præclarè dixit profundus Christiani nominis propugnator! *Cæcitate impingunt in suffragium.* Faciebant nempè Gentiles, quod cæci solent, qui sæpe, cùm in cumulum stercoris impingere putant, in aceruum tritici incidunt. Non secùs Gentiles, inquit Tertullianus, faciebant, quando enim reddere lutulentos putabant, reddebant luculentos, immò inaurabant, & quando probrum nobis conflare existimabant, conciliabant gloriam.

Patrocinetur huic assertioni Rex Theodoricus. Speciali quodam decreto suo mandauerat, vt cuidam ex Orientalibus partibus oriundo, cui nomen Tomatius, certa pecunia subsidiaria in singulos menses dependeretur, eò quod omnium quotquot Romæ incitatorum equorum cursu certabant, facilè princeps esset, vt qui nunquàm ex pugnâ sine victoria discederet. Homines, qui ad certamē perfrequentes cōcurrebant, victoris solertiam calumniati, quod tot præmia consequeretur, & tot palmas abriperet, id magicis maleficijs magis, quàm illius industriæ, & sagacitati tribuerunt. Frequentia palmarum eum dici faciebat maleficium. Sed quid ad hæc vrbanus Senator respondet? *Magnum præmium videtur esse, inquit, ad talia crimina venire,* velut aliis verbis dixisset: Calumniam hanc alij, vt volent, interpretentur, ego de eâ sic existimo, non posse esse aliam magis vel illustrem laudem, vel gloriosam opinionem, quàm tale crimen cuiquam imputari. Nam cùm peculiaris solertia, & magno studio comparata industria, & singularis dexteritas esset, quod tàm incitatè currere equis posset, & neque pactum, neque auxilium dæmonum quidquam ad hanc rem faceret, illustris calumnia efficitur, quod quis talem ob rem magnus, aut maleficus appelletur, quando quis nimirùm ingenij sui sagacitate, & celeritate talia operatur, quæ nonnisi dæmonis arte, & ope fieri posse videantur: *Magnum praconium videtur esse, ad talia crimina peruenire.* Ergo quædam male volorum calumniæ sint, & criminationes, quæ magis ornamenta, lumina, decora & dici & haberi merentur.

Calumniæ quædam sunt ornamenta potiùs, quàm quod vocantur.

Redeat huc diuinus Redemptor, & Magister noster, de quo Autor libri Sapientiæ [vt quidem volunt S. Cyprianus de Sion, & Syn. S. Augustinus 17. de Ciuit. c. 20. S. Ambros. 2. offic. c. 6. S. Athanasius, in Syn. Clemens Alexandrinus c. 6. Stromatum, Tertull. lib. 3. cont. Marcionem, c. 22. Lactant. lib. 4. c. 16.] iam olim prænunciauit calumnias, quibus eum hostes illius appetituri, & oneraturi aliquando essent, vt innoxium eius sanguinem fundere possent cùm dicerent: *Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ*; Sap. 2. v. 2. Notandum, quæ hic innoxio, & immaculato

Agno Christo crimina obiectent, nimirùm quod ipsis peccata Legis improperaret, & flagitiosæ vitæ illorum culpas publicè redargueret. Non dicunt falsarij hostes, causam habere Christi interficiendi eam, quòd non obseruaret leges diuinas, non custodiret sanctiones cœlestes, sed hoc tantum in illo criminantur, quod illis sua malè acta in os obtruderet, & tanquàm legis diuinæ transgressores palàm coargueret. Asserere veritates, & redarguere scelera, eorum maximè qui sublimiore in loco sunt constituti, præclarissimum facinus, & magni animi, ac generosi spiritûs indicium est, quod iam alibi singulari periochâ probatum dedimus. Dicere autem, quòd quis mori debeat, & vitâ exui, eò quòd intrepidè accusauit delicta, & redarguit malefactores (*improperat nobis peccata legis*) & hoc vitio dare alicui, quod intrepidum animum ostendit, cùm veritates asseruit, & flagitia insectatus fuit, illustrissima calumnia, & honorificentissima criminatio erit, & quando tales cuiquam imponunt commeritæ mortis pœnam, magnam eò ipso illi conciliant gloriam. Nam vt obseruauit Cassiodorus lib. 5. epist. 28. quædam videntur præiudicia, & sunt commendationes, quædam reputantur damna, & sunt bonæ existimationis lucra, quædam censentur pœnæ, & sunt gloriæ: *Habent hoc gloriosum præiudicium*, inquit ille, *bonarum merita personarum, vt otio torpescere non sinantur qui probis actionibus innotescunt.*

Notate quàm pulchrè dictum, *Gloriosum præiudicium!* Quanquàm enim *præiudicij* vocabulum sonet molestiàm, pœnam, defatigationem, & in Iuris codice non benè audiat, sunt nihilominùs præiudicia nonnulla, quæ non solùm non præiudicant, neque incommodant, aut officiunt existimationi, sed potiùs tam insignes secum adferunt commendationes, vt expeti possint, & desiderari, & nunquàm alicui magis applauditur, quàm cùm illi ad hunc modum præiudicatur.

Transeamus à vaticinio ad veritatem, ad factum à præsagio. Quid criminis obiectabant Christi ingrati, & perfidiosi illi, qui coram tribunali Pilati ipsum dignum morte succlamabant? Ex Notarijs causæ vnum de quatuor audiamus. *Commouit populum, docens vniuersam Iudæam à Galilæa vsque huc*; Lucæ 23. v. 3. Notate culpam, inquit Michaël Ayguanus, de quâ sacrum Magistrum accusant, nempè quòd populum commouit docendo. Potestne verò excogitari maior excellentia, & præclarior gloria, quàm hoc culpitari in Christo, quod populum commouit, traduxit, transtulit? *Nonne magna est commotio*, inquit ille in Ps. 95. *quando quis de ignorantiâ mutatur ad sapientiam, de falsitate ad veritatem, de tenebris ad lucem? Christus autem istâ commotione multos commouit docendo.* Nulla magis portentosa, nulla magis stupenda translatio, quàm si quempiam momento ab inscitiâ ad prudentiam, à mendacio ad veritatem, ab obscuro barathro ad solem, à malâ valetudine ad bonam, ab impuris moribus ad castos, à morte ad vitam prouehas. Id totum sacer Magister suâ cælesti doctrinâ crebrò fecit. Et quando illum accusabant, quòd docendo commouerit, transtulerit, prouexerit, quando hoc in illo culpitabant, non modò illum non infamabant, vel dehonestabant, sed etiam magnificabant & nobilitabant, Itaque commendationem illi procurabant quando conflare dedecus putabant. *Et sic ipsum diffamare volentes laudabant*, inquit incognitus vbi supra & venerabilis Beda in c. 23 Lucæ; *His autem verbis*, commouit populum, *non illum, sed seipsos accusant. Docuisse enim populum, & à pristini temporis ignorantiâ docendo commouisse, talique actu totam terram promissionis perlustrasse, non communis, sed maxima est signum virtutis.*

Christum Iudæi laudabant, cùm diffamare vellent.

Secundùm hæc, quid mirum, quòd noster diuinus Pater tam gaudenter dixerit, tam lætanter asseuerauerit, nihil sibi optatius euenire posse, quàm si to-

tam

tam vitam in eo transmitteret, vt id genus criminationes, & improperia perpetuò audiret? *Ego verò omnem vitam meam impenderem, vt mihi ista possint impingi delicta.* Quid enim gloriosius accidere potuit Basilio, quàm quòd vitio magnanimo huic duci datum fuit, quòd sub Apostolicum suum vexillum reduxit innumeras animas, militiæque religiosæ adscripsit tot viros, ac fœminas qui magno animo huius sæculi pompis renunciantes, Basilicanæ Regulæ austeritate se constrinxerunt, & Apostolicarum illius arctitudinum rigido cingulo se obligârunt? Basilius fuit, qui hoc vnum sollicitè curauit, vt in pulchrum ordinem, ac methodum reduceret rudem viuendi modum venerabilium illorum Monachorum, & religiosorum virorum, qui nullis particularibus legibus adstricti, per incultas illas eremos, & vastas solitudines dispersi viuebant. Hoc est, quod magnus Basilius, cælestibus splendoribus, & diuino Spiritu illustratus fecit. Quòd enim hoc inclyto titulo condecoratur, vt Patriarcha, Primas, Primogenitus Ordinum religiosorum appelletur, id tali sensu accipiendum, qualem expressimus. Et quod fons Monastici Instituti vocatur, id etiam eo modo dicitur, quo fons dicitur ille, qui in foro aquas fundit, quanquàm alibi habeat suam virginem. Nam quia diuinus Pater religiosam vitam cœpit decurrere modo quodam proprio, ad certam regulam & methodum, cum singularibus cæremoniis, & ritibus diuini officij, & cantu psalmorum, & fuit primus, qui trium votorum professione ascetas suos ad perfectionem euangelicam adstrinxit, quod suprà diximus, & probatum dedimus, eapropter vocatur fons, origo, & principium Ordinum religiosorum, non obstante, quòd intrinseca illorum essentia, & radix à Christo, eiusque Apostolis dimanet, ac deriuetur.

Hoc attendens magnus Basilius gloriari in Domino, & dicere potuit, quod Augustus ibi vanè, insolentèr, iactantèr-que de se prædicabat, de quo Suetonius Tranquillus in Augusto c. 29. *Vrbem excoluit, adeò vt iure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset.* Quantò iustiùs hæc applicari possunt Basilio, si paucis tantum mutatis sic ea efferas: *Monasticam vitam excoluit, adeò vt iure sit in Deo gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset!* Vtique gloriari in Domino potuit Basilius, quòd vitam Monasticam ita ordinauit, composuit, dispósuit, vt cùm rudem, informem, impolitamque accepisset, in talem methodum digesserit, tamque æneam, marmoream, & adamantinam reliquerit, vt constans perseuerauerit, firmaque, & stabilis permansura sit in finem mundi supremum, & vel maximè ea, quam Basilius instituit, & Ordo illius. Nam si ita est, vt vult P. Magister Fr. Fulgentius de. Ouiedo de Rep. Regul. c. vnico, q 5. n. 27. p. 2. quod *Monachales Religiones (loquendo absolutè, & secundùm se) perfectiores sunt Mendicantibus, & omnibus aliis Militaribus, & similibus,* quod Assertum singulari ingenio, & eruditione probat, nostra Religio (quam Clemens VIII. in speciali Bullâ legitimam, & veram Monachalem esse declarauit) facilè nobilissima, illustrissima, & princeps erit, quæ quod & prima sit, & Monachalis, ab omni parte nobilis est, & generosa, cum sit prima habens omnes qualitates, & requisita necessaria ad hoc, vt sit legitimus Ordo, & vera Religio, vt affirmant Fr. Basilius Ponce de Leon, P. F. Ioannes Marquez, D. F. Antonius Perez: Yepes, Pineus, Cardinalis Bellarminus, Thomas Waldensis, Miranda, Coria, Suarez, Valerius Gimenez, & alij multi, quos reseruo historiæ, quam Deo benè volente, de iure publico contexam. Hac vice patrocinetur nobis autoritas suprema sanctissimi Patris Pauli V. felicis recordationis, qui in speciali quodam Breui, & Apostolicâ Bullâ de Anno 1606. die 17 Martij sic pronuntiat: *Cùm itaque sicut accepimus, felicis recordatio-*

dationis Gregorius XIII. prædecessor noster animaduertens Ordinem S. Basilij cæteros omnes Regulares antiquitate præcedere, ac ex eo Dei Ecclesiam, Christianamque Rempublicam ab ipsius Ordinis initio vberes fructus recepisse &c. Quid apertiùs? *Accepimus, quod Gregorius XIII, animaduertit Ordinem S. Basilij cæteros omnes Regulares antiquitate præcedere.* Neque multum est, quòd ego typis expressum edo, quòd suprema autoritas asseuerat, quodque mea sacra Religio præclaris insignibus, & inclyto titulo Primatus omnium Ordinum illustretur, & condecoretur.

AQVILA IVLIANVS PHOENICI BASILio scribit, vt se inuisat, suæque gratiæ, & amicitiæ oblatione illum inuitat, hi verò cum risu & morositate istius blandimentis, & promissis respondet.

Basilij collega studiorum Iulianus.

IN Atheniensium insigni Vniuersitate concurrerunt, studiorumque collegæ fuerunt Basilius, Nazianzenus, & Iulianus, cùmque hic tunc experiretur in dolem eximiam, & singulare ingenium Basilij cum amabili quâdam morum facilitate, & suauitate coniunctum, postquàm impius Princeps Imperialem thronum inscendit, adlaborauit vt eum in amicis, & gratiosis intimis, atque à latere proximum haberet. Refert Baronius ad Annum domini 362. num. 6. to 4. Itaque blandas, & beneuolentiæ plenas literas ad illum dedit, quibus verborum aureorum nuncium appellat, iubetque abrumpere moras, & quàm festinantissimè ad se venire, & hoc sibi persuasum habere, quòd secum non vt cum Imperatore, sed tanquàm cum familiari, & intimo amico conuersaturus sit, eò quod cuperet ipsius colloquio, & consuetudine duras mitigare seruitutes, quibus inuiolabili fato addicta, & adstricta sunt Imperia, & Principatus. Atque vt illum magis deuinciret, addit, velle mittere currum, & satellitium, famulosque. qui per viam obseruirent, sic vt de illorum officiis arbitrari omnes possent, quàm carus, & gratiosus esset Cæsari Basilius.

Basilius à Iuliano ad Aulam, & intimam gratiam inuitatus cõtemnit.

Verùm quid his apostatæ Principis promissis & blandimentis diuinus Pater respondet? Quid effecerunt literæ tam & amabiles & optabiles? Id quod in firma rupe fluctus maris. Nam responsum illi tam acidum, & morosum remisit, vt dixerit, nunquàm cognouisse hominem magis deridiculum Imperatore Iuliano, quique minùs ingenio, & iudicio valeret. Addidit, in præcelso illo, subli-

ſublimique throno ipſum (Deo ita permittente) à capitalibus humani generis hoſtibus collocatum, vt ſauguinarium hominum flagellum eſſet, tantoque horrore percelli animum ſuum, quotiès ſecum reputaret, tam impium & execrabilem virum Imperiale manibus præferre ſceptrum, vt ea cogitatio illum in confinia inexorabilis mortis & ſupremum cum illa agonem adducat. Meminiſſe quidem, quod ſimul Athenis operam literis dederint, non propterea tamen cogi debere ad frequentandam ipſius Aulam, & ſæpiùs adeundum Palatium, funeſtum quoddam nefariorum ſpirituum diuerſorium. Hæc, & alia plura ad hunc modum cum admirabili conſtantia reſpondit diuinus Baſilius truculento Catholicæ religionis perſecutori, atque ita de vanis mundi pompis gloriose triumphauit, vt qui cum generosâ magnanimitate, riſu, & ſubſannatione aſpernatus eſt currus ſatellitia, Palatium, & gratiam Imperatoris, qui totum mundum ſubiectum habebat. Et non impegiſſe, non offendiſſe, vbi tam multi ſunt lapſi, fuit denuò ſibi compâraſſe rari Phœnicis heroica inſignia.

PHOENICIS GRÆCIÆ S. Baſilij Magni,

LIBER V.

CAPVT I.

Velut Angelus quidam è cælo æſtimari debet, qui nos ad Chriſtiana certamina inuitat, & tanquàm infernalis dæmon reſpici, qui nos ad luxurioſa, & intemperantia conuiuia vocat.

Conuiuia luxurioſa offerens pro dæmone habēdꝰ

QVis tale quid ſibi imaginaretur ? quis crederet, quod Imperatori nunciũ mittenti, & hominem aliquem priuatum ſuæ gratiæ, & amicitiæ (ad quem tam vehementèr humana anhelat ambitio) oblatione inuitanti tam ſe moroſum & dedignabundum Baſilius exhiberet, eiuſque Cæſareis, & imperioſis blandimentis hoc ſolùm reſponderet : *Horrore equidem concutior* (ita fecit Baſilius epiſt. 1. ad Iulianum) rigidus per venas pauor diſcurrit, & hirtæ diriguere

Baſilius à Iuliano inuitatus cohorruit

comæ, cùm mihi pectoris tui intima, & ſedem tuæ proximam detuliſti, & hæc tam blanda ſcripſiſti : *Certè amicus ad amicum venies* (Iulianus epiſt, 25.) qui te vnicum cordis ſui arcanorum, & ſecretorum omnium conſcium faciet ? Ergone id horrore perfundere Baſilium potuit, quod illi magnificum Palatium, & lautitia menſarum, & conuiuiorum luxus, & curruum regiorum copia offerebantur ? Potuit. Nam Baſilius Religioſus erat, & inſolitudinibus cathedram moderatus fuerat, ex quâ fraudes detegebantur, agnoueratque quàm ſint fragiles, & caducæ humanæ pompæ, & quod æterna ſola expetēda, arctitudineſque, & auſteritates eſſent ſcalæ, per quas daretur ſecurus ad gratiam abſoluti Imperatoris Dei aſcenſus. Cùm ergo ad voluptariæ vitæ delicias, ad carnis, & ſanguinis inconceſſa oblectamenta vocaretur quid magnum, quod ſucclamabat, *Horrore concutior ?* Quid mirum, quòd illum, qui inuitabat, tanquam ferum quendam cacodæmonem reſpiciebat ? Tales nimirùm debemus reputare omnes,

nes, qui nos ad mundanas delicias, & vanas voluptates, & caduca delectamenta vocant, tamque vehementèr ab ijs abhorrere, è contrà verò tanquàm è cælo ad nos submissos Angelos venerari, qui nos ad vitæ arctioris studia, ad pænalium operum exercitationem, ad conflictus contra carnem suscipiendos, eiusque liberas appetitiones cicurandas, & perdomandas exhortantur.

Ad arctioris vitæ consuetudinem qui vocant, vt Angeli colendi.

Dicendi materiam cuicunque ministrabit hoc, quod stomachosus Dominus ait ad Petrum: *Vade post me Satana scandalum es mihi*; Matth. 16. v. 23. Quid sibi vult, quod diuinus Magister, qui Petrum paulò ante glorioso Beati titulo donârat, dicens: *Beatus es Simon Bar Iona*; ibid. v. 17. nunc tam acritèr reprehendit, vt Satanam, scandalum, offendiculum suum illum vocet? Vt huic dubitationi respondeam, notare causam, quæ cœlestem Magistrum, vt sic loqueretur, permouit. Dixerat ille Discipulis suis, oportere illum ire Hierosolymam, atque ibi subire diuersa opprobriorum, & tormentorum genera, eaque per Scribas, & Seniores, & Iudæorum Principes procuranda: *Iesus cœpit ostendere Discipulis, quia oportet eum ire Ierosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus sacerdotum*; ibid. v. 21. Cùm talia audiuisset, tanquàm qui Magistri sui partes ageret, majoreque pietate, & charitate ergà illum flagrare videri cuperet, cœpit vestem illi vellicare, & cum iurgio quodam dicere, tam indigna nequaquàm illi accidere debere: *Et assumens illum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit à te, Domine non erit tibi hoc*; ibid v 22 Quando ergo Redemptor sensit à Petro sibi vellicari vestem, audiuitque suaderi fugam passionis, & impedimenta obiici, ne tormenta, & crucem subiret, tunc illum diro Satanæ nomine perstrinxit, dicens: *Vade post me Satana*; vt eâ nos actione doceret, talique exemplo instrueret, quòd eum, qui nos vult abstrahere ab angustâ semitâ passionis, & abducere à sacrâ viâ Crucis, à nobis repellere debeamus, velut quidam cacodæmon, & Satanas, & capitalis hostis esset. Non est mea hæc obseruatio, Nouarinus, & Palatius ante me id annotârunt. *Aduersarium vocat eum, qui se conabatur amicum ostendere, Satana, & aduersarij nomen merentur, qui à duris, asperisque nos auocant, ea consulunt, ad quæ caro ipsa inclinat* Hæc Nouarinus in c. 16. Matth. & Palatius in idem c. ista: *Docuit contemnere omnem affectum, & amicitiam eius, qui in via virtutis offendiculo nobis fuerit. Immò verò diabolus habendus erit ille, qui sicut Petrus crucem à nobis auertit.*

Petrus Satanas a Christo dictꝰ, quia illum à passione absterrere volebat.

Vitæ laxæ suasores qui sunt, dæmones censendi.

Non minus notatu digna est appellatio, de quâ diuino Præcursori suo Reparator orbis tanto ante prouiderat. Titulum autem Angeli illi præparârat, prænuntiâratque per os Malachiæ prophetæ, & suo proprio pronunciauit Dominus, quando illius laudes celebrans aiebat: *Hic est, de quo scriptum est, ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam*; Matth. 11. v. 10 Marci 1. v. 2. Luc. 7. v. 27. Ergone Angeli nomine donatur Baptista? Sed cur Angelus dictus? Quid dixit, & fecit Baptista, quando venit parare vias Domini, & semitas Dei nostri, vt à Mundo admitteretur, & exciperetur? Sacri Chronologici id exponent. *Venit Ioannes prædicans in deserto pœnitentiam agite*; inquit B. Matthæus 3. v. 1. & 2. Omnis illius hortatus, & vociferatio eò ibat, vt omnes ad austerioris vitæ studia adduceret, quia & ipse totus in asperioris vitæ exercitationibus, & rigidis pœnitentiis erat, Sadducæosq; & Pharisæos *progenies viperarum* appellabat. In sacris Scripturis vocare aliquem Angelum, perinde est, atque amabilis, tractabilis, facilis, & humani existimationem illi conciliare. Luculenta exempla rem hanc apertam, certamque facient. Rex Achis Dauidi aiebat: *Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei*; 1 Reg. 29. v. 9. Et prudens illa Thecuites dicebat eidem: *Sicut Angelus Dei, sic est Dominus meus Rex,*

Ioannes Angelus dictus, quia pœnitentiam suadebat.

Angelos vocat Scriptura, quos comes vult dicere.

2. Reg.

2.Reg. 14. v. 17. At cùm Baptista prædicaret pœnitentiam & vitæ genus asperioris sectari suaderet, & in reprehendendis peccatoribus durus, & acerbus esset, quomodo vocatur Angelus, quomodo suauis, humanus, lenis, amabilis rectè dicitur? Quomodo Angeli nomine condecoratur, quando ad oppugnandam carnem, & appetitus illius debellandos hortatur? *Ecce ego mitto Angelum meum*, qui hoc vel vnicum, vel potissimum habebat suarum concionum argumentum, *Pœnitentiam agite*. Hoc nomine insignitus Baptista per id tempus fuit, quo pœnitentiam prædicauit, & vitia acribus obiurgationibus seueritèr perculit, vt intelligeremus, quod velut dæmon æstimari, & Satanas censeri debet, quisquis ab asperitudine pœnitentiæ retrahere, & ad solutioris vitæ licentiam, ad delicias vocare studet ita ex aduerso Angelum reputari debere eum, qui nos ad vitæ asperioris vsum allicit, & austeræ pœnitentiæ exercitationem persuadet, & duram Crucis viam tenere, ac terere monet: *Ecce ego mitto Angelum meum.*

Vitæ laxæ suasores qui sunt, dæmones censendi.

Ioannes Angelus dictus, quia pœnitentiam suadebat.

Possumus item hic sciscitari, quid causæ sit quod Dominus noster ore suo, Paulus calamo dies cum nonnullâ contumeliâ perstrinxit. Et Dominus quidem Matth. 6. v. 34. ait: *Sufficit diei malitia sua*; Paulus verò Ephes. 5. v. 16. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*. Guilielmus Pepinus to. 4. Serm. 51. quærit istud: *Cur non dicit Magister, sufficit nocti malitia sua, & similitèr Discipulus*, Redimentes tempus, quoniam noctes malæ sunt? Cur ambo diebus potiùs, quàm noctibus malitiæ notam inusserunt?

Dies Christus & Paulus malos vocârunt, Cur?

Huic dubitationi satis faciet Propheta regius, qui diei, ac noctis diuersa officia recensens ita canit: *Dies diei eructat Verbum, & nox nocti indicat scientiam*; Ps. 18. v. 3. hoc est, dies prior posteriorem denuntiat, & nox præcedens sequentis est index. Notoria res est, quod literis sacris paritèr ac profanis dies clarum symbolum est prosperitatis, felicitatis, affluentiæ, quâ in hac vitâ gaudemus, nox autem typus aduersitatum, ærumnarum, miseriarum, quas patimur. Id obseruârunt Pierius Valerianus, Antonius Brixianus, Berchorius, Lauretus, Geminianus, S. Gregorius Magnus, quem sequuntur Beda, Hugo Cardinalis, Iacobus de Victriaco, & alij multi. Dicit nunc Dauid: *Dies diei eructat Verbum*, & alius alium denunciat, & nox vna est velut index alterius: *Nox nocti indicat scientiam*. Hic videntur alternari vices, & variari ministeria. Nam cùm diem nox sequatur & nocti dies succedat, dies noctem, & nox diem indicare meritò deberet. Sed quid agit dies? Non ille noctem annuntiat, sed diem alium, & nox non diem, sed noctem alteram indicat. Dicunt nunc Magister, & Discipulus, Christus, & Paulus: Ingens est dierum malitia, *dies mali sunt*, abominabiles sunt, & detestabiles, nam cum noctem indicare deberent, indicant diem: *Dies diei eructat Verbum.* Vt hinc accipiamus, quòd malus censendus, & pro cacodæmone habendus, qui instar diei alium nobis diem denunciat, hoc est, de solis prosperis nobis loquitur, sola blanda suadet, deque solis illecebrosis deliciis agit. Secùs ac noctes: *Nam non nocti indicat scientiam.* Et qui pro noctis more atras nobis ærumnarum patientèr tolerandarum noctes denunciat, qui ad aspera pœnitentiæ opera tractanda exhortatur, ille loquitur, quod Deo placet. Et hanc ob causam tot mala dicuntur diebus, & consequentèr noctes tam vehementèr prædicantur, quia contrariorum eadem est ratio, vt habet quoddam Aristotelis pronunciatum.

Dies symbolũ prosperitatis, nox infelicitatis typus.

Cœcus quidam nos ducat, vt nouum subiiciamus Asserto nostro fulcimentum, qui tametsi viam nobis præeat, potiùs in rem incidemus, quam quærimus, quàm in periculum, quod nolumus. *Video homines velut arbores ambulantes*, dicebat quidam Marci 8. v. 24. cui Saluator arcanâ suâ potestate tenebras cœcitatis sensim depellebat, & amabile oculorum lumen

Angelos vocat Scriptura, quos comes vult dicere.

lumen reponebat. *Video homines velut arbores.* Pulchra, & commoda causæ nostræ visio! Cùm hyems, in sacris literis, sit caducæ huius vitæ symbolum, vt aiunt S. Hieronymus, Innocentius III. S. Bruno, Hugo Victorinus, & alii plures, sciscitari ex solerte naturalis historiæ parente Plinio possumus, qualem optare arboribus hyemem debeamus, vt per eam illæ verno tempore magis proficiant, & augescant. Respondet Plin. lib. 17. c 2. *hyemem Aquiloniam esse omnibus satis vtilissimum.* Aquilo vehementissimus ventus est, & niuosus, & frigidus, & tempestatum turbulentus excitator. Hyemem, quam eiusmodi ventus crebrò perflat, commodissimam esse arboribus affirmat Plinius, qui & subdit ibidem: *Ergo qui dixit, hyemes serenas optandas, non pro arboribus vota fecit.* Virgilius ille fuit, quem hic carpit Plinius, quod malè pro arboribus precatus fuit, cùm hyemem expetendam dixit, cuius sudum sit cœlum Transeamus nunc ad mysticum illius cæci dictum: *Video homines velut arbores.* Qui arbori, qui homini Christiano optat hyemem serenam, vitam delitiarum, & voluptatum carnalium plenam, *non pro arboribus vota facit*, non ille arboribus sua incrementa, & profectus desiderat, non aliquid boni optat, non benè precatur, nam *hyemem Aquiloniam esse, omnibus vtilissimum* rigidam, asperam, gelidam, turbidam esse oportet hyemem, per quam futurum, vt crescant arbores, & plantæ, sataque omnia adolescant. Ergo qui arbori, homini Christiano, inquam, optat asperam hyemem, hoc est, duram pœnitentiæ exercitationem, & setosi cilicij gestationem, & ieiunij arctam obseruantiam, & crucis duros amplexùs persuadet, ille *pro arboribus vota facit*, ille, quæ arboribus commoda, & vtilia sunt, precatur, ille velut quidam è cœlo Angelus est, nam Angelus, & Dei nuntius censendus est, qui duros cum carne conflictus suadet, vt è contra dæmon putandus, qui nobis serenas hyemes optat, & ad fallaces delitias, & transitorias oblectationes, & vanas fragilis huius vitæ voluptates inuitat. Quid mirum ergo, quod S. Basilius cohorruit, & velut ad conspectum cacodæmonis expauit, ac diriguit, dicens: *Horrore equidem concutior*; quando ab apostatâ Principe ad huius vitæ luxum, & oblectamenta inuitabantur, quando Aulam sectari, & vitam, qualem Palatini solent, ducere rogabatur, quando hoc illi deferebatur, vt intimus esset profani Imperatoris, & omnium arcanorum illius conscius, & dicebatur: *Certè amicus ad amicum venies?*

Hyems aquilonia arboribus vtilissima.

CAPVT II.

Ingenuus, & verus Dei seruus indolem Pauonis refert, non autem Leonis proprietates exprimit.

Verus Dei seruus Pauonem imitatione exprimit, non leoné.

NOn miror, quod ita exhorruerit, & expauerit Basilius, quando illi Iulianus Imperator aulam suam, & familiarem amicitiam offerebat: Erat namque verus Religiosus, & solers Dei seruus, & quicumque gloriæ ducunt, quod sunt ingenui, & synceri serui Dei, ij contemni magis appetunt, quàm celebrari, auidiùsque insequuntur occasiones mortificationum, quàm laudis, & honoris, eaque re imitantur mundi Reparatorem, in quo percommodè ad præsentem causam mansuetus Leo Papa Serm. 1. de Epiph. c. 2. obseruauit, quod *Bethlehem elegit natiuitati, Ierosolymam passioni.* Quo loco natus est Christus Redemptor noster? Rectiùs sentientium opinio habet, in recondita, & abstrusâ specu natum. Ita sentit venerabilis Beda, Iustinus Martyr, SS. Epiphanius, Hieronymus, Nyssenus, & Origenes apud Barradium to. 1. in Euan. l. 8. c. 15. Sanctus Hieronymus sic ait: *Quo sermone, qua voce tibi possumus Saluatoris speluncam exponere?* Itaq; nasci Dominus in profundo, & obscuro antro voluit,

Christus Bethlehé nasci, mori Ierosolymis voluit.

voluit, denasci in edito, & sublimi monte, vt aiunt Euangelistæ, ex quibus Matthæus c. 27. v. 33. sic habet: *Et venerunt in montem, qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus.* Et Simon de Cassiâ lib. 13. in Euangelia ita scribit. *Totus patefactus in aëre expirauit:* Excelso in ligno, eminente in patibulo prorsùm nudus, & deopertus pendebat ob oculos innumeræ multitudinis hominum, qui ad tragicum, & nunquàm ante visum spectaculum cócurrerant. Quamobrem verò, cùm nasceretur, intrà reconditum antrum se abdidit, morti autem patentissimum excelsi montis locum delegit, in quem, quòd solennis festiuitatis dies esset, plurimi ex omnibus populis & nationibus homines confluxerint, vt diuinum Reum viderent? Videte quid dicant Euangelistæ. In monte, vbi moriebatur, omnia pœnarum, & probrorum plena erant: *Et prætereuntes blasphemabant eum*: Matth. 27. v. 39. In antro, vbi nascebatur, omnia laudibus personabant: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus*; Lucæ 2. v. 14. Itaque cùm in monte nihil præter vituperia, improperia, blasphemias audiretur, *totus patefactus in aëre expirauit*, & omnibus se conspiciendum Dei filius exhibuit: Verùm in speluncâ, vbi gloria prædicabatur, vbi nil nisi encomia decantabantur, se abdidit & abscondit, vt indicaret, quod veri filij Dei fugiunt laudes, ac si essent vituperia, irrisiones verò, & contumelias insectantur, ac si essent plausus, & elogia. Et hanc ob causam diuinus Magister *Bethlehem praelegit natiuitati, Ierosolymam passioni.*

Christus in abstrusâ specu natus mortuus in patente mōte. Quid ita?

Laudes fugiūt sancti homines.

Opportunè hùc venient verba quædam Ieremiæ, quibus Dominum inducit, hæc ingrato suo populo dicentem? *Nunquid auis discolor hæreditas mea mihi?* Ierem. 12. v. 9. Hebræus textus sic habet: *Nunquid hæreditas mea Pauo mihi?* hoc est: Fortean populus meus facit, quod Pauo solet, quem ego tam variè, ac venustè depinxi? Quid habet Pauo proprietatum, quod ille populus non fuit imitatus, vt Domino placeret? S. Petrus Damianus lib. 2. epist. 11. id expressit his verbis: *Pullinos, & velut ignobiles pedes præ oculis semper habet, insignem verò caudæ pulchritudinem post se spectabilem præbet, videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in caudâ, quod eum admirabilem reddat.* Coronata auis, quam diuinus pictor tam varijs coloribus, conuenustauit, habet duo, quæ plurimùm differunt, nempè fœditatem pedum, & decorem caudæ. Quod fœdum in illo, id se oculis semper offert, quod pulchrum, latet oculos. Quod illum contristare, aut certè reddere humilem potest, id semper coram habet, vt videre queat, quod illum inflare, superbumque facere potest, id à tergo habet. Itaque quod laude, vel plausu dignum, id natura in tergum obliuionis locum reiecit, quod deforme, & vituperatione dignum, hoc oculis, memoriæ loco, exposuit. *Videt in pedibus rusticum aliquid, quod despiciat, ignorat in cauda, quod eum mirabilem reddat.* Dicit nunc Deus: *Nunquid auis discolor,* aut Pauo *hæreditas mea mihi?* Minimè. Quid ergò? *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua*; ibid. v. 8. Quid agit leo? Quod Petrus Berchorius, Bartholomæus Anglicus, Pierius, & Geminianus aiunt, estque istud. Quandò illum in syluâ persequuntur venatores, si videat actorum suorum, & ignauiæ testes præsentes, incitat seipsum, & venabulo se fortitèr obijcit: Si verò notet, neminem adesse, qui pusillanimitatem obseruare, & indignam animalium Principe inertiam efferre in publicum queat, pauido ceruo, & timido lepore velociùs aufugit, Itaque tunc leo fugit, cùm vituperationis occasionem fugit, quia laudis auidus est expetitor, & consectator. Quod ergo Dominus ait: *Hereditas mea facta est mihi quasi leo,* non quasi auis discolor Pauo, perinde est, ac si apertiùs dixisset, populum suum, qui Leonis, non Pauonis factus erat similis, non esse suam hereditatem, non contrahere

Pauo ignobiles pedes præ oculis habet, admirabilem caudam ignorat.

Leo fugit, si testes suæ ignauiæ non habeat.

cum illo cognationem, non esse ex filijs, nam qui sunt legitimi filij Dei per gratiam, & veri illius serui, ijdem sunt reales Pauones non hypocritæ Leones. Non vt Pauo obliuiscitur, quod habet admirabile, & semper intuetur, quod ignobile est, & contemptibile, & Leo è contrà magnanimum se ostentat, cùm videri aduertit, vt ignauiæ notam euitet: Ita filij Dei quærunt occasiones humilitatis, & mortificationis, & fugiunt ambitum laudis, quemadmodùm hypocritæ plausuum occasiones anxiè indagant, & fugiunt omnes id, ex quo vilescere, & existimationis qualemcunque imminutionem incurrere possunt. Dicit nunc eminentissimus Cardinalis Damianus vbi suprà: *Imitare naturalis in Pauone diuersitatis exemplum*; hoc est: Si verus, genuinus, ingenuus Dei filius vis videri, Pauonis indolem exprimere stude, Leonis conditiones fuge. Appositè huc veniet, quod de Gentium Apostolo Paulo, & sancto Barnaba illius socio B. Lucas refert Act. 14. v. 20. dicens: *Cùm euangelizâssent ciuitati illi* (Derben) *& docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam.* Eone redierunt? Quid ibi illis acciderat? Paulus ibi lapidibus appetitus, tantumque non omninò extinctus fuerat, de quo ibidem S. Lucas iterùm sic habet: *Superuenerunt autem quidem ab Antiochiâ, & Iconio Iudæi, & persuasis turbis lapidantes Paulum traxerunt extrà Ciuitatem, existimantes eum esse mortuum.* Chrysostomus in hæc Lucæ verba sic disserit homil. 31. in Acta: *Nusquam dicit, quòd reuersi sunt, vbi signa fecerunt, sed vbi meruerant pro nomine illius ignominiosi haberi. In ciuitates omnes redierunt, in quibus periclitati fuerunt.* Cur hoc fecerunt Apostoli? Quia cùm essent veri filij Dei, & ingenui, synceriq; illius serui, fugiebant plausus, & quærebant improperia, ideoque nunquàm redibant ad ciuitates, vbi splendicauerant miraculis, sed ad ea potiùs loca vbi obscurati fuerant probris, de honestati contume-lijs: *Nusquam dicit, quod reuersi sunt vbi signa fecerunt, sed vbi meruerunt pro nomine illius ignominiosi haberi.*

Paulus amabat frequentare loca, vbi periclitatus fuerat.

Nobilis confirmatio huius veritatis erunt duo, quæ Danieli acciderunt. Cùm barbarus Rex Nabuchodonosor mortis sententiam pronuntiâsset contra Danielem, & socios illius, nisi ipsi omnium quoddam suum, vnàque mysterium illius declararent, tunc Daniel Arioch principem militiæ Regis, cui sententiæ executio demandata erat supplex obsecrauit: *Introduc me in conspectu Regis, & solutionem Regi narrabo*, Dan. 2. v. 24.

Richardus à S. Victore lib. 1. de erudit. interioris hominis c. 15. part. 1. quærit istud. *Quid, quæso, hoc loco ab alio se introduci petit; qui jam superiùs ante Regis conspectum per semetipsum intrauit?* Quamobrem nunc patronum adhibendum putauit, vt peruenire ad Regem posset, qui paulò ante ingressum sine alienâ ope inuenit? Satis faciet quæsito Richardus, cuius sunt ista ibid. *Superiùs intrauit, vt Regi supplicaret, hic verò vt Regem doceret, illud fuit humilitatis, magnæ sublimitatis, magna, inquam, sublimitatis fuit illud, docere Regem, quod ab alio nemine poterat didicisse.* Quod Daniel primâ vice intrauit ad Regem, eiusque colloquium, per seipsum, id factum, quia intrauit, vt Regem supplex obsecraret, fuitque actus submissionis, & humilitatis: *Daniel ingressus rogauit Regem*, ibid. v. 16. Posthæc verò intrauit, non vt quid peteret, sed vt Regi aperiret arcanum, quod indicare alius nemo poterat. Primum humilitatis, alterum magnificentiæ opus fuit. Daniel propheta ergo tanquàm verus Dei filius, & seruus ad officium humilitatis ipsius sine alieno adminiculo iuit: *Ingressus Daniel rogauit*; ad opus verò gloriæ ab alio introduci voluit; *Ad humilitatis obsequia libentèr seipsum ingessit, ad celsitudinis officia impudentèr se ingerere declinauit.* Hoc scilicet proprium est filiorum Dei, fugere plausus tanquàm terribiles dracones, & ad vi-

Daniel ad regê perseipsum ingressus, posthæc introduci petiit. Cur?

Daniel ad humilia obsequia seipsû ingessit, non sic ad officia gloriosa.

ad vituperia properare, quemadmodùm ceruus festinat ad fontes aquarum.

Sic enim sanctus Ioannes Chrysostomus in illud 2. Corinth. 11. *Vtinam toleràssetis*, tomo 4. ait: *Ea Sanctis est consuetudo, quod perperam fecerunt quotidie reprehendunt, deplorant, omnibusq; ob oculos ponunt, quod autem ingenuum, & eximium, abscondunt, & obliuioni transmittunt.* Sanctorum solennis condicio est, & constans proprietas, vt ipsi peruulgent, si quid fortè egerunt, quod diuinæ parum sit consentaneum legi, abscondant verò, & æternâ, si possunt obliuione sepeliant, si quod egregium, & memoriâ dignum facinus ediderunt. Nonne videtis, quàm benè conueniat Chrysostomo cum Damiano, & quàm insignitèr serui Dei referant conditiones filiorum illius? Pauones reuerà sunt, qui quod celebre habent, id in tergum reijciũt, vt ab humanis obtutibus occultent: *Ingenuum, & eximium abscondunt*, si quid reprehensione dignum admiserunt, *omnibus ob oculos ponunt*, & orbis theatro visendum offerunt, vt errata illorum omnibus innotescant. Bonus ergo est hic lapis Lydius, quo dignoscere possis veros humiles filios, & seruos Dei, quorum hæc est præcipua, & singularis nota, quod laudis quidem fugiunt, vituperiorum verò, & contumeliarum quærunt occasiones.

Sancti sua bona occultant, mala produnt, & deplorant

Daniel ad regẽ per seipsum ingressus, posthæc introduci periit. Cur?

CAPVT III.

Vero humili nullus acerbior cruciatus, quàm honor, & laude nullus atrocior, intolerabiliorque equuleus.

ITane verò tam aculeatè, tam accidè, tam asperè, & dentatẽ respondet Basilius Imperialibus Iuliani literis, vt dicat: *Horrore equidem concutior*, gelidus per venas timor discurrit, dum literas tuas lego! Vnde tantus natus horror? Vnde iste profectus terror? Vnde? Ex laudibus, quibus illum deprædicat, ex honoribus quos illi offert. *O nuncium verborum aureorum*, dicit illi epist. 25. Addit: *A nobis honestè, & vt decet, dimitteris.* Adiungit prætereà videndi illius cupidum esse, propter sapientiæ, & doctrinæ præstantiam: *Verumtamen vt intelligeres multo magis tuum conspectum, sapientis scilicet hominis, nobis profuturum, hæc scripsi.* At si illum tam magnificè de prædicat, si exquisitis laudibus tam sublimitèr extollit, quomodo non tremeret, non exhorreret, non obstupesceret Basilius, ille tam amans recessûs, tam cupidus latendi, & humilis? Si illum honorum lapidibus obruit, si laudum flagellis cædit, quid mirum, quòd asperè respondeat, & morosè rescribat? Nam vero humili honor omni alapâ pœnalior, nec aliud atrocius flagellum, quàm laus, & commendatio. Ita dixit S. Ignatius epist. 3. *Qui laudant, flagellant me.*

Daniel ad humilia obsequia seipsũ ingessit, non sic ad officia gloriosa.

Humili laudatio dura alapa

Guilielmi Pepini obseruatio est, quòd Redemptor mundi, & Magister noster bis tergum populo obuertit, & ab illo se abscondit, vt est apud S. Ioannem. Dabat quondam hostibus suis rationem doctrinæ suæ, & operum, aiebatque se esse veri Dei filium, & patre Abraham plurimùm antiquiorem, quem quà Deus totâ æternitate superabat. Cùm hæc, & alia ijs similia illi audirent, furore cæco perciti *tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Ioan. 8. v. 59. vt saxis fœcundissimum granum ex terrâ fertilissimâ natum obruerent. Quid tunc modestus, & pacatus Dominus egit? *Abscondit se, & exiuit de templo*, ibid. Alibi insignitum illud, & stupendum panum, & piscium multiplicatorum miraculum fecit. Expenderunt suis ponderibus prodigiosum illud opus conuiuæ, qui viderent, & famam suam illis panibus ac piscibus depulerant. *Iesus, ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus.* Ioan. 6. 15.

Cùm hanc Domini actionem, & verba, quibus eam Euangelista narrat, secum reputaret Pepinus Serm. 35. to. 3.

 sic ait:

Humilis plus honores, quàm lapides horret.

sic ait: *Notandum est, quia cùm vult lapidari, abscondit se, & exit, at verò cùm vult rapi, & fieri Rex, abscondit se, & fugit, quia nimirùm humilis plus horret honores, quàm lapides.* Cùm saxa intentarent Christo Iudæi, non fertur fugisse, sed tantùm se occultâsse, at quando illi sublimes apparabant honores, quando illum in altum euehere solium cogitabant, tunc non solùm se abdidit, sed etiam fugâ abripuit: *Fugit in montem*; maioris autem timoris, & acrioris metus indicium est fuga, quàm absconsio, & secessus solus. Quid causæ est, quod tantùm se occultauit, & templo exiit, vultum præferens serenum, & animum minimè turbatum, cùm illi minarentur lapidum iactus, hic verò tam sollicitus fugit, cùm illi adornant honores? Illud, quòd verum humilem magis lapidant, qui honorant, quàm offendant, qui lapidant: *Nimirùm humilis plus horret honores, quàm lapides.*

Humilem magis lapidat qui honorat, quàm offendat, qui lapidat.

Et hoc quidem Sponsus fecit. Videamus nunc quomodo vestigia eius presserit chara illius Sponsa. Admirabilem huius pulchritudinem, & formæ dignitatem cœpit Sponsus, pro more suo, cum ingenti voluptate extollere, dicens: *Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum.* Cant. 4. v. 1. Tanta est tua perfectio, venustas tanta, vt meam promeruerit admirationem. Oculi, capilli, dentes, labia, omnia talia sunt, vt attonitis similes reddant, quos habent spectatores. Audiuit hæc elogia Sponsa, & faciem rubore perfusa, cum multâ verecundiâ, & modestiâ dixit: *Vadam ad montem myrrhæ?* ibid. v. 6. De his verbis venerabilis P. Gaspar Sanchez in c. 4. Cant. sic ait: *Quidam existimant hæc esse verba Sponsæ, quæ quo est virginali pudore, atque modestia, ægre fert laudari se. Ait ergo velle se inde in montem abire.* Itaque cùm Sponsa se tam prolixè, & exquisitè laudari audiuit, dixit velle in montem myrrhæ secedere. Sed quid laudationi, & secessui in montem myrrhæ? Quis olim vsus erat myrrhæ? Si Magistros, si Oracula eruditionis, si Euangeliorum Expositores catholicos consulimus, inueniemus, Hebræos ex solenni cæremoniâ, & constante ritu potum myrrhâ conditum propinâsse his, qui supplicio addicti erant supremo, vt fatalis necessitatis formidabilissimum horrorem leuiùs ferrent. Ita sentiunt Nicolaus Lyranus, & Dionysius Carthusianus in c. 29. Matth. Episcopus Conimbricensis Suarez in c. 15. Marci, Barradius l. 7. c. 11. to. 4. Maldonatus Matth. 27. Martinus Del Rio de Pass. sect. 10. Sherlogius in Cant. c. 1. v. 1. vest. 2. sect. 3. n. 22 to. 2. D. Laurentius Ramirez de Prado Pentecont. c. 9. qui ait. *damnatis, vt expertes doloris essent, vinum myrrhatum propinari solitum.* Et Nicolaus Lyranus vult, eam consuetudinem desumptam esse ex illo Prouerb. 13. v. 6. *Date siceram* (id est, potum inebriatiuum) *mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo, vt vinant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs. Ideò ex occasione huius verbi seniores Iudæorum statuerant, vt condemnatis ad mortem daretur vinum aromaticum ad bibendum, vt faciliùs tolerarent passionem.* Quod ergo Sponsa, cùm dilaudaretur à Sponso, aiebat, velle ire ad montem myrrhæ, perinde est ac si dixisset, immodicis illis encomijs, quibus à Sponso ornata fuit, tam cruciabilitèr afflictam, tam pœnaliter vulneratam fuisse, vt quemadmodùm ad mortem damnatis potus vini myrrhati propinabatur, vt impendentis passionis tolerabilior fieret dolor, ita sibi necessarium fuisse non vnum solùm poculum, sed montem myrrhæ totum. *Ægrè fert laudari se, ait ergo velle se inde in montem abire.* Si componas horrorem, qui capitis damnatum occupat, cum dolore, & cruciatu, quem verus humilis patitur, cùm laudatur, tanto inferior est illius mœror, quàm huius afflictatio, quantum mons myrrhæ poculum eiusdem exiguum superat.

Myrrha ad mortè damnatis propinari solita in vino.

Humili laudis horror maior quàm mortis.

Difficultatem cuicunque prudenti, & corda-

cordato afferre poteſt, quod cæleſtis Paranymphus Archangelus Gabriel legationem ſuam à prolixâ commendatione, & plurium encomiorum accumulatione exorſus eſt, quando vt annunciationi ſuæ ſatisfaceret, caſtiſſimam Virginem ita ſalutauit: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*; Lucæ 1. v. 25. Poſſet hic aliquis dicere, inquit Doctor Angelicus, *quod annunciatio eius non fuerit conuenienti ordine perfecta*. Nam cùm iſtas gratias, & tam ſublimes inde conſecuta ſit beatiſſima Virgo, quod æterni Verbi eſſet electa Mater, conuenientiùs, vt videtur, feciſſet, ſi priùs cauſam, quàm effectum annuntiáſſet. At cùm cœlorum Palatinus in ſuo agendi modo, & ordine errare non potuerit, quare ab effectibus exorſus fuit, & priùs laudes recenſuit Virginis, quàm annunciauit incarnationem Redemptoris?

Angelus Virginem ſalutans cur ab illius laudib⁹ exorſus.

Occurrit huic dubitationi Scholaſticæ palæſtræ princeps S. Thomas 3. p. q. 30. art. vlt. ad 1. reſponſione ad rem præſentem natâ, inquiens? *Dicendum quod animo humili nihil eſt mirabilius, quàm auditus ſuæ excellentiæ, admiratio autem maximè attentionem animi facit, & ideò Angelus volens mentem Virginis attentam reddere ad auditum tanti myſterij, ab eius laude incipit.* Venerat ſacer Paranymphus, vt humili Virgini abſconditum myſterium, & profundum arcanum aperiret Incarnationis, quæ in illius intemeratiſſimis viſceribus perficienda erat. Cùm autem hoc negotium maximi eſſet momenti, cœpit primis ſtatim verbis laudare ſuam Principem, vt haberet attentam, id verò talibus verbis facillimè conſequi potuit, quia cùm verè humilis eſſet, non potuit quin vehementèr admiraretur inſolentia, & inopinata elogia, totumque adeò animum intenderet ad ea, quæ cœleſtis Nuncius præterea dicturus eſſet: *Animo humili nihil eſt mirabilius, quàm auditus ſuæ excellentiæ, admiratio autem maximè attentionem animi facit.* Vt enim qui homini inexpectatum de repentè infligit vulnus, vel immanem impingit colaphum, per attentum illum facit: Sic quod Angelus ſacram Imperatricem verbis laudatorijs primùm adorſus eſt, id tantundem fuit, quantum ſi humile illius pectus duro pugno inuaſiſſet, vt magnâ attentione exciperet inauditum myſterium, quod ei denuntiaturus erat. Verus humilis, vt habet S. Gregorius Magnus apud Salmeronem to. 1. in Euangelia tract. 6. Leuiùs fert lanceam in corde, & colaphum in ore, quàm laudes ſuas in facie. Verba illius ſic habent: *Iuſtus dum laudatur in facie, flagellatur in mente.*

Humili animo nihil mirabili⁹ quàm ſuæ laudis auditus.

Humilis leuiùs fert colaphum in ore, quàm laudes ſuas in facie.

Capvt IV.

Sunt quædam Aulæ Principum, quibus ſola deeſt æternitas, vt ſint Infernus horribilis dæmonum.

CVm Imperator Iulianus magnum Baſilium perblandè ad ſuum inuitaret Palatium, domiciliumque in Aulâ offerret, quid miramini quod ille tam vehementèr exhorruerit, & cùm non poſſet diſſimulare, cum ſanctâ libertate dixerit: *Horrore equidem concutior?* Quod dixit, tale eſt: Quando cogito, quod me inuitas, vt tuâ in Aulâ viuam, interque domeſticos, & intimos tuos degam, mortis me inuadunt anguſtiæ, & terram apertam videre mihi videor, & quod abyſſus me abſorbere velit. Tantumne mali, & periculi habent Principum Aulæ, vt tantum horrorem incutiant viris talibus, quos eximia ſanctitas, & iuſtus Dei timor commendat? Habent. Nulla enim alia mundi domus tot eſt ſubiecta periculis, tot expoſita diſcriminibus, tot obnoxia confuſionibus, tot plena infernis, quot Principum, & Magnatum Aulæ, quæ, vt prorſùm ſint Inferi, hoc ſolùm videtur eis deeſſe, quòd non ſunt æternæ. Nam quod ad confuſiones, & perturbationes, & omnis boni ordinis neglectum attinet, quid

Principũ quædam Aulæ hoc ſolùm minus habẽt. Inferno. quod n ſũt æt

tam ſimile Inferno, quàm pleræque Principum huius ſæculi Aulæ? Dico pleræque, ſunt enim nonnullæ, in quibus omnia ordinatè, honeſtè, & modeſtè fiunt.

Conſulebat quondam Ieremias ſuis, vt è Babylone fugerent, qui ſoſpitare vitam ſuam vellent. Neſcio an rectè dixerim. Audiamus verba Prophetæ propria: *Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſque animam ſuam,* inquit ille c. 15. v. 6. E mediâ Babylone, ait, ſe proripiat, qui ſubripere morti optat. Sed quare de mediâ Babylone, ſiue centro illius magis, quàm è foro, plateis, aut ſuburbijs hortatur eos fugere, qui animas ſaluare ſuas velint?

Aulas Principum fugere Ieremias ſuaſit.

Ad hoc reſpondebit doctus Carthagena, qui lib. 10. de vitâ Chriſti, hom. 8. ſic habet: *Notantèr ait,* de medio Babylonis, *vt indicaret, ſe per medium Babylonis regiam Aulam intelligere, quia in vrbis medio conſueuerant tunc Principum palatia conſtrui.* Perquàm meditatè ſuadebat Ieremias his, qui in tulto collocare animas ſuas cuperent, fugere de centro Babylonis, hoc eſt, vitare Aulas, extra quas nullum videatur eſſe ampliùs vel periculum, vel laqueus perditionis, vel morum corruptela, vel animarum exitium metuendum. Vbi & hoc animaduertendum, quod Palatia Regum, & Principum vocat omnis malitiæ, improbitatis, & ſcelerum centrum: *De medio Babylonis;* vt enim nulla res, niſi in ſuo centro, quieſcit, ita videtur Ieremias indicare, cæterarum domorum peccata facilè interire, vt quæ ſint extrà ſuum centrum? verùm in Aulis Regum, in Baſilicis Imperatorum, in palatijs Principum viget, floretque omne vitium, & flagitium, ibi omnes confuſiones, & perturbationes, velut in proprio ſuo centro dormiunt, & conquieſcunt.

In aulis Principũ ſunt vitia quaſi in ſuo centro

Aularum varia epitheta.

Audiamus funeſta eiuſcemodi Palatiorum elogia ex ore cuiuſdam magni Politici, & videbimus vtrum abſque rationis fundamento ſuperiora dixerimus. *Aula eſt omnium ſcelerum colluuio, latrina omnium fœditatum, tragœdia miſeriarum, compendium omnium flagitiorum, oraculum mendaciorum, cloaca omnium ſordium, maſſa omnis imperfectionis, abyſſus malorum, cyclopicum monſtrum, malorumque panegyris.* Ita Pet. And. Canhonerius in lib. 6. Aphoriſmorum Hippocratis Aphoriſmo 58. Quod ſi ita eſt, quid minus haberet Aula Inferno, ſi vnam præterea haberet æternitatem? Quid deterius dici queat de illâ triſti, & profundâ cauerna, in quâ miſeri perpetuò torquentur, & dentibus ſtrident damnati?

Proſequar aſſertum noſtrum, nec me deficient argumenta, quibus confirmem. Decantabat cœleſtis Magiſter ſacri Præcurſoris ſui laudes, dumque veſtitrûs illius aſperitatem deprædicâſſet, mox ſubiungebat: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt;* Matth. 11. v. 8. Quid voluit his verbis diuinus Magiſter dicere? Certum ſaluationis periculum indicare voluit, qui expoſiti ſint, qui tam blandè, & pretiosè veſtiant, nam hæc damnati illius Epulonis prima accuſatio fuit, quod *induebatur purpura, & byſſo.* At ſi omnes, qui veſtium luxum ſectantur, in tam miſerandis verſantur perdendarum animarum ſuarum periculis, & non ſolùm hoc vitio laborant, qui in Principum Aulis degunt, ſed etiam alij innumeri, quid eſt, quod Dominus hoc diſcrimen coarctare videtur ad eos qui in Regum habitant Baſilicis? Qui ſic loqueris, non aſſequeris ſenſum Domini, qui dicere voluit, eos, qui immoderatè, & nimis delicatè ſumptuosèque viuunt, iam eſſe velut damnatos, & in perpetuis Inferorum inquilinis numerari poſſe. Ergone tantundem eſt eſſe in domibus Regum, quantum eſſe in Inferno? Tantundem eſt, inquit Chryſoſtomus, quia & Palatia Regum idem ſunt, quod Infernus, & Aulæ Principum, idem quod tartarus, atque vt quis ſciat quid ſit Infernus, ſatis eſt noſſe, aut videre Palatium aliquod Principis, nec enim inuenietur perfectior imago, vel magis viua

effigies

effigies profundi istius damnatorum barathri, quàm altum Palatium. Audiamus Chrysostomum, qui homil. 28. in epist. ad Hebræos apud Pinnam in Ecclesiasticum Ethiolog. 246 n. 2. sic habet: *Quid omnes Reges Babyloniorum, & Ægyptiorum? Nonne vitam male, atque infeliciter terminârunt? Nonne in tormentis existunt? Sed nunc dic mihi, nonne talia iterùm fiunt? Aduerte Christum dicentem*, Qui mollibus vestibus induuntur, in domibus Regum sunt, *qui verò non talia habent vestimenta, in cælis*. Obseruate contrapositionem Chrysostomi. Qui superfluè, & superbè vestiunt, inquit, *in domibus Regum sunt*, qui verò carnem suam aspero cilicio macerant, in cœlis degunt. Videtur hic Chrysostomus attentæ suæ Rhetoricæ defuisse, & laborâsse in principijs suæ eloquentiæ. Nam cùm dixisset quod *in cælis sunt*, qui corpus suum rigido vestitu extenuant, consequentèr dicere decebat, quod *in Inferno sunt*, qui carnem suam blando amictu delicatè fouent. Quomodo ergo de his dicit, quod *in domibus Regum sunt*? Id fecit, quod vnum, idemque sint Inferorum loca, & Regum Palatia, vt enim Inferni imaginem videas, satis est videre quandam Regis aulam, ea enim ad viuum refert, & exprimit Infernum.

In Aulis Principũ viuere, & apud Inferos degere idem.

Nam vt quidam Politicus apud Canhonerium vbi supra, dicit, *ibi furentes Centauri, ibi insanientes Satyri, improbæ Sirenes, Scyllaque biformes, ibi auidi Dracones, & quidquid fatalium monstrorum, infelicisque portenti vspiam stupet coacta natura illic habitat, atque visitur, ibi omne virtutum genus suos patitur carnifices, atque tyrannos. In summa, aut nequitiæ, malitiæ, impietati insistendum, aut Aula cedendum* &c. At si in Aulis Regum plerumque habent sua latibula, & diuersoria Centauri, Satyri, Sirenes, Scyllæ, Dracones, & quidquid aliud est formidabilium monstrorum: Si in Basilicis Principum nulla est virtus, quæ non suos habeat tortores, à quibus excarnificetur; denique si nemo impro-

Aulæ multorũ monstrorũ altrices.

Aulæ cedendum, aut impietati insistendum.

bitatem effugere vllâ ratione potest, nisi Palatia fugiat, velut Lot nefandam Sodomam deseruit, quid iniuriæ irrogamus talibus Aulis, Basilicis, Palatijs, quando ea cum Inferno componimus?

Postquàm Propheta Daniel barbaro Regi Nabuchodonosori suum fuit interpretatus somnium, quod tam vehementèr illum sollicitum, anxiumque habebat, gratus beneficio paganus Monarcha, intimum familiarem suum illum fecit, supremumque Babylonis Præfectum, & omnium Magistratuum, atque Consiliariorum vnicum Præsidem constituit. Cùm autem Daniel tam sublimitèr se euectum vidit, *postulauit à Rege, & constituit super opera Prouinciæ Babylonis Sidrach, Misach, & Abdenago; ipse autem Daniel erat in foribus Regis*, Dan. 2. v. 49.

Sanctus Hieronymus in c. 2. Danielis ait: *Non obliuiscitur eorum, pro quibus Dominum deprecatus est, & qui secum periclitati fuerant, itaque facit eos Iudices Prouinciarum.* Summum vitæ discrimen adierant Daniel, & Socij eius, propter comminationes efferati Regis. Nam vt sacer Textus ibid. v. 13. habet, *quærebantur Daniel, & socij eius, vt perirent.* Nisi Regi somnium suum exponerent, ad extremam iacturam, quæ est vitæ damnati erant. Dederunt se omnes humili, atque deuotæ orationi, per quam Daniel diuinationem, & interpretationem consecutus fuit, & honores, quos dixi, obtinuit, simulque indiuiduos amicos suos, & fidos Achates euexit. Sed quomodo eos extulit? *Fecit eos Iudices Prouinciarum*, procul inde illos in remotiores partes ablegauit. *Non obliuiscitur eorum, qui secum periclitati fuerant*, & terribilissimum vitæ discrimen pariter adierant, inquit Hieronymus. Quidni obliuiscitur? Immò verò omnem illorum memoriam abiecisse videtur, quibus eiusmodi officia, talesq; honorum titulos procurauit, impetrauit. Nonne melius illis fuisset, mansisse in Aulâ regiâ, atque ibi aliquod illustre mini-

Daniel socios suos

procul abesse ab Aula regis voluit.

ministerium obiuisse? Hoc sanè, hoc videtur fuisse illorum recordari, & in editissimum fastigium eos extulisse. Quid ergo illos tam procul separauit, inque tam absitas Prouincias relegauit? O quàm diuinè locutus est Hieronymus, cùm ait: *Non obliuiscitur eorum, qui secum periclitati fuerant!* Nam cùm illos sub honoris, & officiorum pretextu exulare ab Aulâ coëgit, quàm maximè eorum recordatus fuit. Nam si obsequium, quod illi præstiterunt, quando commune cùm illo periculum adierunt, non alitèr compensâsset, quàm procuratione officij alicuius aulici, ea non fuisset remuneratio amici, sed atrox vindicta inimici, quia à leui periculo eos adduxisset ad aliud tam graue, quàm est viuere in Aulâ Principis cuiuspiam sæcularis. Itaque Daniel, tanquàm sanctus, nobilis, & prudens, omnibus partibus satisfacit, & amicos quidem honorauit, ne ingrati notam, & murmur incurreret, officia verò, & dignitatum titulos illis alibi procurauit securos, & procul dimisit, vt longè abessent à munijs, quæ administrare in Aulâ possent, nam eum, qui vnum periculum euasit, conijcere in aliud maius discrimen, non est bona remuneratio, vel iusta officiorum vicissitudo. *Non obliuiscitur eorum, qui secum periclitati fuerant.*

Daniel in foribus Regis erat, non intra palatium.

Et quoniam Daniel in Aulâ remanebat, notate quibus verbis id sacer Scriptor referat? *Daniel autem*, inquit, *erat in foribus Regis*; ibid. v. 49. Cur non intra Palatium morabatur? Eâ actione dicere videbatur, Aulam, & Infernum idem esse. Nam vt nostra peruulgata deprecatio, quâ pro Catholicis defunctis rogamus, est: *A portâ Inferi erue, Domine, animas eorum*; ita Daniel, pro suâ prudentiâ, & sagacitate, *erat in foribus Regis*, tanquàm in secreto cordis sui diceret: *A portâ inferi erue Domine, animam meam*; velut à misericordiarum Patre Deo rogâsset liberari à portâ Palatij, vt quæ non aliud sit, quàm Inferorum fores.

In eâ sententiâ est Politicus, quem paulò ante dixi, qui ait, quod Palatium est *cathedra falsitatis, monstrum omnium nequitiarum, emporium omnium scelestorum naufragium omnium bonorum, oceanus turbulentissimus, & continuæ tempestatis, receptaculum calamitatum, supellex mendaciorum.* Hæc sunt, quæ experientia plerumque tradit in quibusdam Magnatum Aulis, & Regum Basilicis. Quid mirum ergo, quod Basilius ingenti formidine repletus fuit, quando vt aulicam vitam susciperet, inuitatus fuit, quòdque succlamauit: *Horrore concutior!* Nam inuitare illum ad Palatium tantundem fuit, quantum minari illi immite supplicium, & ipsum adeò intentare Infernum, vbi vulgò non habitent nisi formidabiles feræ, & terrifica mõstra.

Aulæ plurima alia epitheta.

CAPVT V.

Admodùm felices essent Aularum Proceres, & Regum intimi gratiosi si desperato ludo, vitam suam tantùm expositam haberent, verùm plusquàm certum est, quod perditam habeant.

QVàm vtilis ea S. Basilij doctrina, & quàm commoda illis, qui Aulicorum aura plausuum vanè inescati, numquàm errorem suum aduertunt, & post infinitas tragœdias, quas illis liber experientiæ exhibet, ad tot exempla cœci, ad tot voces surdi, nolunt aperire fores aurium clamoribus eorum, qui illos suo periculo facere cautiores possent. Nam si vita illorum, qui in Aulis viuunt, solùm desperato esset exposita ludo, posset illos suaui spe lactare incertitudo euentûs, vsque dum ludi finis adueniret: Verùm cùm sciant tali ludo exposuisse vitam, idem esse, quod perdidisse, nescio quis malus dolus totam illis huius veritatis lucem obnubat.

Aulicorũ vita perdita.

Richardus de S. Victore hæsit in consideratione admirabilis demissionis, quâ se ethnicus Monarcha Nabuchodonosor co-

for coram captiuo propheta Daniele deiecit, quòd illi intricata somnia sua detexit, quæ talis fuit, vt impossibilis videretur, nisi sacrum Oraculum referret, quod sic habet: *Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei*; Dan. 2. v. 46. Potestne altiùs extolli homo, quàm vt Rex aliquis illum iubet exæquari Deo, eumque, cùm ipse adoret, tùm ab alijs coli thure, & honestijs imperet? Certum est non posse. Videte autem quid mox acciderit. Idem Rex statuam erexit auream, quæ personam ipsius regiam repræsentaret, iuxtaque statuit fornacem ardentem, vt in eam coniectus deflagraret, qui statuam demissis ad reuerentiam poplitibus venerari nollet. *Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem horâ mittetur in fornacem ignis ardentis*; Dan. 3. v. 6.

Daniel dicere potest, quàm inconstans Regum gratia.

Dicit nunc Richardus lib. 1. de erudit. inter. hom. c. 36. p. 1. *Illud notandum in Rege, humiliationem instabilem, & indiscretam, & postmodùm superbiam plusquàm humanam, nam qui priùs Danielem adorauit, idem ipse postmodùm statuam suam adorari præcepit.* Quis sapiens potest fidere adorationibus Regum, & fauoribus, quando iste, qui paulò ante Danielem suprà sydera euexerat, & primus adorationis cultu deueneratus fuerat, nunc ex aduerso vult, vt Daniel, vnaque omnes alij hoc statuæ ipsius deferant, quod deferri Deo soli debet, idque tantâ cùm seueritate, vt & ipse Daniel, nisi statuæ Regis rependeret, quod ipsi à Rege impensum fuerat, obnitentiæ pœnas conflagratione in fornaci ardente luiturus esset? *Qui priùs Danielem adorauit, idem ipse postmodùm statuam suam adorare præcepit.* Totum hoc eò spectat, vt gratiosi Regum, & intimi Principum, periculum suum intelligant, & alieno malo cautiores facti tremant, quia Regiæ seueritatis acies non longiùs abest, ab ipsorum iugulo, quàm à Rege ipso quæuis animi commotio, aut vana indignatio. In hanc veritatem intentus Petrus Andreas Canhonerius dixit lib. 6. in Aphorismos Hippocratis Aphorismo 58. quod Palatium nihil aliud est, quàm *scopulus priuatarum, ac publicarum, aduersitatum*, fucata prosperitas, & idea inconstantiæ. Expendat hæc verba, cui plus otij fuerit, mihi tametsi facilè esset premere singula, immorari tamen non licet.

Aula idea inconstantiæ.

Mystica sunt ornamenta, quæ in publicum extulit Ioseph primo die, quo intimus Regis Pharaonis esse cœpit, de quibus sic habet sacer Scriptor Gen. 41. v. 42. *Tulit Rex Annulum de manu suâ, & dedit ei in manus eius, Vestiuitque eum stolâ byssinâ & collo torquem auream circumposuit.* Lustremus animo catenam, habet enim, nescio quid illud, aurum, quo statim deuincere oculos, & abripere sensus videtur. Quid barbarus Rex nouo gratioso suo indicare voluit, quando inter alia ornamenta, & signa, quibus omnibus facere manifestum voluit, habere illum omnium arcanorum suorum conscium, etiam catenâ collum eius cinxit? Funestum auspicium videtur, & infaustum præsagium aulico gratioso, quod tam citò ei inijcitur catena. Cuius enim rei signum potest esse catena nisi carceris? *Et collo torquem auream circumposuit.*

Philo Iudæus lib. de Ioseph respondet, quòd Rex Iosephi collo catenam auream indidit, perinde fuisse, ac si dixisset: *Torquem auream circumpono, quæ non ad gloriam solùm, sed ad pœnam pertinere videtur*; velut alijs verbis apertiùs dixisset: Animaduerte, catenam, quâ te opulentare videor, aspici ex vnâ parte posse, & timeri ex aliâ, nam si quod aurea, delectat, meritò perterre facit, quod catena. Mirum profectò, quod eodem die Iosepho dantur & ornamenta gratiosi intimi, & insignia rei. Quamobrem verò, cùm accipit possessionem intimi, simul adornatur notis captiui? Causam iam diximus, qui enim in Aulis viuunt, vitam desperato ludo sic exposi-

Ioseph aurea catena inicta, vt timeret catenam, si fortè amaret aurum.

tam habent, vt proximam eius iacturam timere queant: *Non ad gloriam solùm, sed ad pœnam pertinere videtur*; nam inter ascensûs gloriam, & lapsûs pœnam nec momentum intercedit.

Quàm benè hoc dixit ille, qui tam benè expertus fuerat, procellas Aularum, & quantæ essent vicissitudines, ac mutationes in Basilicis Principum, cùm ait: *Non sunt duriora castra, quàm Curia Principum, vbi inuidia, simultates, detractiones, odia, inimicitia, contumelia, iniuria, & pœna sunt infinita.* Ita Pius II. epist. 16. Qui castra sequitur, cùm inter tormenta bellica, tela, hastas, & lanceas vesetur, non solùm dubio ludo expositam, verùm etiam perditam circumfert vitam. Non pauciora tolerant pericula, qui vitam in Aulis Regum agunt, vbi flos vitæ caducus expositus est iaculis inuidiæ, murmurationum, odiorum, offensionum, calumniarum, & aliorum fine numero id genus malorum. Qui autem tot discriminum scopus est, & putat nunquàm se attingendum, nunquàm lædendum, certè ipse sibi adulatur, ipse sibi crassâ fraude, & affectatâ stultitiâ assentatur.

Aulæ Principum duriores castris.

Non exiguam vim faciet argumẽtum, quod subijcio. Nonne Moyses datus fuit Pharaoni Deus? *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, dicebat illi Deus ipse Exodi 7. 1. Nonne habuit in mandatis, vt varijs plagis cæderet Pharaonem, si egressui captiui populi, & profectioni ad libertatem multis suspirijs diu expetitam obsisteret? Nonne proteruam illius perduellionem diuersis, atrocibusque flagellis castigauit? Quanquàm tam varijs, ac duris modis ab illo mulctatus esset, dicere nihilominùs ei, quem sibi Deum præstitutum habebat, ausus fuit: *Recede à me, & caue, ne vltra videas faciem meam, quocunque die apparueris mihi, morieris*; Exodi 10. v. 28.

Tostatus in c. 10. Exodi ait: *Mortem comminatur ei, quem toties pro vitâ exorauit.* Quoties barbaro Regi flagella inferebat, toties rogabat Moysen, vt plagarum finem faceret, ac virgindemiâ supersederet. Semper illius precibus vtebatur, vt stomachosus Dominus iram remitteret, & semper impetrabat clementiam, quam expetebat. Quis finis tantæ humiliationis, & submissionis fuit? Ille, quod mortem Moysi, periculum capitis, & internecionem intentauit. *Morieris.* Talem rependere mercedem solent Principes ijs etiam aulicis, qui ipsos plurimis, & maximis officijs obstrictissimos habent. Sit aliquis intimus, qualis Moyses Deus, per quem Rex, aut Princeps omnia obtineat, remuneratoriâ illius moneta demùm erit, *Morieris*, & immeritam mortem perferet, qui promeritam referre mercedem sperabat.

Moyses dicit, quid sperare Principũ gratiosi queant.

Nemo de hâc re loqui potest, vt Principes, & Magnates ipsi, quamobrem Salomon cuidam Regis intimo tale suggerit consilium: *Quando sederis vt comedas cum Principe statue cultrum in gutture tuo*; Prou. 23. v. 1. & 2. Quod hîc dicit Salomon, id Principis gratioso dictum vult Ioannes Koquier lib. 5. Polit. Aphorism. c. 20. Alij verba ea transferunt: *Pone cultros in gutture tuo.* Alij admodùm mysticè vertunt, vt ait Rabbi Leui: *Statue sentes, aut spinas in gutture tuo.* Quando gratiâ apud Regem, aut Principem tuum tantâ valere cœperis, vt te ad mensam suam, conuictumque admittat, iugulo tuo multos circumpone cultros, quia ad omnem bucceam, quam comedis, cuditur pugio, & fabricatur gutturi tuo. Et quod ex Rabbinorum versione iubetur intimus spinas, ac sentes statuere in gutture suo, tacita quædam illius admonitio est, quàm parùm vitæ suæ fidere queat. Quando Agger, aut ager, aut hortus spinis, sentibusque incingitur, indicio est agnosci periculum, cui arborum fructus, vel grauida seminibus terra est exposita: Ita dicitur gratioso, vt studeat, & sollicitè curet cautionum, & attentionum spinas, muros, munimenta magno numero circumponi collo suo, & gutturi, quia eo ipso, quo blandus Zephyrus, & suauis Fauonius

Principũ gratiosi statuant cultros in gutture.

gratiæ

gratiæ Principis benè addicti aspirant, multa illi infortunia minantur, multorumque cultrorum acies in guttur illius sunt intentæ.

Principũ familiaritas similis flammarũ naturæ.

Huic doctrinæ inhærens S. Sidonius apud Bonart. Eccles. 9. v. 19. amico cuidam suo ita dicebat: *Si quid nostratium precibus acquiescis, actutum in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam è periculosâ Regum familiaritate celer exime, quorum consuetudinem spectatissimus quisque flammarum naturæ benè comparat, quæ sicut paulùm à se remota illuminant, ita satis sibi admota comburunt.* Refert ergo & citam à Regum familiari consuetudine discessionem facere, & longam.

Principũ familiaritatẽ fuge, qui vis diu viuere.

Hoc & sacer ille Politicus consuluit, qui ait: *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi. Communionem mortis scito, quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.* Eccles. 9. v. 19. In hæc verba dicit Oliuerus Bonartius ista: Hîc arrigant aures insessores aularum. *Monet Sapiens hic maximè sub initium, ne magnatum, & Principum familiaritatem ambiamus.* Huc huc aduertite animum, quotquot animum addixistis Principum officijs, illisque estis ab intimis, & auscultate Sapientem, qui monet attendere, quomodo viuatis, & deuitare omnem diuturnam Principum familiaritatem, propter euidentia pericula, quæ vitæ vestræ ab illorum familiari consuetudine imminet.

Sed obseruatione dignum est, quod filius Siracidis ait: *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi.* Verè notatu dignus loquendi modus. Nonne meliùs fuisset dicere, caue ne tibi procures gratiam Principis? Et quia propter mysterium noluit apertè vocare Principem, Regem, vel Imperatorem, quare nominat occisorem eum, cuius intimam consuetudinem vitare hortatur? Cur non vocat hominem beneficum, liberalem, prolixum remuneratorem dicens: *Longè esto ab homine potestatem habente benefaciendi?* Id sine dubio factum, vt nos doceret, arctam habere cùm Principe amicitiam, excidere ipsius gratiâ, & gutture in gladium incidere, vnum, idemque esse.

Principi arctè coniunctum esse, & excidere illius gratiâ, idem.

Dicat Propheta regius suam hâc de re sententiam, vt asserti nostri certitudo innotescat. *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus,* inquit ille Ps. 145. v. 3. Audiamus diuini Chrysostomi in ea verba commentationem. *Ne mihi dixeris, est Princeps, Princeps enim non est quolibet homine plebeio superior, atque adeò si quid dicendum est admirabile, propter hoc ipsum maximè non est fidendum, quod sit Princeps, sunt enim summoperè lubrici, & periculosi hi principatus.* Hæc ille. Sunt multi, qui dicant, cur non magis confidam amicitiæ, & consuetudini Principis alicuius, quàm aliorum hominum? Caue hoc mihi dixeris, inquit Chrysostomus, nihil enim virium apud me habet istud argumentum, nam Princeps, quisquis ille, homo est, & non Angelus immò sæpe sæpius indole, ingenio, naturæ dotibus inferior est quouis ex vili, & mediâ plebeculâ, & si aliud magis admirabile dicere oportet, ajo, ob hoc ipsum, quod quis Princeps est, parui æstimandam ipsius amicitiam, & consuetudinem familiarem, nec enim est vitrum fragilius, neque conditio magis periculosa, neque familiaritas discrimini magis coniuncta, quàm ea, quæ cum Principibus contrahitur.

Eapropter Ecclesiasticus ei, qui ad gratiam Principis intimam admittitur, dicit: *Communionem mortis scito.* Paulus de Palatio interpretetur hæc de eo, quod euenit in palatio. *Scito communicationem tuam cum Principibus esse communionem mortis. Perpende te ambulare in medio laqueorum.* Textus Græcus hoc loco sic habet: *Nosce quia in medio laqueorum pertransis, & super pinnacula ciuitatis deambulas;* vt proinde in pari periculo versetur, qui cum Principibus familiaritèr conuersatur, ac ille, qui

qui super murorum, aut turrium ciuitatis cuiuspiam pinnacula vestigio dubio, & trepidante gressu incedit. Nam vt est articulus fidei, communio Sanctorum, ita videtur cælestis Politicus quendam quasi articulum fidei facere, communionem mortis, quam omnibus Magnatum intimis minatur gladius, *Communionem mortis scito.* Illud certum, quod in libro experientiæ vix legimus mortes aliorum tam frequentes, quàm gratiosorum violentas cædes. *Omnes historiæ Græcæ, Romanæ, Barbaræ huius argumenti fertilißimæ sunt*, inquit Oliuerius Bonartius vbi supra. Denique quod Regum intimus intimus in cornibus lunæ sit positus, atque inde mox in cornua incidat tauri, id tam crebrum, quàm vsitatum, quod talem sui Regis gratiâ ita plerũq; cæcat, vt se ab hac communi, & inuiolabili lege immunem arbitretur, quantumuis recordetur Amanes, Clitos, Lyncestes, Parmenios, Seianos, Belisarios, Lunas, Cabreras, & alios innumeros, qui ipsi se oculis offerunt in historijs, tametsi non quæras.

Audiamus quàm verè, & grauitèr hæc pericula descripsit Pius II. epist. 42. *Si millies cum periculo capitis seruieris, modicum verò aberraueris, mox perijsti, pereunt omnia seruitia, si semel non rectè seruieris.* Et si hoc accidit ijs intimis, qui fidelitèr seruiunt, & benè munia sua obeunt, in quo confidunt illi, qui suis ambitionibus, argutijs, officijs, futilibus inuentis destruunt, succidunt, euertunt Respublicas, & Regna?

CAPVT VI.

Non solùm Phœnicis nomen meretur, sed etiam Salamandræ appellationem, qui apud dulcem flammam laudum, non periclitatur vt papilio.

IAm reuerà dicere possemus atheo monarchæ Iuliano, quod insignis Cordubensis Seneca similem ob rem aliâ occasione dixit: *Inuenisti hoc loco, qui blãditijs tuis restitit, vt exclamares, inuenisse te inexpugnabilem virum aduersus insidias, quas nemo non sinu recipit.* Hæc ille lib. 4. q. natural. in Præfatione, tanquam ad Iulianum conuersus dixisset: Rarus casus, quod reperisti Basilium, qui repugnaret imperialibus blandimentis tuis, & illecebrosis promissis, vt attonitus magnis vocibus diceres, indicisse in scopulum assentatorijs tuis laudibus cedere nescium, incidisse in adamantem, qui dulcium insidiarum tuarum ictus inoffensus exceperit, quæ humanum cor, tametsi æneum, nullum attingunt, quod non in mollem massam, aut blandam ceram conuertant. Notabilis res est, quod stomachum obduratissimum, & constipatissimum tam facilè mollire, & laxare potest quædam lenis medica potio blandæ laudationis. Dici non potest, quantum serenet faciem alioqui toruissimam vnum dulce encomium, & quàm leuitèr procellosissimum, & concitatissimum mare iræ, etiam acris, & obfirmatæ, dulcis zephyrus cuiusdam elogij componat, idque propter vitiatæ nostræ imbecillitatem, quam si vera humilitas roboret, consolidetque, intolerabilem cruciatum adfert homini, quem illa occupauit, auditus laudis propriæ, quod iam superiùs probatum dedimus. Laudatio blanda facilè emollit animũ.

Prædicebat Christus suis ducibus, & tribunis militiæ euangelicæ ærumnas, famem, persecutiones, & alia plurima, laborum, defatigationumque genera, quæ in prædicationis pugnâ toleraturi erant, inquiens: *Beati estis, cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mentientes, sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos*; Matth. 5. v. 11. & 12. Terribilia comminationum vaticinia! Quàm atræ nubes tristitiæ obsederant animos Discipulorum talia tunc audientium! Quantam anxietatem, & solicitudinis afflictionem in pectoribus Apostolorum excitauerint tam horrenda, & formidabilia noua! Ad se-

ferandam verò talis prædictionis tempestatem, ad componendum excitatos fluctus timoris, qui Apostolis de prænunciatione tot, tamque immanium persecutionum excipiendarum natus fuerat, quod adhiberi remedium, quod medium ex vsu esse poterat? Audite. *Vos estis sal terræ, Vos estis lux mundi*; ibid. v. 13. 14.

Laudatione Christus mœrentes recreauit Apostolos

In hæc verba sic commentantur Chrysostomus, & Euthymius: *Postquàm quæ opportuna erant, admonuit, rursùs laudibus eos recreans, dicit, Vos estis sal terræ, Vos estis lux mundi.* Itaque ad curandum vulnus exulceratissimum, ad restituendam vitam corpori penè exanimato, ad reuocandum in tranquillitatem mare tristitiæ maximè sæuum, ac tempestuosum, nulla est medicina magis p[illegible]ntanea, nullum pharmacum præstantius, nullum studium potentius, quàm laudatio, & commendatio: *Eos laudibus recreat.* Ergo hominem tristissimum, afflictissimum, ærumnis intolerabilitèr laborantem effer in hortum laudum, & videbis eum extemplò consanescere, hilarescere, & animum oblectationibus relaxare, ac pascere.

Laudatio blanda facilè emollit animū.

In horto laudū facilè curantur tristes.

Benè congruet dictis id, quod Samueli cum Saule, sacro Textu referente, accidit. Abijt hic Rex, vt vastaret, prorsumque extingueret Amalecitas, cùmque dominico præcepto non satis exactè obtemperâsset, & satisfecisset, venit propheta Samuel redargutum illius tam culpabilem inobedientiam. Rex verò admodùm præfisus, & subridens dixit indignabundo prophetæ: *Benedictus tu à Domino* (1. Reg. 15. v. 13.) qui te ornauit tot gratijs, & tam multis collocupletauit virtutibus. Cùm hæc, aliaque audijsset Samuel, aiebat: *Sine me, indicabo tibi, quæ locutus sit Dominus ad me*; ibid. v. 16. hoc est, dimitte me, exolue me, vt nuncia, quæ ex Domino habeo, tibi exponam, nisi enim me expeditum, liberumque relinquas, quæ iussus sum, satis accuratè tibi denunciare non posse videor.

Beatissimus Papa Gregorius Magnus hæsit cogitatione in istis verbis: *Sine me.* Quid enim? Fortean vinctum, constrictumque habuit Rex Saul prophetam, vt propterea dimitti, & solui petierit? Quinam rhabduchi, quinam satellites, aut ministri iustitiæ iniecerant ei manus vt attinerent, & vincirent? At si nullus fuit, qui tale quid intentârit, quid est, quod dimitti rogat, dicens: *Sine me.*

Laudum vinculis constrictū se Samuel putauit.

Huic interrogationi satisfacit Gregorius, dicens, meritò prophetam petijsse dimitti, quia magis vinctus erat, quàm si compen[di]bus, & catenis constrictus fuisset. Quibus ergo manicis impeditus, quibus vinculis colligatus erat? Istis: *Benedictus tu à Domino.* Laudes, elogia sunt compedes, qui validè obligant, sunt manicæ, quæ fortitèr attinent, sunt catenæ, quæ potenter vinciunt homines, vt sunt ex natiuâ conditione perimbecilles. Denique tametsi Samuelis cuiusdam, miraculo nati, sit pectus, miraculo simile videbitur, si laudum reti non teneatur, si non incalescat ad elogiorum dulces igniculos. Audiamus nunc sanctissimum Magistrum, qui lib. 6. c. 2. in 1. Reg. 15. ita habet: *Sine me, tale est, ac si laudatorem suum honestâ grauitate derideat, dicens: Quia me laudas, loqui tibi dura non possum, sine ergo, id est, permitte me loqui, & ea, quæ sum locuturus, intellige.* Hinc æstimare licet, quanta sit laudum potestas, & quàm dulcis earum tyrannis, nihil enim est, quod æquè vinciat, stringat, subigat, ac illæ.

Laudes sunt compedes, & manicæ.

Sanctus Ioannes Chrysostomus sciscitatur, quid mouere potuerit puellam illam pythonissam, quod tantoperè prædicare studuerit Paulum Apostolum, cùm nefarius spiritus, qui in corpore miseræ illius diuersabatur, sacri Gentium Prædicatoris tam vehementèr aduersaretur doctrinæ. Clamabat illa, dicens: *Isti homines serui Dei excelsi sunt, qui annunciant vobis viam salutis*; Act. 16. v. 17. Quid est, quod dæmon, qui omni conatu, totaque virium ingenij contentione, & quantâ, quantâ sollicitudine, curâque potest, laborat, vt semitas,

quæ

quæ ad vitam indeficientem ducunt, intercludat, nunc linguâ miserè afflictæ istius puellæ vtebatur ad proclamandum, & velut publicâ voce præconis promulgandum, quòd Paulus esset seruus Excelsi, & Legatus ad negotium momentosissimum saluãdarum animarum?

Laudibus titillare Paulum dæmon voluit.

Ad hoc respondet Chrysostomus apud Cornelium in Act. 16. dicens: *Vt Paulum adulando sibi conciliaret, ne se à puellâ expelleret, eumque laudando titillaret, & ad vanam gloriam incitaret,* id circò puellæ linguam in Pauli commendationem excitauit. Non fuit sincera intentio (à spiritu enim tam damnato nulla expectari sinceritas poterat) sed veteratoria machinatio, quòd Paulo assentatoria verba dicere voluit, vt eum sibi demereretur, ne arcem cogeret deserere puellarem, quam occupârat, tum vt laudibus eum demulceret, & ad inanis gloriæ cupiditatem excitaret, postquàm audiret se proclamari familiarem intimum Regis supremi, & Nuncium illius à latere ad tantam expeditionem, quanta est verbi diuini annunciatio.

Quàm elegantia sunt illa verba, & quàm apta in rem præsentem: *Vt laudando titillaret!* quæ hunc habent sensum, quod laus tam festiua soleat occurrere, tam venustam faciem, tam concinnam corporis structuram præseferre, vt modestissimum, & circumspectissimum, & qui maximè Paulus sit, præfidat dæmon per eam posse titillare. Tam validè solent raptare humanæ laudes, vt dæmoni visum fuerit, æneo, & adamantino Paulo etiam per eas aliquid imprimi posse.

Laudum decantatione Christus infans à vâgitu cohibitus.

Nec est, quod admiremur dicta, cùm ipsi adeò Deo, quando factus homo, etiamnum tener infans plorabat, videantur non aliâ industriâ siccari lachrymæ potuisse, quàm decantatione laudum. Quando ad communem lucis huius vsuram prodijt gigas Infans, deposuit eum Virgo Mater in angusto, & rudi præsepi. Ibi, vt homo plorauit, atque vt veste Adami indutus teneras lachrymas fudit, quando natus adijt possessionem huius miseriarum, & penuriarum vallis. De hoc ita canit Ecclesia in hymno Dominicæ in Passione:

Vagit Infans inter arcta
Conditus præsepia.

Cùm videret cælum quod facer Infans ploraret, quo remedio siccauit lachrymas, & compescuit fletum? Decantatione laudum. *Facta enim est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & interrâ pax hominibus bonæ voluntatis*; Lucæ 2. vv. 13. 14. Hoccine fuit bonum medium ad depellendum nubilium noui cœli, quod descendit in terram?

Respondet insignis Salmeron Tract. 35. in Euang. to. 3. *Meritò Angeli ad Dei laudes concinendas excitati sunt, quod vtile sit puero demulcendo, vt testis est Auicenna, tibiâ canere, vt fletus eius comprimatur, vt quidam meditantur.* Non caret mysterio, quòd cœlorum Palatini, quando diuinam Domini sui Infantis faciem viderunt amaris commaduisse lachrymis, harmonico cantu laudes eius celebrare, & consonantibus vocibus extollere cæperunt gloriosos effectus, quos mundus per felicem eius natiuitatem consecuturus erat, nam quod Auicenna affirmat, & experientia comprobat, vt à ploratu infantem auoces, tibiæ sonus, & cantus facere potest. Sic ergo Angeli cantârunt, quando cœlorum Infans fleuit, vt hoc modo profluuium lachrymarum sisterent. Itaque vel in ipso Deo, quando vt homo illachrymat, & vt infans suspirat, ad componendam amari fletûs tempestatem nulla videtur aptior industria; quàm cantus laudum ipsius: *Quod vtile sit puero demulcendo tibia canere, vt fletus eius comprimatur.* Vt vel hinc intelligatur, quàm facilè hominibus, quâ hominibus, adhærescat dulcedo laudum, & quàm auidè ab ijs glutiatur esca plausuum.

Ingeniosissimi Poëtæ testimonio possumus confirmare dictum, qui laudum ingentem vim exprimere volens, ita canit lib. Trist. eleg. 4.

Iupiter ingenijs prabet sua nomina vatū,
Seque celebrari quolibet ore sinit.

Laudari quolibet ore Iupiter sinit.

Summus Iupiter, fulminum arbiter, altitonans Deus, cuius vel leuis ira vastissimorum montium grauissimas machinas cardinibus suis emouet, qui ex sublimiori solio de omni Deitate triumphat, ille *celebrari quolibet ore sinit.* Iacobus Pontanus in illa Ouidij sic ait: *Nullam laudationem contemnit, discretorum, indiscretorum, bonorum, iuxta ac malorum Poëtarum laudes admittit.* Ille Deorum supremus nullam laudationem refutat, cuiuscunque ore, aut linguâ promatur, quisquis calamus eam scribat, siue solers, siue iners, siue eruditus, siue rusticus, siue elegans, siue rudis, & barbarus. Benè rem exaggerauit Poëta, cùm ait: *Seque celebrari quolibet ore sinit.* Quod quis cibum aliquem vehementèr appetat, id ex eo agnoscitur, quando nec disci, seu patinæ, nec temporis, neque loci rationem habet, dum illum sumit, sed gratus illi est, & placet palato, quocunque loco, tempore, & qualicunque in disco offeratur. Hoc ipsum dicit Ouidius, nempè tam dulcem, tam suauem gustui esse laudum escam, vt etiam Deorum supremus eam admittat, quouis tempore, cuiuscunque manu præparata sit: *Seque celebrari quolibet ore sinit.* Cùm enim tam sit dulcis laudum buccea, nemo est, qui auidè voret, è quacunque culinâ, patinâ, manu, linguâ veniat. Sapit laudatio, tametsi ab illo profecta, qui ipse minus sapit.

Laus sapit ab insipiente licet profecta.

Non miremini, quod dixi, nam beatissimo Augustino, Doctorum facilè principi, videbatur velut impossibile euadere, & fugere, si quis illi laudum laqueos strueret. Sic enim ipse ait homil. 25. ex Tract. 50. homiliarum to 10: *Laudari si dicam, nolo, mentior, si dicam volo, timeo ne sim inanitatis appetentior. Ergo quid dicam? Nec plene nolo, nec plenè volo.* Hæc Augustinus. Ex quibus videre licet, tantam esse, tamque violentam laudis tyrannidem, tam potentem elogiorum magnetem, vt & Aquilas, quæ volatu cœteras volucres longè transcendunt, alas demittere cogat, & durissimum adamantem emolliat. Quid ergo fuerit videre hominem, qui non cuiuscunque hominis, sed Monarchæ toti mundo imperantis blanditijs, & laudibus obsistit vt rupes, obnititur vt scopulus? Quid fuerit videre, quod Basilio laus est Basiliscus, encomium ferus draco, quæ alijs est nectar, & ambrosia, & magnes? Quem illum fuisse dicemus, qui cùm ab Imperatore prædicaretur, exclamabat, & vociferabatur: *Horrore concutior;* ac si quod libet illius verbum atra horrendæ mortis vmbra fuisset? Phœnix, & plusquàm Phœnix fuit Salamandra fuit, qui à dulci igne, quo tam multi aduruntur, triumphabundus papilio abiuit.

Laudari nolle, dicere Augustinus ausus non fuit.

CAPVT VII.

Serui Dei sunt Astrologi ex facultate, quam profitentur, & homines mundani sunt Cosmographi, idcircò illi aspernantur terram, hi verò magni æstimant.

QVem non excitabit in vehementem admirationem id, quod Phœnix noster Basilius Iuliano respondit, quando & hoc simul adiecit: *Ridiculum magis, quàm te hactenùs vidi neminem?* Itanè verò Imperator orbis visus est deridiculus Basilio! Qui suam offert amicitiam, & quidem cùm Monarcha esset, homini priuato, is mouet risum! Res incredibilis videtur. Vtique incredibilis, & absurda res videbitur, sed ijs, qui res terrenas & mundanas in pretio habent, quibus cùm sint Cosmographi, omnia hæc, quæ in oculos incurrunt, magna videntur,

tur, sed Iustis, cùm sint Astrologi, totus Mundus puncto vnico minor videtur. Audiamus quomodo hoc quidam modernus Autor Iacobus Suarez serm. 1. in Apocal. dicat: *Hæc est differentia inter Astrologum, & Geographum, hic cùm de Terrâ agat, tanquàm suæ scientiæ subiecto, eam maximam esse describit in Regna, Prouincias, Ciuitates, & Oppida diuidendo, Astrologus autem, qui Cœlum meditatur, & cuius Astra prò obiecto habet, affirmat minimam stellam, quæ est in firmamento, vniuersam terram magnitudine superare.* Cùm Terra sit Cosmographo tota suæ meditationis materia distribuit illam in Maria, Sinus, Freta, Portus, Insulas, Promontoria, Continentem, Regiones, Regna, Prouincias, Ciuitates, Castella, Montes, Colles, Valles, Campos, Territoria, Lacunas, Stagna, & in alias plurimas differentias, de quo agit Ioannes Maginus libr. in Ptolom. cap. 1. Accedit Astrologus, aitque omnia hæc vnum punctum, neque amplius quid esse, & vnius stellulæ etiam minimæ molem tantam esse, vt cùm eâ totius terræ magnitudo conferri non possit. Quamobrem isti omnia hæc vnum pusillulum punctum videntur? Quia omnis illius cogitatus, & ingenij commentatio circà immensos Cœlorum orbes, eorumque magnitudinem versatur. Peccatores autem sunt Cosmographi, qui sensus suos in terrâ defixos habent, de quibus Rex propheta: *Oculos suos statuerunt declinare in terram*; Ps. 16. v. 11. Idcircò tanti eam æstimant. tam vehementèr appetunt, proque illâ tam pugnacitèr pugnant, vt sæpe vsque ad profusionem sanguinis, & vitæ decertent. Verùm Iusti cùm sint Astrologi, hoc est, cælum tantùm spectent, illud anxij optant, & anheli suspirant, quidquid verò in terrâ est, fœdæ, & horridæ sordes illis videntur.

Homines sancti sunt Astrologi, mundani peccatores sunt Cosmographi.

Ita Paulus dicebat: *Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam I E S V Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora*; Philip. 3. v. 8. Omniane, Paule, arbitraris vt stercora? Omnia prorsùs ait, Regna, Imperia, thesauros, voluptates, dignitates, famæ celebritatem, plausus. Et qua proptèr ita deæstimas? *Propter eminentem scientiam I E S V C H R I S T I.* Quænam est illa scientia eminens? Astrologia diuina. Id paulò post dixit Apostolus, inquiens: *Nostra conuersatio in cælis est*; ibid. v. 20. Qui loci huius eruditam, & prolixam optat expositionem, adeat insignem, & doctum huius Epistolæ Interpretem, Reuerendissimum P. Ioannem Antonium Velasquez. Nostra conuersatio, inquit S. Paulus, nostra consideratio, & contemplatio, totumque cogitationum nostrarum obiectum est in cælis, Astrologi diuini sumus, facultas nostra, & professio agit de rebus, quæ suprà sunt, de thesauris indeficientibus, & æternis, deque perpetuis felicitatibus. Atqui si ita res habebat, quid mirum, quod Paulus omnia arbitraretur vt stercora, vt sordes, vt scobem, spumam, scoriam, quodque minima, quæ ex Deo venit, voluptas maiora pondera habeat in Apostoli trutinâ, quàm totus Mundus cum omnibus suis opibus, copijs, honoribus, dignitatibus?

Paulus, quia Astrologus, mũdana omnia vt stercora æstimabat.

Quàm appositè in hanc rem dixit Seraphicus Doctor S. Bonauentura in Dieta salutis tit. 3. c. 3. *Qui esset suprà cælum, totam terram reputaret quasi centrum.* Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis c. 20. ait: *Nihil aliud est centrum, nisi punctum.* Qui in fastigium cœli conscenderet, atque inde terram respiceret, centrum, punctum exiguum videre putaret. Ergone tot, tamque vastos montes, tam diffusa maria, tam patentes campos centro tantùm, & exiguo punctulo exæquaret? Exæquaret. Nam si hæc omnia cum cœlo componas, velut formica quædam sunt. Vnde consequentèr S. Bonauentura scriptum reliquit: *Sic pauperes totam terram reputant minimam, & vilem, quia in cælo habent sedem, & mansionem suam. Nam dicit Apostolus in persona eorum, Conuersatio nostra in*

Mundus punctum est, si cum cœlo conferas.

ſtra in cœlis eſt. Viri Apoſtolici, Religioſi pauperes ſpiritu, terram, omnes illius poſſeſſiones, dignitates. opum copias, & pompas riſu dignas res, & quauis aurâ magis vacuas, & vanas reputant, ſunt nimirùm diuini Aſtrologi, qui cùm omnem ſuum cogitatum, conatum, animum in cœlo collocatum habeant, illiuſque theſauris, & opibus, omnia alia fumum, ventum, quiſquilias, inſaniam cenſent, quoties cum illis ſupernis conferunt.

Nil⁹ cœlũ Aegypti. Cur.

Philo Iudæus in lib. de Profu. cùm de Nilo, percelebri illo flumine agit, ſic ſcribit: *Nilus fluuius celeberrimus cœlum eſt Ægypti.* Quid eſt, quod Ægyptus Nilum, rem tam fluxam, & perpete curſu præter labentem pro cœlo habet, & velut omnis gloriæ ſuæ loco? Seneca ſatis faciet huic quæſito, qui in lib. Natural. qq. ſic ait: *In Ægypto nemo aratorum aſpicit cœlum.* Quid mirum ergo, quod gentili Ægyptio Nilus videatur cœlum, & in illius inconſtantibus aquis collocatam ſuam gloriam habeat, ſi nunquàm attollit ad ſidera vultum? Iacobus Lobetius de Peccato l. 21. Propoſit. 5 §. 9. quærit, quamobrem Ægyptius, hoc eſt, peccator caducam hanc, fugacemque vitam loco gloriæ habebat, eiuſque theſauros adoret, & veneretur dignitates, vanoſque illius honores tam ſolicitè, tam anxiè, tam inhiantèr expetat. In promptu reſponſio eſt: *Quia in Ægypto nemo aſpicit cœlum.* Miſer peccator, & homo mundanus eſt Coſmographus, qui terram ſpectat, & pro ſuarum cogitationum ſcopo habet tum ipſam, tum interituras illius fortunas: *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Si Aſtrologus eſſet, vt ſunt viri ſancti, margaritas, vniones, adamantes, honores, dignitates, quantumcunque ſublimes & excelſas in humilibus vallibus, in vanis fumis, & inanibus ymbris, & vilibus ſtercoribus cenſeret.

Arator Aegypti⁹ nemo cæ-lũ aſpicit. Quid ita?

Mundus punctum eſt, ſi cum cœlo conferas.

Huic veritati ſuffragium ferunt celebratiſſimi illi Adoleſcentes, inſignia gentis Hebrææ decora, & ornamenta, Daniel, Sidrach, Abdenago. Ingreſſi ſunt regium palatium, vt Nabuchodonoſori ab officijs eſſent, ad hoc tam honorificùm miniſterium fuerunt è multis delecti, *conſtituitque eis Rex annonam per ſingulos dies de cibis ſuis, & de vino, vnde bibebat ipſe,* Dan. 1. v. 5. Quàm arrideret Danieli, & ſocijs eius, quod ad communionem menſæ regalis, tam ſplendidi conuiuij, tam lautarum epularum vſuram fuerant admiſſi! At videte inopinatum euentum: *Rogauit eunuchorum Præpoſitum, ne contaminaretur;* ibid. v. 8. Magnis precibus, multiſque cum lachrymis enixè, ardentèrque obſecrauit Daniel Præpoſitum ſuum Aſphenez, vt illos procul faceſſeret cibos, quos de Regis menſa adferebant, ſibi, ſocijſque ſatis delitiarum fore, ſi ad pauca legumina hauſtum aquæ obtinere poſſint, *Dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum;* ibid. v. 12. Incredibile videtur, talia precatos fuiſſe, & quod lactucam perdici, gallinæ betam antepoſuerint. Quid cauſæ potuit fuiſſe, quod tam inauditam commutationem petierunt, & ſtercus illis cœlum viſum fuerit, cœlum autem ciborum, quos Rex in pretio habebat, velut cænum deſpexerint?

Occurret huic difficultati S. Ioannes Chryſoſtomus, qui in homil. *Quod nemo læditur, niſi à ſeipſo,* ſic habet: *Quia erat menti eorum inſita diuina philoſophia, regiam aulam veluti ergaſtuli ſqualorem ducebant.* Aſtrologi erant, mentem collocatam, fixamque in ſupremis cœlorum habebant, cœlum ſemper cogitabant, cœleſtes theſauros ſpectabant, ſuperas arces obibant animis, cæleſtis Ieruſalem ipſorum polus erat, quem reſpiciebant, in diuino Palatio, vbi vita agetur æterna, in lauto epulo diuinæ viſionis, quæ perpetuùm durabit, ſemper verſabantur, idcircò Regis menſa, illius cibi, epulæ, Aula carcerem illis redolebat, & abominabiles eſcas: *Quia erat menti ipſorum indita diuina philoſophia, regiam Aulam veluti ergaſtuli ſqualorem duce-*

Daniel, & ſocij eius, quia Aſtrologi, aſpernabantur menſam regiam.

ducebant. Res manifesta est, quod terra cum omnibus honoribus, delicijs, & thesauris suis horror, & squalor videri debet ijs, quorum semper in cælum intenti sunt interiores oculi, quorum sagina cælum est, omnesque lautitiæ.

Benè conueniet huic cum illo, quod in libro Apostolicorum actuum de Catholicis recens in gremium IESV CHRISTI admissis ità refert S. Lucas: *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*, Act. 4. vv. 34. 35. In his notandus est mos, quo Lucas monet eos fuisse vsos, qui aurum, argentum, & quidquid ex facultatibus diuenditis contraxerant, ad Apostolos, Capita, & Duces exercitûs Christiani perferebant. *Ponebant*, inquit, *ante pedes Apostolorum*. Itane verò pretiosum aurum, & æstimabile argentum ad pedes Apostolorum abijciebant, & non magis in ipsorum manibus deponebant. Nam res, quæ pedibus subijcitur, ea certè contemnitur, & despectui habetur. Quid ergo aurum pedibus suppositum, & argentum calcandum datum fuit, quæ Mundus tam demissè adorat, tam humilitèr veneratur?

Aurũ, argentumue primorum Christianorũ cur ad pedes Apostolorũ depositum.

Respondebit S. Ambrosius verbis in rem præsentem natis: *Quia non est cura Sanctis elementorum spatia philosophico more, numerosque describere, quia Sancti spiritualibus semper intendunt, & vitæ æternæ profutura cognoscere gestiunt*. Hæc ille Serm. 12. in Ps. 118. Aptiùs in causam istam, vel rogatus, respondere non potuisset. Hoc est autem, quod dicit. Facultatis, quam Sancti profitentur, cura non eò vadit, vt elementa describant, aut terras designent, aut fodinas indagent, ac detegant, vel aurum perquirant, idcircò voluerunt aurum, & argentum ad suos pedes iactari, vt enim erant Astrologi, quorum omnis cogitatus in cælo versabatur, sic quæ sæculi homines, & peccatores capitibus suis imponunt, ea illi non maioris æstimabant, quàm quæ pedibus affusa, & substrata habemus: *Et ponebant ante pedes Apostolorum, quia spiritualibus semper intendunt, & vitæ æternæ profutura cognoscere gestiunt*. Quod cæcitas adorat humana, hoc Astrologi diuini sordidam scobem arbitrantur.

Astrologi erant primi Christiani, idcircò contẽptores auri.

Amans Propheta, cùm declarare vellet, quàm auidè, & anxiè cuperet videre amabilem Dominum suum, dicebat cerui se esse similem, qui cùm vulnus corpore excepit, totâ pedum contentione festinantissimè ad aquas currit, vt ardentis sitis incendia extinguat: *Quemadmodùm desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*; Ps. 41. v. 2. Cùmque putaret, se non consequi, quod tam cupidè expetebat, statim succlamabat: *Memor ero tui de terrâ Iordanis, & Hermonijm à monte modico*; ibid. v. 7. velut dixisset: Perpetuam tui, sacratissime Domine, habebo memoriam, vti constantem semper ergà te conseruo voluntatem, recordabor autem tui de hâc terrâ Iordanis, & montis Hermonijm, quæ omnia perexiguus quidam mons sunt.

Venerabilis P. Titelmanus in versum 8. huius 41. Psalmi sic disserit: *Illud mirum, Propheta totam Iudææ terram videri angustam, & modicam, Iordane fluuio, & monte Hermonijm conclusam, cùm terrenis, & terrena amantibus etiam pedis vnius spatium tanti æstimetur; vt pro eo nonnunquàm acerrimè depugnent, atque digladientur interdum vsque ad vitæ pericula, & maxima discrimina*. Amplissima erant spatia, quæ à Iordane ad montem Hermonijm vsque excurrebant, & diuino Prophetæ tamen videbatur exiguus mons, angustum tugurium, contractissimus angulus. Quid causæ esse potest?

David Astrologus erat, ideoque totam Iudæam perexiguã putabat.

Placebit responsum Titelmani, dignum viro tam spirituali, quod sic habet: *Qui nonnisi terram norunt, nunquàm contemplati superna, mira putant, quæ hic vident, omnia, contrà verò, quibus familiare est ad superna auolare, quibus*

datum

datum est videre, quàm sit magna domus Dei, hi nimirùm etiam regiones reputare norunt angustissimas, immò totam mundi, quæ videtur, latitudinem, nonnisi angusti carceris æstimant locum. Homines terreni, & mundani sunt Cosmographi, & cùm eorum studium totum occupetur ergà terram, idcircò tanti faciunt quamcunque eius partem, quem vis honorem, quem ab eâ obtinent, qualem libet voluptatulam, quam ex eâ hauriunt: Ex aduerso cùm Iusti, & serui Dei sunt Astrologi, quorum vigiliæ, lucubrationes, solicitudines, & tota, quam profitentur, facultas circà cœlum versantur, hinc nascitur, quod amplissima terræ spatia, dignitates illius maximæ, oblectamenta voluptuosissima ipsis videantur miseriæ, mendicitates rejectanea, ramenta, & si quid vilius, angustus carcer olidum ergastulum, immundum stercus.

CAPVT VIII.

Indignum in sublimi dignitatis solio collocare, nil aliud est, quàm ipsum publicæ confusioni exponere.

Dauid Astrologus erat, ideoque totam Iudæam perexiguã putabat.

R*Idiculum magis, quàm te hactenus vidi neminem,* dicebat sacer Phœnix rapaci Aquilæ. Plurimùm miror, quod Basilius dixerit, hominem Iuliano digniorem risu nullum sibi vnquàm accurrisse, cùm ipse de se Iulianus affirmauerit sibi venerationem subditos, & obedientiam prostratos exhibere, quotquot in sole vspiam apricantur. Sic enim scribebat epistola 27. illi, à quo tam despicabiliter contemnebatur: *Adhuc subditos omnes, qui sub sole sunt, habui.* Quomodo ergo sic despicit Principem, cuius tam latè se diffundebat imperium, vt orbem complecteretur? Iulianus causam huius paulò infrà exponit, dicens: *In omnibus me diffamas, vt Romano indignũ imperio,* hoc est, in epistolis, in colloquijs, quauis occasione, & omni in loco hac me ignominiâ notas, quod Romani impar sim administrationi Imperij. At si Basilius talem habebat de Iuliano existimationem, quid mirum, quod illum in corde spreuerit, & quauis occasione cum risu memorauerit, & tam contemptim locutus de illo fuerit? Nam homo in supremo Imperij vertice positus, & in editissimo summæ dignitatis fastigio collocatus, si indignus in eum apicem peruenit, quid aliud est, nisi scopus sannarum, & fomes ludibriorum?

Prælatus, qui officio indignus, idem deridiculus.

Id manifestum fiet ex mysticâ quadam Zachariæ prophetæ, cui Angelus aliquis olim dixit: *Leua oculos tuos, & vide, quid est hoc, quod egreditur? Et dixi: Quidnam est?* Zach. 5. v. 5. 6. Iussus propheta attollere oculos, vt rem dignam risu videret, suspexit, *& ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ, & dixit, hæc est impietas;* ibid. vv. 7. 8. Quodnam est talentum plumbi, quod robore, & viribus impietatis per sublimem aëris regionem deferebatur? Si interroges Petrum Berchorium, Ioannem Cluniacensem, & Geminianum, dicent, esse Prælatum sine talento, hoc est, quem par officio, & dignitati ingenium, prudentia, solertia destituat. *Talentum plumbi portabatur, id est, plumbeus Superior.* Sic exponunt illi. Talentum plumbi est Princeps, seu Prælatus tam plumbeus, tam grauis, tam negligens, tam socors, cuius tanta est sui officij incuria, vt nunquàm è sede suâ exurgat, nunquàm otij, & vituperabilis quietis suæ nidum deserat. Quid hinc consequitur? *Hæc est oculus eorum in vniuersâ terrâ;* ibid. v. 6. hoc est, in talem plumbeum Prælatum figunt omnes vndique suos oculos. Sed heus Propheta, id quod tu vides, quantum oculis offert, quod videant, tantum linguis præbet, quod loquantur. Quid est, quod omnes vident, & rident? Quod ingens plumbi moles per aërem circumferatur. *Et ecce talentum plumbi portabatur.* Res clara est, quod toti mundo risum mouere debeat, si videat solis impietatis viribus graue talentum plumbi volare per aërem, cùm istam regionem occupare

Prælatus officio indignus, est plumbi talentum.

Aquila deberet. *Hæc est oculus eorum in vniuersâ terrâ.* Et velut homo ad palum numellarium positus, & expositus publicæ confusioni, est sanna risus, & fabula omnium: Ita non potest non magni ludibrij materiam præbere, si quis videat plumbo, stipiti, ligno, suas decerni lauros, quibus ornentur, sua concedi præmia, quibus locupletetur, tanquàm fuissent Aquilæ, quarum volatum auis nulla assequi potest, tanquàm diu in bello discurrissent, & in conflictibus desudassent, sanguinemque in pugnâ fudissent: *Hæc est oculus eorum in vniuersâ terrâ*; quotquot enim vident, & audiunt præmia tam malè collocata, & honorum dignitates tam violenter occupatas, vel concessas, certùm est quod & audiunt cùm illusione, & vident cùm despectione eorum, qui tam injustè ijs gaudent.

Huc facit, quod experientiâ Ciceronis ait S. Hieronymus epist. 26. c. 3 *Egregiè de Cæsare Tullius: Cùm quosdam ornare voluit, non illos honestauit, sed ornamenta ipsa turpauit.* Multos rudes, sordidos, indignos, ad summas dignitates Cæsar extulit, eaque re non ornamenta illis, sed dedecora attulit, & præmia ipsa ludibrio exposuit.

S. Ioannes Chrysostomus plurimùm admiratur audaciam Eliæ, qui à Rege obiurgatus, magno animo, ardentèr, & intrepidè illi respondit. Dicebat illi Rex: *Nonne tu es, qui conturbas Israël?* 3. Reg. 18. v. 17. Vix sanctus Propheta istam accusationem audierat, quando extemplò reposuit: *Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui*; ibid. v. 18. velut dixisset: Turpiter errauit, quisquis Maiestati tuæ denũciauit, quòd ego tuorum animos concitem, Maiestas autem tua, eâ de re culpitari debet, quia tu, & patris tui domus estis, qui motus excitatis, peruertitisque, & euertitis omnia. Itane verò, inquit Chrysostomus, Regi subditus respondere tam audacter potest? Quid vidit in Rege, quod increpationem illius, minasque sic despexit? Indignum cùm sceptro, cùm diademate impium vidit. *Etenim tanquàm in scenâ, & non in veritate sibi Regem cernere videbatur,* inquit Os aureum homil. 8. ad Pop. Quoties Eliæ in oculos incurrebat Achab, occurrebat imaginationi illius quidam de comœdiâ ludio Rex, adeò indignum purpurâ, & ineptum Imperio illum arbitrabatur. Et velut Regem, scenicum, & ludionem, quantumcunque stomachosum se ostentet, quantasuis minas iratus intentet, quantalibet munera, & præmia generosus promittat, omnes rident, ipsiusque tum comminationes, tum pollicitationes despectui habent: Ita Elias (inquit Chrysostomus) aspernabatur, & ludibrio habebat Regem Achab, furoremque eiusdem, & minas; nam vt illum reputabat indignum sceptro, & coronâ, ita non maioris faciebat, quàm scenicum aliquem & histrionicum regem, vel Principem ludionem; *Etenim tanquàm in scenâ & non in veritate sibi Regem cernere videbatur.*

Prælatus indignus officio est rex in scenâ.

Elias regē Achab merito contēnebat.

Commodum huc venit, quod magnanimus martyr Seuerinus Boëtius lib. 3. de Consolat. prosâ 4. scriptum reliquit his verbis: *Non fugare, sed potiùs illustrare nequitiam solent magistratus. Vnde Catullus licet in curuli Nonium sedentem, strumam tamen appellauit.* Insignis stultitia est, ne dicam insania, existimare, quod purpura, diadema, laurus, quæ cingant tempora, & operiunt corpus, etiam defectus tegant hominis dignitate indigni: Immò verò quanto magis tales se tegunt vestibus, & purpurâ, tanto ampliùs se detegunt populo, & quo magis innotescunt vulgo, & turpiores irrisiones, & plura ludibria sibi conciliant. Videmus namque, quod Nonius, tametsi curuli, quæ ex ebore fabricabatur, sellâ veheretur, non proinde euaserit probrosam Strumæ appellationem: *Strumam illum Catullus appellauit.* Struma genus morbi est, *quo guttur homini tantùm, & suibus intumescit*, inquit Plinius lib. 8. c. 11. Si suem in throno, si brutum tam spurcum cùm veste, & insignibus Consiliarij in subsellijs videres, effusissimi certè ri-

Nonius cur struma a Catullo vocatus.

Strumâ homini tantùm & suibus guttur intumescit.

tè risûs tibi occasionem offerret. Hoc est, quod Catullus dixit, cùm Nonium in curuli, Consulum Romanorum sellâ, vidit. Non solùm enim ad nullam venerationem ei deferendam eo visu excitabatur, verùm etiam, quod ad tale esset ineptus officium, risum, & subsannationem illi extorquebat. *Licet in curuli sedentem, strumam tamen appellauit.* Sicut enim risum tenere non potuisset, si porcum cùm insignibus Senatoris, vel Consulis in sellâ curuli intuitus fuisset, ita cachinnabatur, quoties indignum illum, & ineptum in tam magnificâ sede conspiciebat, quandoquidem etiam iustius fuisset, aliam sellam ei imponere (ephippia vocant:) quàm permittere eam, in quâ illustris Senatoris personatus consul, referebat. *Illum siquidem honores glorificant*, vt ille tam benè meritus consul Cassiodorus lib. 9. epist. 11 ait, *quem commendat & vita*, & quem heroica gesta sublimem euexerunt, is laudem, & admirationem habet in eo dignitatis gradu, in quem per sua præclara facinora penetrauit. Qui alis fortitudinis, scientiæ, prudentiæ, ingenij, virtutum in altum euolat, is ad se colendum honorandumq; omnes suo iure prouocat: Qui verò per malos dolos, vim, potentiam consequitur honores, & in gradu eminentiore dignitatis collocatur, ille, præterquàm quod sit ipsiusmet honoris dedecus, & probrum dignitatis, etiam ludibrium populi est & fabula vulgi. Nempè talis non est nisi scenicus, & histrionicus Rex, Chiliarcha, gratiosus intimus, Prælatus: *Tanquàm in scenâ.*

Prælatus ineptus suo muneri, est sus in sellâ curuli.

Prælatus impar officio gestet meliùs sellam, quàm occupet.

Prælatus vi, vel fraude intrusus, sui honoris dedecus est, & vulgi risus.

CAPVT IX.

Rex, Princeps, Prælatus, qui non est timens Deum, is à nemine timetur, colitur, obseruatur.

Adhæc quid mirum, quod Basilius opere, ac verbis risit, contempsitque Imperatorem apostatam? Nam cùm desertor fidei esset, & hostis Dei, nihil non uum, quod Phœnix Aquilam despexit, quanquàm Aquila sit auium coronata imperatrix: *Ridiculum, quàm te, hactenùs vidi neminem.* Reuera enim eum tantùm Principem timent homines, qui ipsus timet Deum. Metuat Deum Princeps, & ille faciet, vt pauore eius totus mundus contremiseat.

Princeps, qui non timet Deú, non timetur ab hominibus.

Admirationem peperit Salomoni Hispaniarum Alphonso Tostato (& cui sapienti non adferat?) quod Moyses solo comitatus Iosue (cùm è monte descendens, vidisset, à populo adorationis cultum exhiberi vitulo) cùm tanto animo accurrerit, arreptumque idolum igni subiecerit, quoad in minutulos pulueres vsque conflagraret. *Arripiens vitulum combussit, & contriuit vsq; ad puluerem*, inquit sacer Scriptor Exod. 32. v. 20. Quis vnquàm vidit sanctiorem, generosioremque iracundiam? Quis decentiorem audaciam? Quis indignationem magis laude dignam? *Moyses valde iratus accepit vitulum, & conculcabat, & comminuebat vitulum*, inquit Tostatus, idq́; ob oculos innumeræ multitudinis idololatricis, quæ genua vitulo illi submittebat, illudque primum de tanto scelere supplicium sumebat, quod Deum, quem illi adorabant, pertinacibus pedum plantis tamdiu terebat, quousque minutatim in pulueres contriuisset. Quis non miretur videns, quòd vnus homo solo vno comitatus, qui partes eius sequebatur, tam probrosè, ac viliter tractare Deum ausus fuit coram ijs, qui sui auri magno impendio conflauerant, & pene omnes suas facultates in illum profuderant, & cui tam altum cultum detulerant? Quid causæ, quòd Princeps tam formidabilis fuit populo, & populus tam ignauus, & meticulosus, vt permiserit de ostrum suum tam indignè conculcari? *Considerandum, quod licet maior pars populi circumfusa esset, tamen solo Moyse, & Iosue aduentantibus cuncti extimuerunt; nec quidquam obsistere audebant*, inquit ille rursùm. Vnde tam intrepidus animus ductori populi, vt hoc adstante, &

Moyses quia timebat Deum timebatur à populo.

adspi-

adſpiciente, velut inſultabundus inueheretur in vitulum, eumque ſic proculcaret, vt contradicere, vel obſiſtere nemo auderet?

Moyſes vnde auſ conterere vitulum impendiis fuſum?

Reſpondet Toſtatus: *Moyſes in reditu ſuo fuit in vultu terribilis, emittens aliquos radios de vultu ſuo, ad terrorem malorum.* A monte reuerſus, cùm plurimum ex Deo conferret, omnique eius gratiâ probè obarmatus veniret, credibile eſt, tam ſplendicantes è facie iaculatum fuiſſe radios, vt iis vehementer pauefecerit impios, & ingentem tremorem illis incuſſerit. Princeps enim populi, dux vulgi, qui metuit Deum, & dominus, qui timet ſupremum Dominum, faciet, vt omnibus ſit timori, dominis, ſubditis, pauperibus, diuitibus.

Locuples huius veritatis teſtis fuerit Propheta regius qui memorans coniuratos hoſtes ſuos ſic aiebat: *Sederunt Principes, & aduerſum me loquebantur*; Pſ. 118. v. 23. & varia inſtituebant conciliabula, vbi ſolertèr, ſtudioſèq; deliberabatur, quomodo me de ſolio deturbare, & nudare purpurâ poſſent. Videtis hîc Regem, cui patefacta Potentium principum contra ipſum inſtituta coniuratio, nec ignarum, quod in multis clandeſtinis conuentibus decretum erat, vt purpurâ ſimul & regno exueretur. Quid iſte faciet? Conflabít-ne militem, & neceſſarium exercitui apparatum vt eadem operâ ſibi conflet timorem? Nequaquàm. Quibus ergo mediis vſus eſt, vt inſidioſa perduellium conuenticula diſſolueret, & potentium coniuratorum nefariam conſpirationem diſſiparet, atq; animos perterrefaceret? *Seruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis*; ibid. Totus apparatus bellicus armorum, militum, annonæ, quibus ſe aduerſus hoſtes ſuos obmuniebat, non alius erat, quàm quod flagris corpus ſuum acriter verberabat, & jeiuniis extenuabat, & durâ pœnitentiâ ſe affligebat, & orationi, aliarumq; virtutum exercitationi addictum habebat. Ergone tali remedio aduerſùm perfidioſos vtebatur, & hac ratione timorem ſibi apud perduelles conciliare poſſe arbitrabatur?

Reſpondet S. Ambroſius Octonario 3. in Pſ. 118. *Aduertimus arma Iuſti, quibus omnes aduerſariorum repellat impetus. Alibi ait: Detrahebant mihi, ego autem orabam. Hic ait, quod ſtudium ei non exercenda ad belli artes fuerit iuuentutis, maior in eo pietas, quàm corporis virtus militabat.* Videte ſancti Regis arma (quis hoc imaginatus fuiſſet!) quando intellexit adornatam ab infeſtis Principibus defectionem, velleq; eos ſuo ſe ſubtrahere Imperio. Vexilla, quæ erigebat, milites, quas ſcribebat, arces, quas muniebat, belli inſtrumenta, quæ colligebat, non alia erant, quàm oratio, pœnitentia, cilicium, ſaccus, jejunium, cæteræ virtutes, quæcunque Regem addecebant: *Aduertimus arma iuſti, quibus omnes aduerſariorum repellat impetus.* Timeat ergo Princeps Deum, Deus enim tunc faciet, vt omnes ipſum timeant. Facilè enim timorem ſuis ſubditis injicit Princeps, qui ipſe ſupremum timet Deum.

Dauid pietate, non armis ſe aduersùm hoſtes muniebat.

Cùm Apoſtolus referret modum, quo conciderunt muri Ierichontini, ita narrat, vt prorſùm ruinæ illorum circumſtantias non rectè commemoraſſe videatur. *Fide*, inquit, *muri Iericho corruerunt circuitu ſeptem dierum*; Heb. 11. v. 30. Quàm breuitèr refert Apoſtolus, quod cùm tam multis circumſtantiis prolixâ narratione liber Ioſue exponit! Ibi enim dicitur, quod ſex diebus continuis, & quot dies ſemel circuierunt eam ciuitatem omnes, qui militabant: *Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem, ſic facietis ſex diebus*; Ioſue 6. v. 3. Die ſeptimo cùm Sacerdotes clangerent tubis, quarum vſus erat in jubileo, & Arca viam præiret, ac ſepties exercitus omnis vrbem obſediſſet, cinxiſſetque, tunc ſôlo æquati ſunt muri. Omnia ad hunc modum acciderunt. Quomodò ergo Paulus velut non ſatis gnarus tam particularium circumſtantiarum, tanto verborum compendio vtitur, & tam jejunè

iunè dicit: *Fide muri Ierichò corruerunt, circuitu dierum septem?*

Huic difficultati occurrit magnus discipulus Augustini Primasius, dicens, magno mysterio assertum à Paulo, quod fide corruerunt muri Ierichontini, tametsi alij tam multi bellici apparatus ad hanc rem fuerint adhibiti, quos Textus enarrat, vt sit nobis documento, præcipuum, & potissimum, quod demolitur ciuitates, quod destruit cohortes aduersarias quod fugat, & fundit hostiles exercitus, non esse apparatum belli, non militum copias, non hastas, aut bipennes, non equos, non cæteras munitiones castrenses, sed fidem, deuotionem, pœnitentiam, orationem, jeiunia, & reliqua virtutum opera. *Fide muri Ierichò corruerunt. Non enim tubarum sonitu murorum saxa deiiceret, etiamsi per decem mille annos quis tubis insonaret; sed fide, quâ crediderunt Deo, deiecerunt illos.* Fides muros, fides valla, fides munitiones euertit, si decies millenis annis cùm ingenti belli apparatu, & maiore strepitu circumjissent Iericho, totidem annis erecti, integri, inconcussi perstitissent illius vrbis muri, nec hostes subegissent. Quamdiu enim non dimicat fides, non fert suppetias charitas, non auxiliatur virtus, quamdiu Princeps non habet timorem Dei, ne speres, quod illum quisquam timebit. Timeat ergo, & amet Deum, sic enim & timebitur, & amabitur; timebitur ab hostibus, & amabitur à subditis.

Dauid pietate, non armis se aduersùm hostes muniebat.

Principū fides, & pietas, nō arma deijciunt muros hostiles.

CAPVT X.

In theatro mundi nunquàm bene agitur comœdia gubernationis, nisi hoc cuique repræsentādum tradatur, quod est consentaneum ipsius statui, & professioni.

VNa ex causis, ob quas Basilius tam ridiculè habuit Imperatorem, ea est, quod ex diuinarum lectore literarum derepente factus est moderator armorum. *Reuoco adhac in animum studium tuum, quo sacra, & optima studia vnà Athenis didicimus, & ad diuinas literas legendas simul accessimus. Nunc contrà turpis & indecorus castra ponis.* Ita Basilius epist. 27. velut dixisset: Occurrit memoriæ, quod studiorum collegæ fuimus Athenis. Ibi totam ingeniorum curam vertimus ad vnica diuinarum studia literarum. Harum posthæc publici fuimus doctores. Cùm autem nunc videam, te subitò ex cathedra transisse ad tentoria, pro calamo gladium accepisse, & ex literarum professore factum militię ducem, & à lectionum recessu in patentem campum prodiisse, quomodo mihi à risu moderari possum? *Ridiculum magis, quàm te, hactenùs vidi neminem.* In theatro enim mundi perridicula res est, quod quis hodie repræsentet militem, qui heri egit literarum studiosum, quodque toti exercitûs eis moderandi committuntur, qui in euolendis libris versari deberent. Hæc causa est, quod videamus tot comœdiarum actiones, verti in tragœdias, quia personarum designādarum autores constituunt literarum studiosos, vt milites referant, & milites designant, vt Musarum alumnos referant, promiscuèque, ac sine delectu ignaris prudentium, doctis imperitorum personas repræsentandas committunt.

Imperium nullum bonum, vbi malus delectus ministrorum.

O quàm opportunè hîc nobis succurret quædam S. Ioannis Chrysostomi obseruatio! Ingrediebatur diuinus Magister cœlestis Patris sui ædem, vidensque eam sacrilegâ libertate indignè profanari, viles mundinatores omnes flagris è templo exturbauit. *Et eiiciebat omnes vendentes, & ementes in templo, & cathedras vendentium columbas euertit.* Matth. 21 v. 12. Fixit sanctus Doctor considerationem inflagrantem iram, & iustam indignationem, quâ deiecit, & terræ afflixit cathedras vendentium columbas. Quamobrem contrà cathedras tam vehementèr stomacharus fuit? Palàm est, id factum, quod in cathedris essent columbæ. *Columbæ non includuntur vtique in cathedris, sed in caueis. Nemo colum-*

columbas in cathedris includit, sed in caueis, inquit Chrysostomus homil. 13. in Marcum. Quid mirum, quod in tragœdiam res exijt, omnisque cathedra deturbata, & solo effusa fuit, quandoquidem Saluator animaduertit, tam malè distributa officia, & simplicibus columbis aquilarum munus demandatum? Columbæ in cathedris sunt positæ, cathedræ verò aquilis, lyncibus, magnis, & subtilibus ingeniis sunt præparatæ. Quis autem non indignè ferat, si videat, simplici columbæ iniungi vt repræsentet, quod aquila repræsentare deberet, & vices aquilæ agat? Columbæ obscuris nidis, reconditis caueis includi debent, non patentibus, publicis, sublimibus cathedris imponi. Cùm videret ergo Saluator tam sinistrè designata officia, omnia euertit, & deiecit. *Et cathedras vendentium columbas euertit. Columbæ non includuntur vtique in cathedris, sed in caueis.*

Christus euertit cathedras quæ in caueas versę erant.

De illâ tam decantatâ muliere, & generosâ fœminâ dicit diuinum Oraculum, quod *manum suam misit ad fortia*, Prou. 31. v. 19 Iuxtà hæc ergo arripuerit lanceam, hastam, gladium, scutum. Minimè istud. Quid ergo hæc masculo animo mulier aggressa est? *Digiti eius apprehenderunt fusum*; ibidem, & operam colo sedulam dederunt. Hoccine verò est misisse manum ad fortia, tentâsse ardua, aggressam esse operosa? Immò. Quia mulieri gladius, hasta, & quæ sunt talia, essent, infirma, quemadmodum viro fusus, colus, acus essent debilia, facere autem hoc, non illud, esset inuertere ordinem, & confundere officia, quando autem suum quisque munus curat, & mulier fusum, gladium vir tractat, omnia rectè fiunt, & administrantur. Quando autem viri mulierum personas repræsentant, & mulieres, quæ virorum sunt, faciunt, desperatum est de bono comœdiæ successu, tametsi fortè à bono successu nomen habeat.

Mulier fusum, gladium vir tractet.

Nam vt Constantinus lib. 10. locorum commun. c. 20. habet, *si infirmus de nocte vigilet, & de die dormiat, malum est.* In tragœdiam desinet ægrotantis malum si temporum vicissitudines infirmus peruertat, dormiens cùm vigilandum esset; vigilans cùm dormire oporteret. Quod temporum, locorum, & occasionum fræna mutantur, quod militis, & secularis officium Ecclesiasticus, & Religiosus inuadit, quod lorica in togam conuertitur, quod toga in loricam transformatur, id Rerumpublicarum ruinis, & immedicabilibus malis fores aperit.

Infirmus noctu si vigilet, atque interdiu dormiat, malum.

Quæri potest, cur sanctus Apostolus Paulus ludum Ismahelis cum Isaac vocet persecutionem, & acerbam hostilitatem. Sic enim ait ad Galat. 4. v. 29. *Is qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum.* Certè Genesis 21. v. 9. vnde hæc Paulus accepit, nihil dicit sacer Scriptor, nisi quod *cùm vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum filio suo Isaac*, rogarit Abraham maritum suum, vt ancillam, vnaque filium eius eiiceret. At si ludus tantùm fuit, quomodo persecutio? Si iocus solùs, quomodo hostilitas, & infestatio?

Ismahelis cũ Isaaco ludus cur persecutio dictus.

Dubitationi satisfacit abbas Tuitiensis Rupertus in c. 21. Gen dicens, persecutionem vocari ab Apostolo, *quòd aduersus Isaac, quasi maioris ætatis, ioco sibi, & ludo primogenita vendicaret.* Supremum Consilium cælestis Consistorij declarauerat Isaacum primogenitum, & hæredem domus Abrahæ. Quid autem faciebat Ismahel, quando cum primogenito Isaac ludo se oblectabat? Ludere dominatu (vt hic loquimur) voluit. Hic autem ludus talis est, vt minister, siue is à pedibus sit, siue à manibus, ludat cum primogenito, siue dominio suo, & minister quidem collocet se in sede domini sui, dominus verò ministrum agat, cui famulus imperet, quoad ludus durat, tanquàm ipsius verus, ac legitimùs dominus esset. Adhoc alludit Rupertus, cùm ait, Ismahelem, quasi maioris ætatis, aduersùs Isaac ioco sibi, & ludo primogenita vendicare voluisse, hoc est,

Ismahel ioco sibi primo genita vendicabat.

Isma-

Ismahelem, & Isaacum de dominatu, velut in scenâ, luctando decertasse, & Ismahelem ex sede domini sui dominum repræsentasse, & Isaacum egisse ministrum, obediendo alteri, quemadmodùm serui dominis solent. Hunc itaque ludum, & iocum, hanc oblectationem duorum puerorum vocat S. Paulus feram, & sanguinariam persecutionem: *Is, qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum*; vt nobis indicaret, quod si crudelis persecutio est, quando vel pueri, etiam per iocum, & ludum permutant fræna, vt dominum agat, qui seruus est, & seruum repræsentet dominus, quid futurum sit, quando tale quid seriò, & ex certo animi proposito in decernendis gubernatorum officiis agitur, & permutantur vices, & conditiones, constituiturque toga, vbi fasces moderari deberent, & extolluntur mulieres, vbi præsidere viros oportet. Manifestum siquidem est, quod cùm talia fiunt, pessum eunt Respublicæ, Regnaque funditùs intereunt, quod nos experientiâ, magno cum dolore, vitæque, & facultatum dispendio comperimus, quotidieque velimus, nolimus, discimus.

Ismahelis cũ Isaaco ludus cur persecutio dictus.

Regnorũ interitus ex inconsulto ministrorum delectu.

Ab ipsis mundi primordiis accersere possumus, quo assertum nostrum constabiliamus. Quando Protoparens nostra domicilio gaudebat ad omnem voluptatem ficto, & elaboratè formato, *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile*; Gen. 3. v. 6. S. Ambrosius lib. de Paradyso c. 13. ait: *Infirma autor iudicij, quæ de eo, quod non gustauerat, iudicabat*. Nihil mirum, quod Eua se præcipitauerit in profundam tam miseri erroris abyssum, quandoquidem oculos constituit iudices qui pronuntiarent de re, de quâ in suo tribunali palatum, & gustus decernere, & dicere sententiam debuerant. Dicit namque sacer Textus: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum*. quis tale quid vnquàm vidit? Quod arborum elegantia, quòd foliorum smaragdi, quòd puniceorum pomorum nitor dulce fuerint, gratumque oculorum pabulum, tanquàm arbitratus bonus admitti posset: Verùm quî fieri pôtest, quod oculi dicant, & pronuncient, maturum esse, & suauem gustui fructum? Nam iudicare de saporibus, ad aulam palati pertinet. At si Eua oculos fecit arbitros iudices rei, de quâ decernere ex officio gustus debet, & solus rectè potest, & oculorum sententiam vixdum prolatam executa fuit, quid mirum, inquit Ambrosius, quod illa causa fuit fatalis interitûs totius mundi, quæ contra leges rationis, & iustitiæ distribuit officia, ministeria ordinauit? Fugiendus ergo gubernandi modus Euæ, amplectenda regendi ratio, quàm Sara tenuit, quæ cùm videret, quod primogenitus, & dominus officium serui administraret, & seruus munus domini exerceret, tametsi ioco tantùm fieret, seruum, vnàque matrem eius exulare coëgit. Alioqui si secùs fiat, id nobis certò persuasum habeamus, quod ex inconsultâ officiorum distributione, & inordinatâ, confusâq; gubernatorum designatione, & institutione indubitatâ strages consequetur, & suprema ruina Rerũpublicarum, Regnorum, Monarchiarum.

Ismahel ioco sibi primo genita vendicabat.

Eua in deligendo vero iudice aberrauit.

Saporum iudex gustus, non oculus.

Eua cum malè distribuit officia, toti mundo exitium attulit.

RESPONSORIA EPISTOLA S. BASILII ad quasdam Iuliani literas, quibus ab illo mille libras auri exposcebat in subsidium belli, quod Persis inferre decreuerat, adornata ab Illustrissimo domino, D. Antonio de Gueuaua, Episcopo Modoniensi, quam in illius Oratorio Religiosorum c. 29. reperies, impresso Coloniæ 1614.

Serenissime Princeps, & Vniuersalis Domine.

Basilij responsoria ad Iulianũ mille auri libras petentem.

AMpronianus Cappadociæ Prætor, & Asiæ Quæstor supremus, dedit mihi epistolam quandam tuam, simulque exposuit, quid per eam velles, sed quod Christus meus nouit, & Ampronianus etiam videt, non possum dare, quod ille à me petit, neque explerere, quod tu mihi imperas: Nihilominus vinciri me iussit, & ferro constrictum custodiæ tradi. Mandas, Serenissime Princeps, vt auri libras mille tibi dependam, & reuerà magnâ voluntate eas darem, si modò haberem, quia Christus Dominus noster, non præcipit vel negare obedientiam Principibus mundanis, vel abnuere opum facultates. Fortunarum mearum, & facultatum hæc summa est, vnus ager solus, decem oleæ, aluearia item decem, mola vna, domus vna, oues quadraginta, palmæ octo, tres ficus, hortus vnus exiguus, quorum omnium non me censeo dominum absolutum; sed dispensatorem Apostolicum: mihi enim conquirendi cura demandata est, & pauperibus comedendi copia facta. Facilè video, quòd non sum Apostolus, verùmtamen & hoc confiteor, quòd sum Apostolorum successor, quorum si non habeo meritum; gero tamen officium. Hanc ob causam teneor parcè iis vti, & non habere thesauros. Id tu mihi, Iuliane, tutò credere potes, quia nec habeo licentiam eos retinendi, nec facultates, ex quibus colligam. Ego, Serenissime Princeps, gloriæ duco, quòd sum Monachus, & Deo meo, Christoque iuro, quòd in statu monastico manus meæ nunquàm contrectârunt aurum, nec aliquod per fores meas illatum est, quia ego, & quotquot mecum sunt, plus lætitiæ capimus ex globo luti ad obturandas cellas apto, quàm ex auro Nili, quod ad conficiendas coronas vertitur. Si quid nobis eleemosynæ offertur, id sanctus Monachus quidam ex officio excipit, & posthæc inter pauperes,

nos-

nosque dispertit; Christi enim nostri ministri non audent ante accumbere mensæ, quàm stipem aliquam erogauerint. Si vis aliquem ex alueariis nostris fauum, aut oliuas aliquot, aut cistellas nonnullas nostris manibus contextas, aut radices, quas ad victum nostrùm excerpimus, talia quædam tibi ministrare, & famulis tuis tradere poterimus; verùm aurum, & argentum ne nouimus quidem. Et quomodo aurum, vel argentum tibi dare possunt, qui non suscitant ignem, nisi die Dominico, neque vescuntur carnibus, præterquàm Paschatis festo, & aquam dulcem per totam hebdomaden vno tantùm die, nec sæpiùs bibunt? Quomodo tributa soluere queant, qui totam suam ex campis colligunt annonam? Quomodo mille auri libras numerare, qui quod ædiculâ sacrâ destituti sint, sabbatis in cauo oleæ communicant? Quàm magna, putas, est penus nostra, & vitæ alimonia, qui domi nostræ coquum nunquàm habuimus? Apparatus culinæ, abacos, eduliorum receptacula, mensæ supellectilia, vinum Alexandriæ, & quæ prætereà gulæ satisfaciunt, sunt admodùm extera à vitâ monasticâ, & conscientiis puris parùm tuta. Quomodo, putas, ibunt indagatum fodinas, & venas auri, qui comedere caules mordaci acceto tinctas in summis deliciis numerant? In hac eremo aquam dulcem à quatuor milliaribus adferimus, amaram à tribus, & piaculum arbitramur, aquam in diem alterum asseruare, & fidem apud te inuenerunt, qui aurum, & argentum à nobis extorquere suggesserunt! Ne aurum, argentumue à nobis, Serenissime Princeps, exegeris, quia Monachi mei, & ego maiori honori ducimus aspernari, quàm in thesauros inferre diuitias, quas tu expetis, maximè in hac vastâ, & arenosâ eremo, vbi non permittuntur deliciæ, tametsi quærerentur, nec inueniuntur thesauri, quanquàm scrutari eos quis vellet. Paupertatis obseruantiæ sic assueuimus, & auaritiæ scelus tanto odio prosequimur, vt monachus quidam meus non fuerit ausus è terra subleuare auri globulum, quem per viam fortuitò inuenit, si enim in ipsius cella posteà reperissent, ecclesiasticæ sepulturæ beneficium ei denegassent. Omnia hæc scribo, Eminentissime Domine, vt videas, quàm immeritò Ampronianus Prætor tuus mihi manus iniecit, & monachis meis molestus fuit, qui tibi pro redemptione meâ mittunt cucullos suos, quibus teguntur, & fiscellas, quas manibus suis texunt. Hoc tibi dicere possum, Iuliane, quod qui tibi hos cophinos mittunt, omnem vultus sui sudorem offerunt, atque vt sibi, mihique alimoniam parent, multas horas insomnes transmittunt, & vt hæc mihi vincula ferrea rela-

xes, lætantur nudi incedere, & diram gaudentèr tolerant esuriem. Accipe, Domine, fiscellas istas pauculas ab his, qui optimo animo mittunt, munera enim, quæ dantur, & officia, quæ exhibentur, non sunt opulenta ex pretio, quod habent, sed ex animo, quo offeruntur, vel peraguntur. Si sportas, quæ tibi mittuntur, spectas, munus tenue videbuntur, at si lachrymas, quibuscum texuntur, animo dispicis, in pretio habebis, nam studium, cuius apud nos maior vsus, illud est, quod teximus palmas in subsidium pauperum & deploramus culpas flagitiosorum. Possum & istud tibi dicere, Serenissime Princeps, quod Pilatus habuit vinctum Christum, Herodes Petrum, Festus Paulum, & nunc Ampronianus Basilium, & si nec tu me liberare volueris, nec dimittere Ampronianus, fieri posset vt ex malo monacho martyrem bonum faceres. Hucusque responsoria epistola Catholici Basilij ad literas impij Apostatæ, & athei Iuliani. Mox videbimus, quis finis fuerit minarum ferocis Imperatoris, & quam prosperum successum habuerit constantia, & magnanimitas intrepidi Patris.

PHOENICIS GRÆCIÆ, S. Basilij Magni LIBER VI.

CAPVT I.

Supremus Rex, & Imperator Iesus Christus honori duxit, quod Augustus esset, non quod Cæsar, in quo tanquàm in crystallino speculo dispicere possunt Christiani Principes, & Catholici Dynastæ, quomodo sua administrare Imperia debeant.

DVo cognomina habebāt veteres mūdi Imperatores, quæ illos à cæteris hominibus, & subditis discernebāt, quod peruulgatum est in historijs. Vnum agnomen erat, quo Augusti vocabantur, alterum, quo Cæsares, vt constat ex Bullingero lib. 1. de imper. c. 9, & 17. qui ex instituto hanc materiam pertractat. Cæsaris appellatio descendit à verbo *Cædere*, quod significat *tundere, verberare, percutere, sauciare, trucidare.* Ita affirmant Suidas, Cedrenus, & alij multi. Augusti nomenclatura venit à verbo *Augeo*, quod significat, *maius facio, amplifico, incrementum addo.* Ita Bullingerus, Munatius, Plancus, Ægesippus lib. 5. de excidio Ierosolymitano. *Augusti nomen ab augendo imperio, quod augeat Imperator suos.* Et Feuardentius in 1. Esther notat, *Romanos Imperatores vocatos Augustos, velut diuinitùs datos, & religiosa quadam veneratione in Rempublicam obseruandos.* Itaque discrimen, quod est inter hæc duo nomina, tantum est, vt non posse esse maius videatur. Nam si Cæsar dicitur à cædendo, verberando, trucidando; Augustus verò ab augendo, maius faciendo, quid maioris differentiæ quisquam imaginari possit, quàm sit inter hæc duo appellatiua nomina? Qui nam verò sunt illi, quos supremus Imperator optauit? Augusti, qui augeant, non Cæsares, qui cædendo destruant Imperia, ipseque hoc Augusti nomen semper gloriæ duxit, qui apud S. Ioannem c. 10. v. 10. *Ego veni, vt vitam habeant; & abundantius habeant*: ac si Christus honori d[uxit]

alijs

alijs verbis dixisset: Ego veni mitis pastor, vt sim Augustus, vt oues meæ vitam cum magnis incrementis habeant.

xit, quòd Augustus esset, non quòd Cæsar,

Fateatur hoc sanctissimus Rex Israëlis, cuius sunt ista ex Ps. 93. v. 20. *Nunquid adhæret tibi sedes, iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Hebræus apud Caietanum hæc ita transtulit: *Nunquid sociabitur tibi thronus prauitatum, formans laborem super præcepto?* Quid voluit talibus verbis dicere Propheta regius? Exponit Caietanus: *Thronus superbus format laborem super præcepto, hoc est, ad hoc præcipit vt affligat, addit præcepta ad laborem, & afflictiones angustiarum:* Solium superbiæ, & malitiæ longè diuersum est à solio Dei, quia hoc solium, quantum est, salutis est, illud verò, cùm sit arrogantiæ solium, si quid imperat, id facit, vt affligat; & si affligit, id facit, vt imperet. Thronus Dei est thronus Imperatoris Augusti, thronus impij, & crudelis Principis, est thronus Cæsaris. Hiccine verò thronus, qui cædit, qui percutit, & contristat, *sociabitur tibi*, aut adhærebit throno tuo diuino? Id fieri tam non potest, quàm nec iungi Augustus cum Cæsare, ad sensum, quem diximus, potest. Cæsar enim nil nisi cædes, necem inferre, & adferre afflictiones nouit: Augustus verò totus in eo est, vt augeat, accessionem faciat, incrementa addat, & cumulet.

Princeps superbus dat præcepta, vt affligat; Deus vt saluet.

Secundùm hæc, qui thronum suum diuino sociari optat, Princeps, Imperator, Rex, qui cupit supremum imitari Regem, & Imperatorem, studeat esse Augustus, laboret, vt augescant, crescant subditi, & rebus necessarijs abundent.

Loquitur regius Propheta de promisso Messiâ, & sic ait: *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se*; Ps. 92. v. 1. In his verbis jam habemus Regem, & Imperatorem orbis, qui fuit, estque reparator, & redemptor. Quid verò illud mox faciet? *Etenim firmauit orbem terræ*; ibid. Hebræus vertit: *Etiam firmabis.* Quod faciet, illud est, vt constabilitet, obfirmet, ab interitu tutum reddat mundum.

Christus honori d...

Caietani commentatio in hæc verba talis est: *Aptè describit Regem, quod vbi regnauit, operam dedit ad firmandum Regnum.* Meritò hîc notaueris, quòd postquàm Messiam, vt Regem veneratus fuit propheta regius, hoc primo loco de illo prædicat, quod firmabit suum Regnum, obmunietque, & tutabitur ab hostibus, vt subditi in pace hilares, & læti viuant, rebusque omnibus circumfluant. Princeps enim, qui non est Augustus, non est similis, aut conformis absoluto Principi Deo.

Occurrit hic quædam profundi Tertulliani obseruatio, quâ commodiorem causæ præsenti expetere nullam possemus. Quærit ille, quamobrem cælestis Magister tam rigidâ cum seueritate imperauerit capitali humani generis hosti, vt ne ipsum IESVM Nazarenum, vel Sanctum Dei appellaret. *Scio quis sis sanctus Dei*, aiebat malus dæmon Marci 1. v. 24. cui Dominus cum minis præcepit obmutescere. Quid est, quod Dominus tam mutum silentium imponit illi, à quo perquam honorificis titulis ornabatur? *Obmutesce*, caue ne dixeris, maledicte, & perduellis spiritus.

Christus dæmoni, à quo honorificè appellabatur, tacere imperauit. Cur?

Respondet Tertullianus; id fecisse, quòd malus dæmon malam opinionem conflare clementissimo Domino vellet, & hanc sinistram illi existimationem conciliare, quod Cæsar esset, non Augustus. Quid dicebat nefarius, & contumax spiritus? *Quid nobis, & tibi IESV Nazarene, venisti perdere nos?* ibid. Hæc est cacodæmonis querimonia, quod Dominus ad ipsius perniciem, & exitium venisset. Cùm ergo Dominus malignam, & peruersam perfidi inimici intentionem peruidisset, quæ huc iret, vt illum Cæsarem proclamaret, qui ad cædendum, mactandum, perdendum, destruendum venisset, qui reuerâ Augustus erat, ac dicere poterat: *Veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*; idcirco illum repre-

Dæmon Christum Cæsarem declamare voluit, nō Augustum

reprehendit, minasq; ei intentauit, & perpetuum silentium imposuit, & dixit: *Obmutesce.* Vt tali exemplo doceret, quod Principum terrenorum præcipui cogitatus, primæ curæ, potissimæ sollicitudines eò tendere debeant, vt ad imitationem Principis cælorum studeant, non Cæsares esse, qui cædant, & perdant; sed Augusti, qui augeant, & diuites faciant. Audiamus nunc Africæ decus Tertullianum, qui lib. 4. cont. Marcionem c. 7. sic ait: *Increpuit illum IESVS, planè vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, & malè adulantem, quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem venisset, & non potiùs ad salutem, qui nec discipulum de subactione spirituum, sed de candidâ salute gloriari voluit.*

Christus Discipulos neq; dæmonũ expulsione gloriari voluit, quia voluit illos Augustos, non Cæsares.

Notate hæc extrema verba, *Qui nec discipulum de subactione spirituum gloriari voluit.* Tametsi necessum esset subigere dæmones, & exigere ab hominibus; noluit tamen discipulos dæmonum domitores eâ re gloriari, eò quod id Cæsares oleret, sed hoc ducere honori, quod Augusti essent, qui se, aliosque saluarent. Ita talis Magistri discipuli, ita Principes mundani, quorum est talem Dominum imitari, non debent, iactare, quod Cæsares sunt, sed curare, vt sint Augusti: *Qui nec discipulum de subactione spirituum gloriari volebat.*

Arcanum subest loco illi, inquo Dauid vnctus fuit in Regem Israël, Dauid, inquam, vir ex voto Dei, & qualem ipsius anima optabat, de quo Samuel 1. Reg. 13. v. 14. aiebat: *Quæsiuit Dominus virum sibi iuxta cor suum.* Vbinam verò vnctus est Dauid, vt esset Princeps Israëlitarum? In Bethlehem abijt Propheta Samuel in domum Isai Dei iussu, quod tale erat: *Imple cornu tuum oleo & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem, prouidi enim in filiis eius mihi Regem*: 1. Reg. 16. v. 1.

Dauid cur in Bethlehem potiùs, quàm alibi vnct⁹ Rex.

Quid causæ esse, aut quid mysterij subesse potest, quod in Bethlehem potiùs, quàm alio in loco electus est Princeps, ille secundùm cor Dei, ille ad Dei ingenium fictus, ac formatus? Sciscitemur ex B. Hieronymo, & alijs, quid significet *Bethlehem.* Respondebunt: *Bethlehem idem est, quod domus panis.* Quod ergo Rex, vir iuxtà cor Dei, vir per omnia Deo placens, electus in Bethlehem fuit, id eiusmodi est, ac si dictum fuisset, illum esse Regem, qualem Deus vult, ac desiderat, qui nutrit, qui alimoniam præbet, qui satiat, qui abundantiam in suo regno fouet, qui in pace subditos sustentat, facitque, vt in suaui requiete viuant. Ita ferè exponit S. Gregorius Papa lib. 6. c. 2. in 1. Reg. 16. dicens: *In domo ergo panis Rex ad vnguentum quæritur, & in filiis Isai, qui salus Domini, aut certè salus absolutè nominatur.* Ergo quod in domo panis, ex filiis Isai, qui salus vocatur, delectus fuit Dauid in Regem, id factum, vt indicio esset, quòd ij Principes sunt, iuxtà cor Dei, & quales ille cupit, qui in Regnis suis sunt salus, pax, panis, abundantia, quies, denique Augusti.

Princeps ille bonus, & Deo gratus qui in subditos liberalis.

Quærit Abulensis, quamobrem Samuelis, qui Rex non fuit, vita, actionesque historijs Regum inseri debuerint, videmus enim vitam ipsius totam à natiuitate ad mortem vsque in ijs historiis descriptam. Respondet autem his verbis in Præfat. ad 3. lib. Reg. q. 3. *Historia Samuelis est quasi prologus ad historiam Regum.* Quid fecit Samuel? Ipsusmet dicet: *Loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem?* aiebat 1. Reg. 12. v. 3. ac si pluribus dixisset: Ecce totus Israël hic præstò est, idque hanc ob causam, vt dicat mihi quisquis ille ex vobis, an omni eo tempore, quo Iudex vester fui, per vim, aut quemcunque alium prætextum alicui, vel pecora sua, vel aliud quiduis sustulerim, an molestus cuiquam fuerim, aut calumniam dixerim; vel minimo vestrum, prodeat, qui tale quid nouit, & dicat, si probârit, promptè satisfaciam. Responderuntque omnes: *Non es calu-*

Samuelis historia prologus ad libros Regum.

mnia-

miniatus nos, neque oppreßisti, neque tulisti de manu alicuius quidpiam, ibid. v. 3. Poteſtne excogitari Iudex magis rectus, magis ſanctus, magis reſpondens optatis, & conditioni Dei? Non poteſt. Hic verò Iudex tam ſanctus, tam rectus, tam iuſtus *eſt quaſi prologus ad hiſtoriam Regum*, exemplar Principum, ſpeculum Imperatorum, eorum, qui Deo placere volunt.

Samuel exemplar bonorum Regum.

O quàm vellem ab omnibus Principibus magno cum pietatis ſenſu ſemper memoriâ reuolui illam nobilis, & generoſi Ducis Hugonis ſententiam, quam habet S. Petrus Damianus Opuſc. 57. Diſſert. 2. *In tanta volo ſemper ergà ſubiectos, & præcipuè ruſticos manſuetudine viuere, vt annona, quæ caballi mei rodentis ore delabitur, à ruſticorum porcellis è veſtigio colligatur.* Quod dicit, tale eſt. Equidem ex animo opto pacatam, quietamque inter ſubditos meos ducere vitam, & gloria mea hæc eſt, vt illos videam numero auctos, bonis cumulatos, inprimis humiles agricolas, ita vt ex frumento, quo equi mei paſcuntur, ne vnum quidem granum intereat, ſed ſi quod ijs fortè elabitur, id ruſticorum porcellis mox in paſtum cedat: *Vt annona, quæ caballi mei rodentis ore delabitur, à ruſticorum porcellis è veſtigio colligatur.*

Hugonis Ducis admiranda erga ſubditos māſuetudo.

Hanc doctrinam probè obſeruabat Hiſpanus Veſpaſianus, qui recens euectus ad imperium, cùm tranſiret Ægyptum, dicebat, vt eſt apud Philoſtratum in vitâ Apol. lib. 5. cap. 4.: *Haurite à me tanquàm à Nilo*, ne formidaueritis ſubditi mei, petite, rogate, obſecrate, & me veſtrum Nilum exiſtimate, nam ſi hic, quoties illum aditis, ſemper vobis aquas ſuas affluenter miniſtrat, minimè timens exhauriri, aut ſiccari, ad me quoque tanquàm ad Nilum veſtrum fidentèr accurrere poteſtis, & veſtris neceſſitatibus leuamen, opem, auxilium ex me referre: *Haurite à Nilo.* O dignam æternâ memoriâ ſententiam! Talis debet eſſe verus Princeps, Pater debet eſſe, & paſtor, & fons, & fluuius, & qualis fuit inſignis Imperator Manuel, *mare magnificentia, abyſſus miſericordia*, vt eum vocat Nicetas in Manuel. Comment. Hic verò, hic fuit verè Auguſtus, qui fuit ampliſſimum mare effuſæ liberalitatis ergà orphanos, ergà pupillos, pauperes, egentes, ſecùs ac impius Iulianus, qui totas mille libras à mendiculo Baſilio emungere volebat, ab homine, cuius nunquàm fumabat caminus: *Vſus apud me imperio, exigis à tenuißimo homine auri libras mille.* Horrenda exactio! Niſi Baſilius tam generoſo, tam alto, atq; inuicto ſpiritu fuiſſet, enecando in pectore cordi ea petitio ſat fuiſſet.

Veſpaſianus ſubditis ſuis Nilus eſſe optabat,

Princeps ſit fons, & fluuius ſubditis.

Iulianus ſãguiſuga, & auarus Princeps.

Capvt II.

Interitum ſtatibus ſuis inde quidam adducunt, vnde illorum incrementa accerſere putabant.

DEcretum erat apoſtatæ Imperatori ſanguinarium Perſis inferre bellum, atque vt id conſequeretur, Perſaſque triumphator funderet, ac ſubigeret, hæc iiſque ſimilia donatiua exigebat. Sed quis talis conſilij, & propoſiti fructus fuit? Is quòd miſerè in eo bello occubuit, quod poſteà videbimus, ex quo victoriam reportare ſperauerat. Hoc eſt humanorum artificium conſiliorum, nam quibus rebus ſua incrementa procurare poſſe putant, iiſdem ſibi interitum accerſunt, & ex eo mori ſolent, quod maximè demoriebantur.

Homines quidam exitium hauriunt, vnde ſalutem ſperabant.

Suſpenderunt innocentiſſimum Agnum in probroſiſſimo patibulo medium inter duos infames latrones, de quo Ioannes 19. v. 18. ſic habet: *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc, medium autem Ieſum.* Hoc autem non alio conſilio fecerunt, vt annotârunt ſacri Expoſitores, quàm vt illuſtres radios innocentiæ Chriſti obſcurarent duorum iſtorum facinoroſorum hominum tenebris. Sed quid ex illo tam damnato illorum propoſito reſultauit? Id, quod S. Leo Papa Serm. 4. de Paſſ. c. 1,

notauit his verbis. *Affixus est duobus latronibus, vno ad dexteram ipsius, alio ad sinistram, vt etiam in ipsâ patibuli specie monstraretur illa, quæ in iudicio ipsius omnium hominum est facienda discretio, cùm & saluandorum figuram fides credentis latronis exprimeret, & damnandorum formam blasphemantis impietas prænotaret.* In illâ pretiosissimi holocausti arâ duos statuerunt Christo collaterales. Horum vnus Christi patientis humilitèr confitebatur diuinitatem, alter Christum contumacitèr blasphemabat, qui suos tam stupendâ cum magnanimitate tolerabat cruciatus. Martyri Latroni suo confessori pulchræ visionis suæ sempiternum assignabat stipendium, dicens: *Hodie mecum eris in Paradiso*; Lucæ 23. v. 43. Alterum damnauit ad perpetuas triremes, addixitque remo incessabilium pœnarum. Quid res ista repræsentabat, aut præfigurabat? Horrendum tribunal, & terribilem thronum Iudicis ad Rationes excipiendas postremùm sessuri, vbi in definitiuâ sententiâ ostentabit suæ maiestatis, sapientiæ, & omnipotentiæ magnificentiam. Videte nunc, inquit Leo, quid peruersi illi, & cœci hostes Christi inde reportârunt, quod illum medium inter duos latrones crucifixerunt. Fecerunt illi hoc eo animi consilio, vt Christo maximam infamiam conciliarent, sed reuerà illum in eo statu collocârunt, in quo gloriæ suæ maximè illustrem repræsentationem fecit. Itaq; addit beatissimus Papa: *Passio igitur Christi salutis nostra continet sacramentum, & de instrumento, quod iniquitas Iudæorum parauit ad pœnam, potentia Redemptoris gradum fecit ad gloriam.* Ita solent homines per ea sæpe euertere res suas, per quæ erigere sperabant.

Christum illustrarũt Iudæi, cùm obscurare voluerũt.

Huic côtestatur illud, quod de ingrato, & rebelli populo antiquus, & præclarus illius dux cecinit, dicens: *Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum*; Deut. 32. 15. Diligentem animaduersionem merentur versiones, quibus Hebraizantes hæc verba effe-runt. Pro eo, quod nostra Vulgata habet: *Dereliquit Deum factorem suum*, transferunt alij: *Morticinum fecit Deum suum.* Et alij: *Extendit factorem suum.* Cœcus, & vilis populus ipsum Deum, & conditorem in crucem posuit: *Morticinum fecit.* Verùm quando inter fuscas, & obscuras nubes ignominiosæ crucis voluit tegere & occultare splendorem innocentiæ ipsius, & obtenebrare lucem præclaræ existimationis illius, quid effecit: *Extendit factorem suum*, & dilatauit illum ampliùs, & maioris gloriæ illi occasionem ministrauit, nam vt euangelicus, & vrbanus Propheta vaticinatus fuit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum*; Isa. 53. v. 10. Si tritici granum in acerbæ passionis spinas, & tribulos inciderit, tam vberes, tamque multiplices ex illius fœcunditate nascentur fructus, vt suâ copiâ stellas cœli, & maris guttas, quantæcunque eæ sunt, sint superaturi. Hoc est, quod vulgò multi faciunt, qui inde magis suum destruunt negotium, vnde commodè perficere posse confidebant. Ita sacrilega Iudæorum plebs, dum innoxio Agno necem intulit, vt gloriam eius sepeliret, nominis illius famam ampliorem reddidit, & existimationis celebrioris occasionem illi ministrauit. *Morticinum fecit, extendit.*

Sic Protoparenti nostro accidit. De fructu vetito comedit spe obtinendæ diuinitatis: *Eritis sicut dij* Gen. 3. v. 5. *in quocũq; die comederitis ex eo*, dixerat impostor diabolus. Et quid illi euenit? Id quod Deus declarauit ridens stultum delectum medij, quo ad acquirendam diuinitatem vsus fuerat. *Ecce*, inquit, *Adam quasi vnus ex nobis factus est*; ibid. v. 22. Quid est, *Adam quasi vnus ex nobis factus est?* Id perquàm ingeniosè explicuit Philippus Abbas de salute Salomonis, dicens, perinde esse, ac si dictum fuisset: *Ecce Adam quasi ex- Deus factus est.* Videtisne Adam exutum diuinitate, quodq; *ex Deus factus est?* Expræfectus, Expraetor, Expræses ille dicitur, qui Præfectus.

Adam Ex-deus factus est, per quod Deus fieri voluit.

fectus, Prætor, Præses esse desijt. Hoc est, quod sacrum, & diuinum Consistorium de Adam pronuntiat: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Ex Deus factus est.* Videte Adam nudatum deitate. Nudatumne deitate! Nonne Deus futurus erat, si modò comederet? Ipsi certè ita videbatur. Sed insanæ imaginationis illius somnium longè alium exitum habuit, nam qui cum vetito cibo sperabat simul deuorare deitatem, dum comedit, *Ex Deus factus est*, per illam amaram bucceam enim perdidit iustitiam originalem, quæ hominem facit in terrâ Deum per gratiam. Sic miserabiliter vadunt ad interitum homines per viam, quâ sursùm euadere posse præsidebant.

Ruben cur sicut aqua effusus dicitur.

Non abs re hâc erit id, quod Iacob de Ruben, principio doloris sui, & domûs primogenito dixit Gen. 49. 4. *Effusus es sicut aqua, non crescas*, siue vt alij legunt, *non cresces*. Quid habet aqua, per quod is, qui illius instar effunditur, crescere nequeat? Id in rem nostram dicet Eusebius Cæsariensis, qui lib. 11. de Præparat. euangelicâ c. 7. sic habet: *Aqua manibus hausta, quantò magis premitur, tantò magis defluit.* Quædam res conseruantur, retinenturque, quando contractâ validè manu comprimuntur. Cum aquâ contrarium accidit, & quo studio eam maximè retinere volumus, eodem faciliùs perdimus. Quod ergo ad Ruben dictum, eum crescere non posse, quod sicut aqua effusus esset, id prophetia fuit, quâ tum illi, tum in illius capite alijs multis prænunciatum fuit, esse in mundo homines aquæ, & Rubenis similes, qui quâ diligentiâ facere incremēta, & augescere sperant, eâ imminuuntur, & pereunt, & deorsum vergunt eo conatu, quò pergere sursum optabant. *Effusus & sicut aqua non cresces. Aqua manibus hausta, quanto magis premitur, tanto citiùs defluit.*

Aqua validè compressa manu non retinetur.

Meritò dubitat Abulensis, quomodo Moyses vitulum aureum, quem in ignem coniecit, consumere inter ardentes flammas potuit, ignis quippe vires nunquàm tantæ esse possunt, vt aurum subigant, & conficiant, quod etiam purius, & splendidius ab igne exit. *Arripiens vitulum combussit, & contriuit, vsque ad puluerem*, inquit diuinus Scriptor Exodi 32. v. 20. & Abulensis in illorum verborum commentario: *Aurum licet in igne ponatur, non comburitur, sed potiùs depuratur.* Id experientia docet. Vnde ergo huic igni sua tanta in aurum istud efficacitas? Respondet Tostatus: *Videtur sic fuisse hoc factum, vt apposita sit aliqua herba ipsi vitulo aureo, quando sibi fuit ignis adiunctus.* Herba, herba fuerit, quæ vim natiuam talem habuerit, vt per eam in cineres solui aurum ab igne potuerit. Dignum notatu mysterium, quod per herbam versus in puluerem vitulus aureus fuit! Qualis ex igne vitulus iste prodijt? Dicat id nobis Propheta regius. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptibile. Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum*; Ps. 105 vv. 19. 20. Itaque vitulus iste fasciculum fœni prætulit ore, cùm prodijt. Prodijt ergo, qualis qui herbâ vesci, & nutriri deberet. Dicit nunc Moyses: Herbâ putauit sustentari, & viuere posse, herbâ perire, & perdi debet, hocque illi occasum parere, quod perpetuitatem allaturum erat: *Vt apposita sit aliqua herba ipsi vitulo.* Ex quo intelligitur, quod homini id sæpè fatalis iacturæ causa est, per quod ille magna lucra facere sperabat.

Aureus vitul⁹ appositâ herba cō-bustus in puluerem vsq; fuit.

Capvt III.

Ad imitationem supremi, & amabilis Domini nostri, priùs pensare humeris oportet onus, quàm excipere, vt tolerari possit.

Videre quam atrox extorsio, quàm crudelis venæ sectio, quòd ab homine tam paupere, vt erat Basilius, Imperator totas mille auri libras exposcit! Vsus

Vsus apud me imperio, exigis ab homine tenuißimo auri libras mille. Quis non scandalizetur, talem videns extorsionem? Cuius non dirigescant capilli? Quis non toto corpore, & artubus omnibus contremiscat? Promptum est arbitrari, fuisse tyrannum Imperatorem,& Apostatam Principem, qui si verus, probusque Imperator fuisset, & vestigijs Regis regum inhæsisset, nunquàm tam graue onus infirmis Basilij humeris intentásset. Nempe supremus monarcha Deus, quando pondus imponit, aptè vires eius, cui injcit, expendit.

Deus neminem suprà vires onerat.

Præcipit Deus quidpiam in Leuitico, quod modo præcepti contradicere videtur. Præceptum hoc erat, vt qui non haberet pecudem, saltem duos turtures, aut certè duos pullos columbarum offerret, vnum pro peccato, alterum in holocaustum. *Et asperget de sanguine eius parietem altaris, quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum eius*, Leuit 5. v. 9.

Rodulphus Flauiensis lib. 3. in Leuit. c. 6. hæsit in mysterio huius ordinationis, atque in eo vel maximè, quod superiori c. 4. cùm iubetur capra offerri, dicit Dominus, vt Sacerdos post tincta illius sanguine cornua altaris, *reliquum fundat ad basim eius. Ibi quidquid reliquum est, ad fundamentum Altaris fundi, hic verò distillari iubetur.* Quid mysterij habere potest, quod capræ sanguis fundi, auiculæ verò cruor distillari ad basim altaris præcipitur? Respondet eruditus Doctor, inquiens: *Non tanta de auiculâ, quanta de pecude sanguinis copia profluere potest, & ideò congruè pecudum sangui fundi, auium verò dicitur distillari.* Voluit Dominus docere modum eximendi sanguinis, atque vt Reges illum discerent, præcepit pecudis sanguinem fundi, auiculæ verò guttatim distillari, quia minus sanguinis habet parua auicula, quàm grandior auis, aut alia pecus quæpiam. Itaque ex pecude multus sanguinis eliciatur, & quod est *reliquum fundat* sacerdos, exiguæ auiculæ fit parcior minutio, sic vt illius sanguinem *faciat distillare.* Nam velle tantum sanguinis detrahere pusillulæ auiculæ, quantum corpulentæ pecudi, est plurimùm aberrare à rectâ gubernandi ratione, & præscripto Dei. Velle vt pauper Basilius dependat mille libras auri, quantum nescio an opulentus quidam Præfectus numerare posset, non est distributio Dei, qui pro suâ diuinâ prouidentiâ scit imponere par viribus onus: *Non enim tanta de auiculâ quanta de pecude sanguinis copia profluere potest.*

Capræ sãguis fusus auiculæ sanguis distillatus ad basim altaris. Quo mysterio?

Exactiones pares ne petantur ab his, quorum sunt impares facultates

Altera sacri Legislatoris lex rei propositæ commoda veniet. Ea sic habet: *Non arabis in boue, simul & asino* Deut. 22. v. 10. Videtur hæc lex officere abundantiæ terræ, & copiam fructuum eius impedire. Nam cùm ex agrorum culturâ originem suam ducere fertilitas, & frugum affluentia debeat, quare Dominus ad hunc finem tam naturalem,& necessarium vetat bouem, & asinum communi iugo adstringi? *Non arabis in boue simul, & asino.*

Bouem, asinumquè eidem aratro iùgi cur prohibitum.

Occurrit Philo Iudæus in lib. de charitate huic obiectioni, dicens: *Quia non pollent paribus viribus, infirmiori consulitur, ne cum fortiore contendens succumbat negotio.* Circumspectio pij, ac supremi Lycurgi fuit, quod ista duo animalia noluit sub commune iugum cogi, tametsi in finem tam vtilem, quàm est colere terram, Asinus enim non exæquat vires bouis. Vetuit ergo Deus pari iugo addici bruta, quorum erant vires impares, tametsi ob honestum terræ colendæ finem iungenda essent, quia illius domus pondera viribus humerorum, quibus injcienda sunt, metitur, nec decet asinum æquè ac bouem grauari. Et qui tantam curam habuit asini, quomodo illum deficiet attentio ad ea, quæ sunt hominum?

Asinus imbecillior boue par cum illo iugum ducere nõ potest.

Deus nec asinum suprà vires grauat.

Cùm sacer Scriptor ageret de Cherubinis, quos Salomon collocauit in Templo, sic aiebat: *Fecit Cherubim duos opere statuario, & texit eos auro*; 2. Paral 3. vers. 10.

Abulensis q. 26. in 2. Paral. 5. sic interro-

Cherubī lignei fuerunt in tabernaculo aurei in templo. Quid ita?

terrogat: *Quare Cherubim lignei non fuerunt in tabernaculo Moysis?* Cùm tabernaculum Moysis, & templum Salomonis permagnam haberent similitudinis affinitatem, in primis quod ad supellectilia, & ornamenta attinet, quare Moysis Cherubim fuerunt lignei, Salomonis non item?

Respondet Abulensis: *Propter difficultatem portationis.* Tabernaculum Moysis cùm suis Cherubim deferebatur ab vno loco in alium, idque humeris hominum, Salomonis Cherubim permanebant stabiles in Templo. Propterea ergo voluit Dominus, vt Mosaici Tabernaculi Cherubim essent ex materiâ non graui, sed leui, vt facilè, & commodè circumferri possent. Si ex lapide, vel ligno elaborati fuissent, ægrè, ac difficulter per illa vasta, & confragosa eremi loca deportari potuissent, fuissetque eorum onus intolerabile. Sint ergo ex materiâ leui, & sic fabrefacti, vt non opprimant, neq; multùm grauent, *propter difficultatem portationis.* Habet hoc mitis, & suauis Dei indoles, vt non inijciat imbecillis humeris pondera, quæ ferre nequeant, nec pondus quod non sit par viribus, vt tolerari possit.

Et si mitis Dominus hunc suauem modum obseruat in rebus fauorabilibus, & gratis, quomodo non eodem vtetur in duris, aduersis, & odiosis? Quæ tam inaudita beneuolentia, quæ gratia tam inopinata, quàm quod Deus descendit in ardenti igne in Discipulos, quando erant simul congregati, & altæ contemplationis exercitationi piam dabant, nec minùs deuotam operam? *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquàm ignis,* B. Lucas Act. 2. v. 3. Flagrans ignis diuisus in linguas supra congregatum consedit Collegium.

Dubitare hîc in mentem venit Oecumenio, quare cùm ignem ardentem vehemens ventus præcesserit, & domum totam repleuerit ignis non similiter fecerit, & venti instar omnia compleuerit. Sic enim habes ibid. v. 1. *Factus est repente de cœlo sonus tanquàm aduenientis spiritûs vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* Quare ventus fuit tam copiosus, vt totam domum impleret, ignis tam parcè distributus, vt velut frustillatim, nec maior linguis insederit vnicuilibet congregatorum Discipulorum? *Dispertita lingua tanquàm ignis.*

Spiritus S. cur inuento vehementi, & in igne diuiso descendit.

Satisfacit quæsito Oecumenius, dicens: *Repleuit flatus totam domum, in piscinæ morem, ignis verò non repleuit domum, ne omnes terreret, & videntes fugere compelleret, sed diuiditur ignis in linguas igneas, resideтque super singulos eorum.* Ventus non nimium terret, etiam quando vehementèr spirat, fremit, & stridet: At si ignis magno impetu totam latè domum ardentibus flammis compleuisset, ingentem metum animis Apostolorum iniecisset, tantumque non exanimâsset eos, & coëgisset expaue factos locum tanto incendio infestum deserere: *Omnes terreret, & videntes fugere compelleret.* Diuisus non impetuosus descendat ignis, ne timeant, & fugiant, quibus mittitur, quia pro beneuolentiâ mittitur, & pro consolatione conceditur.

Deus ne beneficijs quidem grauat.

Sic etiam in fauoribus, & beneficijs nouit modum tenere Dominus, & tam attentè sibi temperare, vt ne lucra in iacturas, in damna vertantur, quæ commoda futura erant. At si tantâ moderatione vtitur Dominus, cùm beneficiorum, & gratiarum onera dispensat, eaque sic disponit, vt tolerabilia sint, & minimè formidabilia, hinc illud accipiant homines, vt ab omnipotente Domino discant prudentèr dispertire onera, & primùm maturè pensare vires eorum, quorum humeris illa inijcere volunt, vt ad eum modum dispensata, & distributa ferri queant.

Capvt IV.

Pauperes, & inualidi sunt malus digitus Mundi, in illos quippe mox incurrunt tributa, exactiones, & quæcunque talia grauamina publica.

IVrassem ego, quod in pauperem Basilium statim incursura esset tam iniqua extorsio, qualis fuit illa mille auri librarum exactio. *Visus apud me imperio, exigis auri libras mille.* Et causam Doctor sanctus mox adiungit: *A tenuissimo homine.* Quod inops esset, quod egens quod parùm valens Basilius, id satis erat, vt ei tam intolerabile pondus inijcerent, tamque immani onere opprimere miserum vellent. Denique mendiculi, & inualidi homines semper debent esse malus digitus mundi, in illos primùm incurrunt extorsiones, si quid seueriùs statuendum, illos ante omnia offendit austeritas.

Exactionib⁹ pauperes grauãtur præ alijs.

Cùm Samuel ex Saule quondam sciscitaretur, quinam essent illi armẽtorum mugitus, qui pecudum balatus, quos auribus è vicino hauriret, postquàm superbus Rex iactantèr prædicaret, accuratè explesse Dei mandatum, quo iussus fuerat internecione delere Amalecitas, & neque homini, neque supellectili, neq; rei alicui parcere, respondit sancto Prophetæ Princeps inobediens: *De Amalec adduxerunt ea, pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarent Domino Deo tuo, reliqua occidimus,* 1. Reg. 15. v. 15 ac si alijs verbis dixisset: Balantium ouium, cæterique seruati pecoris, quorum voces audis, culpam, cuius me insimulas, facilè diluero. Ex Amalecitis hæc allata sunt animalia, vulgus enim ab occisione pinguiorum ouium, boumque abstinuit, vt ea religioso holocausto Deo tuo consecrarent, quidquid reliquum fuit, contrucidauimus, & vastauimus ad amussim præcepti, quod à Deo habuimus.

Saul in tenue vulg⁹ suam culpam conijcit.

Expendit sanctissimus Papa Gregorius responsum Regis. Duo ibi consideranda occurrebant: animalia, quæ occisa erant, & ea, quæ in viuis relicta. In occisis obtemperatum fuit mandato Dei, in conseruatis prætermissa obedientia præcepti. Quisnam de transgressione iussionis diuinæ accusatus fuit? Cuinam inobedientiæ crimen impositum? Fortean summatibus Regni, diuitibus, opulentis? Nullo modo. *Pepercit populus,* dicebatur. Populus sceleris reus proclamatus, in miserum vulgus seruatorum pecorum omne flagitium coniectum. Audiamus S. Gregorium, qui lib. 6. c. 2. in 1. Reg. c. 17. sic habet. Dicit ergo: *De Amalech adduxerunt ea, quasi dicat, hoc quod de turpi vitâ resonat, verum est, sed tamen eadem turpitudo in paruulis viguit, non in magnis.* Nonnè videtis, inquit Gregorius, quod culpa adscribitur populo? Quod vulgo tribuitur inobedientia? Populus est, ait Saul, qui seruauit oues, qui pepercit bobus, ille proinde reprehensionem meritus, ille supplicio dignus: *Turpitudo in paruulis viguit, non in magnis.* Culpa non in Dynastas, non in Magnates, non in copiosos, aut nobiles, sed in tenue vulgus, & infimam plebeculam omnis coniecta. Denique pauperes semper sunt malus digitus Rerumpublicarum, si quæ austeriores leges latæ in illos intelliguntur causæ, exactionum arcus in illos collineant, illi sunt scopus, in quem extorsionum sagittæ tendunt, illis constructi carceres: *Turpitudo viguit in paruulis, non in magnis.* Magnates, & potentes nonnisi miraculo attingit pœna, iustitia, rigor, supplicium.

In pauperes conijciuntur scelera diuitum.

Pauperes solos ligare leges videntur.

Antequàm sacer Chronographus felicem describeret sancti Ioannis Baptistæ conceptum, dicit Parentes eius fuisse seneciones, eamq; ob causam fructum benedictionis dedisse nullum. *Non erat illis filius, eò quod Elizabeth esset sterilis, & ambo processissent in diebus suis,* inquit B. Lucas 1. v. 7. Hic illud notandum, quod Euangelista submonuit, Elizabetham fuisse infœcundam.

Doctus

Doctus, & grauis Euangeliorum inter pres Maldonatus hîc illud obseruauit, quod *sterilem* Lucas *Elizabeth tribuit, cùm fortasse & Zacharias sterilis esset.* At si fortè & ipse Zacharias sterilis fuit, viri enim; & fœminæ promiscuè eò naturæ vitio laborant, quamobrem totum infœcunditatis onus in partem infirmiorem, hoc est, mulierem incumbit, non in virum valentiorem?

Mulieri soli adscribitur vitium, cuius côsortem habet virum.

Respondet eruditus Expositor: *Quia cùm coniuges liberos suscipere non possunt, sterilitas in mulierem, non in virum conferri solet.* Tametsi vir, vxorque eodem communiter vitio laborent, & par sit amborum defectus, imbecilliori nihilominùs macula impingitur, & tribuitur. *In mulierem, non in virum conferri solet.* Res ipsa loquitur, quod pars infirmior luitura erat, semper enim austeritates, notæ, defectus, in debiles, abiectos, pauperes inclinant.

Admirandum fuit propositum barbari Regis Pharaonis, quando certum habens, quòd lucem omnis Hebraicæ posteritatis extinguere vellet, vidensque absque numero augescere, & multiplicari, aiebat: *Venite sapienter opprimamus eum*; Exod. 1. v. 10. In quibus irati Regis tam atrox propositum explebitur? *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficito eum*; *ibid.* v. 16. Præcepit gentilis Princeps duabus Aulæ suæ obstetricibus, Sephoræ, & Phuæ, vt quando muneri suo apud parturientes Hebræas operam darent, quotquot illæ eniterentur masculos, statim in ipso vitæ limine neci darent.

Pharao cur inualidos infantes, non adultos viros occisos voluit?

Hieronymus ab Oleastro hîc ita differit: *Considera, quæso, quibus armis, quibus mœniis, quibus militibus futuro bello occurrere voluerit iste, nempè occisione innocentium.* Dicebat idololatra Rex, veteri, ne ab Hebræorum populo, qui numero plurimùm auctus fuerat, bello aliquando appeteretur, & quid egit? Crudele decretum contra innoxios, infantes promulgari iussit: *Si masculus fuerit, interficite eum.* Certum erat quod Regis furor in parte imbecilliorem redundaturus esset, & luerent malum infantes, quod ab adultis viris timebat.

In hanc rem sic scribit Cassianus Collat. 24. c. 17. *Ingruentibus quibusdam iniurijs, quæ vel ex accidenti labore, vel aëris corruptione gignuntur, fieri in corporibus humanis solet, vt illa, quæ fuerint infirmiora, casibus istis prima consentiant, atque succumbant.* Et noster Stoicus Seneca epist. 78. *Maximi dolores consistunt in macerrimis corporis partibus, neruis, articulisque, & quidquid aliud exile est, acerrimè sæuit, cùm in arcto vitia concepit.* Sic & in mundo vsuuenire solet, in partes illius imbecilliores, in homines egentes, rebus necessarijs destitutos, mancos, mutilos procliuitèr ire mali humores incommodorum, exactionum, vexationum solent.

Infirmiores corporis partes primæ morbis obnoxiæ.

Non imbecillum fulcimentum huic veritati ministrabit, quod sanctus Euangelista refert. Versabatur cœlestis Magister in eremo incultâ cum ingenti inuitatorum numero, cùmque interrogasset, vnde panes in tantæ multitudinis alimoniam emi possent? Andreas, tanquàm munifico illi prolixæ liberalitatis proposito impedimentum objicere volens, respondit. *Est puer vnus hic, qui habet duos panes hordeaceos, & duos pisces*; Ioan. 6. v. 9.

Hic illud considerandum, quod ibi erant. *Viri quasi quinque millia,* & nullus tamen inuentus, à quo annonam petere consultum fuerit, nisi à puero omnium inualidissimo, & impotentissimo. Nonne alij ibi aderant, qui panis inopiam leuare, & necessitati ferre opem possent? Vtique aderant & quidem quinq; mille, vt diximus viri. Sed puerum, cæteris infirmiorem, & minus valentem, primo loco aggressi sunt: *Est puer vnus hic*; semper enim partem imbecilliorem appetit rigor, & pauper luere omnia debet, & vel solus, vel primus subire, si quid pœnale, aut molestum occurrit.

Pauperes cômunia onera portare primi debent.

De tali re iustas querimonias dabat gloriosus Pater Basilius eo tempore, quo

Cæsa-

Pueris imponuntur onera, quę portare viri debe-rent.

Cæſarienſes, cùm ſiccitate, & fame laborarent, pueros rationis nondum ſatis compotes cogebant frequentare templa, & orare, & iratum Deum placare,& alios labores facere, quos adulti viri exequi debuiſſent. *Viri adultæ ætatis, liberi remiſſo animo, lætique per Vrbem diſcurrunt, rationis verò adhuc incapaces, & innoxij Infantes ad confeſſionem adiguntur, & ad templa compelluntur.* Ita ille homil. in fame, & ſiccitate. Infantes, & paruuli pro adultis luebant, idque in more poſitum eſt, vt debiliores validùs premantur, & infirmiores grauioribus onerentur ponderibus.

Digitorũ minimo purgandarum auriũ onus impoſitum.

Id ipſum in ipſâ adeò ſtructurâ humani corporis videas. Nam inter quinque manuum digitos: (quod Hugo de S. Victore to. 2. lib. 3. de Beſt. c. 60. obſeruauit) minimus, hoc eſt, *quintus* dicitur *auricularis, quod aurem eo ſcalpimus, & purgamus.* Hoc ego pridem dixiſſem, quod huic digito ſat erat eſſe minimum, molliſſimum, inualidiſſimum, vt hoc illi officium purgandi aurium ſordes imponeretur. Nam ſemper ad humilia, & indigna miniſteria curanda, ad immunditias detergendas, ad ſentinas exhauriendas, ad euerrendas ſcopis domos puſillùs; pauper, imbecillus adhibetur, & cogitur.

Quàm his aduerſum eſt, quod ſacrum omnipotentis Monarchæ Palatium vſurpat! Quomodo vocat gladium, quo cædit, ferit, obtruncat, vaſtat? Fulgur. *Si acuero, vt fulgur gladium meum,* inquit Deuteron. 33. v. 41. ipſius intimus ex lege veteri familiaris. Alij transferunt: *Si acuero, vt fulmen.* Quid habet fulmen? Quod omnibus compertum. In editiora ædificia, & ſublimiores turres procliuius inuehitur, *feriuntque ſummos fulmina montes,* vt canebat Horatius 2. Carm. ode. Cùm ergo dixit Dominus ſuum gladium ſimilem eſſe rutili fulminis, voluit nobis indicare, longè diuerſum eſſe ſuum morem à conſuetudine Mundi. Nam Mundus ſuæ indignationis, afflictionis, vexationis fulmine humile, abiectum, inops hominum vulgus petit, in miſeros, tenues, pauperes explodit iram exactionum, tributorum globos, hos tempeſtatibus exagitat, & adobruit. Deus è contra agit. Illius gladius inſtar fulminis eſt, eumque educit, & ſtringit aduersùs ſuperbos, elatos, turgidos, potentes, iuxta illud Iacobi 4. v. 6. *Deus ſuperbis reſiſtit.* Vt hinc diſcant, qui Imperij moderari habenas volunt, ad imitationem ſupremi Monarchæ facere quod fulmina ſolent, & parcere humilibus gurguſtijs, & ruſticis caſis, in cacuminata verò, & ſuperba ædificia intorquere vim auſteritatum, & ignem rigoris, in ijs enim ædibus ſolet regnare malitia, vitiumque, & confuſio ſuum habere, & occupare thronum.

Dei ira in potentes procliuiꝰ fertur.

CAPVT V.

Quando Iudices ſunt ſpinæ, & ſentes, ſoli ſecuri degunt lacerti, oues verò nudantur ſua lana, tantumque non deglubuntur.

SEd quid admiramur? Cùm Imperator eſſet quidam Iulianus, & Monarcha fidei impius deſertor, & omnes Iudices Magiſtratus, Præfecti ſpinæ, rubi, ſentes, hoc eſt, fures, aui, infames iuſtitiæ corruptores, quid mirum, quod innoxium Baſilium, ſimplicem illam ouiculam prorsùm deglubere iniquus Imperator voluit? De illo, eiuſque adminiſtris, & totâ gubernandi ratione ſic dicit præclariſſimus Magni Baſilij encomiaſtes S. Gregorius Nazianzenus Orat. 1. In Iulianum: *Latrocinijs, auaritiâ priores illos Centimanos excedebant, Briareos ſcilicet, Prouinciarum verò imperia non moderatiſſimis, ſed crudeliſſimis hominibus mandabantur.* At ſi Præfecti, ſi Magiſtratus, ſi Præſides, ſi Iudices erant Briarei, illorumque more rapiebant, & velut centum manibus ad furta vtebantur, nihil mirum, quod inter illas ſpinas, & dumos ouiculæ de ſuâ lanâ,& pelle periclitarentur, & lacerti ſecuri viuerent.

Iudices ne ſpina ſunto,

Ad

Ad rem facit, quantum existimo, ille ex libro Iudicum apologus. Ibi sacer Scriptor memorat, cùm oliua, ficus, vitis delatum sibi imperium refutassent, ligna, quæ detulerant, iuisse ad rhamnum, siue spinum, eique fasces obtulisse, *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera super nos;* Iud. 9. v. 14. Hic notandum, quod non ait, *Dixerunt arbores*, sed *ligna*. Quid discriminis est inter arborem, & lignum? Theophanes id dicet, qui in orat. de Exaltat S. Crucis apud Gretserum lib. 2. de Cruce sic ait: *Lignum post sectionem dicitur*. Arbor est, quæ suas etiamdum habent in terrâ defixas radices, & vitam vegetatiuam, lignũ verò, quod à radice detruncatum, vel è terrâ euulsum, & apud nos, cùm hominem nihili designare volumus, dicimus esse lignum, vel truncum. Nunc subolebit vobis mysterium, ob quod dicatur, non quod arbores, sed quod ligna iuerunt requisitum rhamnum, spinum, dumum, vt ipsorum Princeps, siue Rex esset: *Dixerunt ligna ad rhamnum*. Nam vulgus hominum infrugiferum, ligna incendio destinata, homines absque animâ hoc volunt, vt Princeps, & Iudices sint rhamni, dumi, spinæ. Vidistis, credo, quàm liberè & audacter, & securè lacerti, & cætera reptilia, atque insecta perrerent dumeta, vepreta, spineta, vt in quibus habent suos cuniculos, munimenta, defensiones, & è contra quàm periculosè de lanâ, & cute ouicularum innoxiarum, & quæ neminem offendere norint, animantium agatur, si vel propiùs ad senticetum accedant, vt quæ ibi plerumque sui vestitus partem aliquam relinquant. Non absque causâ ergo volunt ligna infructuosa, inutiles lacertæ, scolopendræ, stelliones, & quæ sunt alia id genus nihili insecta Reipublicæ, vt Iudices, & Magistratus sint rhamni, dumi, sentes, vt ipsa quidem liberè, ac licenter viuere queant, ingenui verò & innocentes homines excorientur, rerumque suarum direptionem patiantur, & prorsùm intereant.

Arboris, & ligni discrimen.

Non arbores, sed ligna rhamnum regem poposcerũt.

Reges spinarum similes optant homines nihili.

Iudices ne spina sunto.

Cui non admirationem pariet, quod Iudæ, perfidioso Christi Sospitatoris nostri proditori, accidit? Postquam trifur ille cœpit agnoscere scelus suum, quod perpetrarat, ipse proditor reus, vt Matthæus refert, abijt ad Principes Sacerdotum, & Seniores, & palam confitens flagitium suum, magnis vocibus dixit: *Peccaui tradens sanguinem iustum*; Matth. 27. v. 4. hoc est, immanissimo piaculo me obstrinxi, dum intaminatissimum sanguinem prodidi. Et hic tantus malefactor liber, impunisque abijt, nec quisquam fuit, qui illi manus adferre voluerit. Christus autem innocens agnus, in quo vel ipse occulatissimus dæmon nec minutissimum imperfectionis quantulæcunque næuum inuenire potuit (*Venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam*, Ioan. 14. v. 30.) tanquàm nequissimus hominum è ligno suspenditur, & in medio duorum latronum, velut illorum maximus, & infamissimus, suspenditur: *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum*, Ioan. 19. v. 18.

Iudas impunis abijt, tametsi ipse innoxij sanguinis reum se faceret

In horum consideratione positus S. Ambrosius Serm. 2. in Dan. to. 2. aiebat: *Sua sententia Iudas proditor cõdemnatur. Mirum fortè sit vobis, quod non eum populus iudicauerit, non præses addixerit.* Immò quem non stupore percellit hoc, quod ibi tunc accidit? Venit periurus discipulus ad Principes Sacerdotum, & peccatum suum non clam fassus fuit, sed elatâ voce proclamauit, & nemo illum tormentis subiecit, ipse sui flagitij publicus præco fuit, & neque Principes illum ceperunt, neque Præses Pilatus, aut alius quilibet Iudex ei manus iniecit, & in vnum agnum Christum tot Iudices, tot lictores, tot carnifices irruebant! Quid causæ esse potuit? Id, quod diximus, quia Iudices erant dumi, Magistratus erant rhamni, Præses spinetum, omnes conscelerati nebulones, corruptis moribus homines, Iudas lacerta erat, Christus agnus ac proinde ille liber abibat,

Iudices Hebræorum tempore Christi erant spinæ, quæ agnum Christum lacerabãt.

bat, & aſque omni læſione, & impunis euadebat (& niſi ipſe fuiſſet ſuuſmet accuſator, iudex, & lictor, diu adhuc vigere potuiſſet) hunc verò ſuis ſpinis lacerabant, pungebant, deglubebant, cruci addicebant, & exanguem faciebant ſenticoſi illi, & horridi Iudices.

Docti cuiuſdam moderni annotamentum eſt, quod Iuſtitia appellatur virga, iuxta illud Pſal. 44. v. 7. *Virga directionis, virga regni tui*; & 1. Corinth. 4. v. 21. *Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in charitate?* Et in vtriſque literis, ſacris, & profanis virga ſolenne eſt iuſtitiæ ſymbolum, & apud nos Hiſpanos virgam Iudices præferunt, tanquàm indicem officij, quod exercent. Et quare hoc virgæ nomine iuſtitia donata fuit? Reſpondet Hieronymus Guadalupe, autor, quem dixi in c. 1. Oſeæ: *Nam Iudex iniquus eſt arundo piſcatoris, quæ capto piſciculo manet recta, ſi autem trahatur piſcis magnus, flectitur, & contorquetur.* Stat ſpe prædæ fixus in fluminis ripâ piſcator, tectumque eſcâ hamulum identidem in præterfluentem eiectat. Si quis fortè minutorum piſcuculorum hamulum glutiat, quàm rigida, & inflexilis manet arundo! At ſi magnus occultum decurrat piſcis ad hamum, eumque vo. ret, quàm demiſsè inclinat, ſeſeque intorquet! Virga Dei noſtri eſt virga æquitatis, & iuſtitiæ, quia omnibus non ſolùm ſeruat, ſed etiam exhibet iuſtitiam. *Virga directionis virga regni tui.* Verùm hæc virga in manu improborum Iudicũ eſt quaſi arundo piſcatoria, cuius hamo ſi paruus piſciculus, quantulocunque delicto illectus capiatur, quàm recta manet, quàm rigida, quàm dura, & inflexibilis perſiſtit, quàm inexorabilis Rhadamantus, eſt Iudex, quot leges corradit, vt pauperem, puſillulum innocentem damnet. At ſi piſcis grandior hamum voret, ſi flagitioſus, & ſceleratus, qui opulentus, peccet, ſi lacertus, ſi diues aliquis ſicarius, & graſſator, quàm ſe illis inflectit arundo, quàm intorquet, & inclinat, quàm faciles, & benè fauentes

Virga typus iuſtitiæ. Cur?

Iudex iniquus arũdo piſcatoris.

Iudices mali virgę ergà pauperes rigidæ, flexiles erga diuites.

inueniunt iura interpretationes, quàm obuij colores, quibus inumbrentur delicta, quam facilè dimittuntur facinoroſi! Denique quando Iudices ſunt dumi, & piſcatores, tunc viuunt, & licenter agunt lacertæ. oues autem, & agni moriuntur, & intereunt.

Capvt VI.

Tametſi conſilia ſint lapides admodùm pretioſi, vulgò tamen pecunia ab hominibus majoris æſtimatur, quàm cõſilia.

Attentâ conſideratione dignum eſt, quod Baſilio cùm Iuliano accidit. Prædicabat Imperator & plurimum prudentiam, ſapientiam Baſilij, eruditionemque eius vehementèr extollebat, & *ô nuntium verborum aureorum* ei acclamabat in epiſtolâ ſuâ 24. Et poſtquàm illum tot encomijs ornâſſet, ac tam magnis modis commendaſſet à verborum elegantiâ, à ſcientiæ claritate, à iudicij magnitudine, à conſiliorum maturitate, demum ab illo non ſalutaria conſilia, ſed pecuniaria ſubſidia petijt in epiſtolâ ſuâ 26. dicens: *Iubeo libras auri mille abs te mihi mitti.* Sed quid eſt, quod tantopere exaggerat ipſius ſapientiam, & ruditionem, verbaque eius cenſet eſſe aurea, & non petit verborum illius aurum, ſed loculorum, neque conſilia ex libris, poſcit, ſed ex facultatibus auri libras? *Libras auri mille.* Cauſa eſt, quod homines plerique numos deſiderant, numos poſtulant, non conſilia.

Pecuniæ maioris æſtimatur quam conſilia.

Cùm videret Iethro gubernandi rationem, quâ Moyſes vtebatur, conſideraretque operoſam vigilantiam, quâ ſe Hebræi populi dux conficiebat, leuiorem, faciliоremque illi promittebat tanti officij adminiſtrationem, ſi modò ipſius monitis aures daret, inquiens: *Audi verba mea, atque conſilia, & erit Deus tecum*: Exod. 18. v. 19. Conſilia verò, quæ ſocer genero ſuo dedit, talia fuerũt, vt dicat Abulenſis, regimen ad ſubleuandas

uandas officij molestias, & causas populi conficiendas aptius non potuisse desiderari. Cùm enim Moyses solus esset judex, vt iam pridem fuerat, quousque Iethro illi consuluit constituere multos Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos, qui in iudicando populo suam illi opem ferrent, *causa totius populi peribant*, dicit insignis Doctor in 1. Reg. 25. q. 25. Pro consilio tam prudente, pro arbitrio tam vtili quid remunerationis datum optimo illi, & solertissimo consultori. *Dimisit Moyses cognatum suum, qui reuersus abijt in terram suam*: Exod. 18. v. 27. Sed quid præmij pro tam fructuosis consilijs suis retulit? *Nec socer Moysi pro regendo populo consilium dans, licet laudetur à Deo, aliqua mercede donatur.* Ita Iunilius Africanus lib. 1. de part. diuin. leg. c. 13. to. 1. BB. Quanquàm Moysi dedit salubre consilium socer & monita ad gubernationem populi, facilemque tot causarum administrationem vtilia suggessit, irremuneratus tamen recessit. Quomodo verò nihil compensationis accepit? Quomodo non onustus opulentis donis abijt? Causa est, quod consilia dederat, non pecunias, & vsus ferè obtinuit, vt maioris æstimentur, qui adferunt numos, quàm qui subministrant consilia. Et quanquàm consilia, quæ Iethro suggesserat, è re totius populi plurimùm essent, de nullo tamen legitur, quod illi in debitæ gratitudinis vicem monile aliquod, aut qualecunque munus obtulerit. *Nec pro regendo populo consilium dans, licet laudetur à Deo, aliqua mercede donatur.*

Consilium bonũ nec apud Moysen suum habuit pretium.

Moyses socerum suũ cõsultorẽ optimum irremuneratum dimisit.

Obseruauit prudens quidam aulicus, quod ædes cuiusdam domini, qui Principi per id tempus regnanti perquàm gratiosus erat, nunquàm ingrediebantur sapientes philosophi, sed homines, qui de arbitrijs agebant, his semper patebant gratiosi illius fores, & aures, hi plerumque ac ferè soli cum illo cõmunicabant. Sciscitabatur ab amico quodam suo, quænam huius rei causa esse posset. Is pro responso hanc illi Senecæ ex epistolâ eius 48. deprompsit: *Vis scire, quid philosophia promittat generi humano? Consilium.* Non pecuniam, sed consilium philosophia pollicetur. Quid mirum ergo, quod philosophi non vocantur, nec deliguntur: quia numi vulgò, non consilia expetuntur ab hominibus. *Philosophia promittit generi humano consilium.*

Pecunia maioris æstimatur quam consilia.

Pecunia vulgò, non consilium expetitur.

In illâ deserti necessitate, in quâ cælestis Magister versabatur cũ numerosâ multitudine auditorum, qui à necessario victu minimè instructi erant, interrogabat Philippum, vnde coëmi panis posset ad tot hominum famelicorum esuriem sedandam. *Philippe, vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6. 5. Vt audiuit interrogationem Magistri Apostolus, intentis in tantum inuitatorum agmen oculis, cum misera quadam diffidentiâ respondit: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat*; ibid. v. 7. ac si apertiùs dixisset: Profectò non video, quomodo tam frequenti populo satisfacere queamus, nam tametsi pro ducentis denarijs panes huc conuehamus, vix mica vnica conuiuæ cuilibet obueniet.

Acutè Oleaster animaduertit tum Magistri interrogationem, tum responsionem Discipuli. Quid nam Christus interrogabat? *Vnde ememus panes?* Quid respondebat Discipulus? *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt.* Audite nunc Oleastrum. *Non ex te Philippe, pecunia quæritur, sed locus vbi panis inueniatur.* Consilium à Philippo Christus requirebat, non pecuniam. Cur ergo Philippus ad numos se conuertit, non ad consilium? Philippus eò abijt, quo plerique solent. Semper majus pretium habent numi, quàm consilia, & ideò quanquàm consilium ab eo expetitum esset, iuit ad pecuniam. Communis vsus hoc ferè obtinuit, vt meliorem locum habeant numi, quàm consilia. Et quanticunque sint consiliarij, inferius tamen pretium habent eorum consilia, quàm pecuniæ. Itaq; videtur Philippus Christum in eorum ordinem redigere voluisse,

Pecunia meliorem locum habet, quàm consilia.

isse, quibus aurum consilijs magis est carum. Erat etiam dum rudis, inquit S. Cyrillus in c. 6. Ioannis, adeò non peruidebat animo quo omnipotentis Monarchæ cogitatus ibant.

Tempestiuè huc veniet, quod subiratus Deus transgressori Salomoni dixit, quando illi propter peccata, quæ perpetrarat, comminatus fuit, velle regnum ipsius demutilare, & bonam partem cuidam eiusdem famulo dare, inquiens: *De manu filij tui scindam illud, nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo*; 3. Reg. 11. v. 12. 13. ac si dixisset: Non ita omni prorsùm regno exuam filium tuum, vt non relinquam illi vel vnam tribum Iuda, cui imperet. Audit Abulensis hanc promissionem, & dicit: *Quomodo dicitur, Tribum vnam dabo filio tuo?* Nam vt ex posteriore historiâ constat, tota tribus Leui deseruit Ieroboam, & transiuit ad Tribum Iuda: *Item dedit Deus Roboam Tribum Leui*, inquit Tostatus. At si Deus Roboamo filio Salomonis dedit etiam Tribum Leui, quomodo dicit Dominus: *Dabo Tribum vnam filio tuo?*

Huic dubitationi satisfacit magnus Doctor, dicens: *Leuitæ omnes, licet fuerint in regno vno, tamen habendo eos non dicebatur habere Roboam aliquam Tribum, eo quod non haberent possessionem inter Israelitas.* Si Leuitæ non habebant possessiones, neque numos, quos Regi darent, quid habebant? Sapientiam, scientiam, Arcam, consilia: *Labia Sacerdotis custodient scientiam*; Malach. 2. v. 7. Iam ad rem. Cùm homines ex humanæ conditionis procliuitate plerumq; maioris faciant pecuniam, quàm consilia, tametsi Roboamo cum Tribu Iuda etiam Tribus Leui data fuerit, quæ scientiam, & consilia habebat, dicitur nihilominùs, *Tribum vnam dabo filio tuo*, nam quod Tribus Leui, in quâ præter consilia nihil erat, illi data fuit, id Roboami arbitratu perinde fuit, ac si nihil illi datum fuisset. Quanquàm si pretij iusta habita ratio fuisset, maioris æstimari debuissent consilia, quàm pecuniæ, nam vt Spiritûs Sancti effatum habet Prou. 11. v. 14. *Salus, vbi multa consilia.*

Consultores docti, si non simul opulenti, nihili censentur.

Capvt VII.

In prodigiorum humanorum cathalogo describi potest, si quem videas dare, qui consueuerit recipere.

PRæsentem dissertationem absque omni admiratione ordiri possumus, quãdoquidem videmus Cæsarem petentem à Magno Basilio, qui Basilio dare debere videbatur. Sed cùm Imperator, Rex, Princeps sit mare, cui omnes subditi, tanquàm flumina, debent sua pendere tributa, nihil mirùm, quod Iulianus Imperator petierit, & nihil dederit. Nam qui assueuerunt accipere, oderunt dare, & quando dant, id miraculi instar censeri debet.

Miraculũ est, si det, qui accipere solitus.

Mandabat Deus populi sui ductori Moysi, vt in oblongâ perticâ poneret, & exponeret oculis omnium serpentem æneum, vt qui venenatorum serpentum morsibus sauciati fuerant, illius aspectu sanarentur. *Fac serpentem æneum*, dicebatur illi Num. 21. v. 8. cui diuino præcepto obtemperans *fecit serpentem æneum, & posuit eum pro signo.* ibid. v. 9. Erectum serpentem exposuit omnium oculis, vt esset publicum remedium eorum, qui lethaliter labora[illegible]ant. Considerandum hic illud, q[illegible]d sacer Scriptor ait, posuisse *eum pro si*[illegible] Ingeniosus interpres Apocalypseos Viegas in c. 12. Apoc. v. 4. sect. 2. n. 2. sic ait: *Signum tripliciter potissimùm vsurpatur in sacris literis. Prima eius acceptio est pro miraculo, secunda pro vexillo, tertia pro signo.* Quod ergo serpens exaltatus, & pro signo positus dicitur (cùm hoc nomen *signum* significet scopum, vexillum, miraculum) perinde est, ac si dictum fuisset, in miraculis censendum esse, ac tropheis, quod serpens salutem dederit, incolumitatem contulerit.

S. Augustinus in Ps. 33. ait: *Mors à serpen-*

Miraculū, quod serpens mortem adferre solitus, vitā dedit.

serpente, sanari à serpente, magnum sacramentum! Serpens morsu venenum inspirat, & mortem adfert, hoc illi in more positum, vt occidat. Quod ergo serpens aliquis salutem dedit, & vitam sospitauit, id in raris, & nunquàm visis miraculis recenseri potest. Nam quod vitam largiatur, qui necem inferre consueuit, quod theriacam ex se ministret, qui semper venenum fundit, quod antidotum præbeat, qui propinare toxicum est solitus, stupendum prodigium est.: *Sanari à serpente, magnum sacramentum!* Tantundem in rem præsentem dicere possumus. Quod det, qui consueuit accipere, quod alios lautè habeat, qui alienas epulas affectari fuit solitus, ea tam singularis, & noua res est, vt numerari in miraculis possit. *Dari ab assueto accipere, magnum portentum.*

Miraculū est, si det, qui accipere solitus,

Audite hoc. Vt ne scandalizaret Dominus eos, qui per Apostolos ab ipso exposcebant tributum, quod certas ob causas soluebatur, dicebat Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te,* Matth. 17. v. 26.

Quæri hic potest, quamobrem Dominus tributum hac potiùs actione, quàm alio quouis modo conquiri, & solui voluerit..

Respondet Abulensis q. 194. in c. 17. Matth. quod diuinus Magister indicare voluit, quàm immunis esset, & liber à vectigali soluendo, immò & ostendere, sibi potiùs, tanquàm omnium Domino, ab omnibus tributa præstari debere, nec qualiacunque, sed vitas ipsas cum facultatibus, vtque intelligeretur, quàm magnus, quàm potens, & absolutus Dominus esset, *ad vltimum ostendit miraculum in accipiendo pecunias de mari,* hancque extremam fecit omnipotentiæ suæ ostentationem, quod fecit, vt mare ministraret numos, quibus censum penderet, & tributum lueret. Quid significat mare? Rem, quæ omnia sorbet, glutit, deuorat. Id in symbolicis est præcipuum illius hieroglyphicum, vt sentiunt Petrus Berchorius, Pierius, Lauretus, & alij plures. Cùm ergo mare solitum sit absorbere, & deglutire omnia, & accipere consueuerit, videtur Dominus extremum potentiæ fecisse, cùm fecit, vt mare daret: *Ad vltimum ostendit miraculum in accipiendo pecunias de mari.* Itaque cùm videritis quempiam liberaliter sua dilargiri, qui doctus, solitusque sit aliena auidè recipere, in codicillos vestros illum referre potestis, tanquàm stupendum prodigium, & portentosum miraculum.

Miraculū, quod mare omnia sorbere solitum, staterem dedit.

Miraculū liberalis, qui ante auarus.

Percommodum huc veniet, quod sacer Mediolanensium Archiepiscopus Ambrosius de Accipitre scribit, estque illud, quod teneros pullos suos, cùm primùm volare incipiunt, ex molli nido dure, inclementèrque deturbat, eosque, si trepidare ad præcipitium videat, alarum suarum virgâ percutit, cogitque per apertum, inuiumque vagari aërem, & victum sibi ex rapina comparare, quod si facere recusent, inediâ eos mulctat, *nec vllum posteà* parentes *his deferunt munus alimoniæ.* Ita ille lib. 5. Hexam. c. 18. Magna crudelitas videtur, quod accipiter tam citò teneris pullis suis incipit negare escam, cùm cæterorum animalium tanta sit erga pullos suos pietas, & indulgentia, cuius rei exemplis conspersæ sunt historiæ, & testem habemus experientiam. Quid sit ergo, quod vnus ex omnibus animantibus accipiter tam immitis, & austerus est ergà pullos suos, vt penè simul ac plumescere incipiunt, è nido deijciat, verberibusque ad comparandam proprio studio, & suapte diligentiâ vitæ alimoniam cogat?

Accipiter erga pullos suos immitis.

Respondet S. Ambrosius: *Quid mirum tamen si rapere assueti nutrire fastidiunt?* Quid mirùm, quod tam facilè eos pertædeat liberalitatis, qui furari sunt soliti? Si contrarium facerent, id foret miraculum, inquit diuinus Ambrosius. Si piratam videremus largum, si latronem munificum, si vitam dare, qui mortem inferre consueuerit, id prodigio simile esset. Ita in rem præsentem dis-

Accipiter rapere assuetus, nutrire fastidit.

fero. Quod Iulianus, qui accipere consueuerat, à Basilio petierit, non est cur miremur, illud tamen plenum miraculi esset, si ad dandum protenderet manus, qui ad accipiendum habere exporrectas solebat.

Ioannes miratus Pharisæorum ad se accursum.

Dignum animaduersione est, quod cùm ad Præcursorem Domini (qui in deserto pœnitentiam prædicabat) tam frequentes, diuersorumque tum officiorum, tum statuum homines, Publicani, plebeij, milites, aulici Ierosolymitæ, & alij concurrerent, hoc vnum illi admirationem attulerit; quod etiam Pharisæi, & Sadducæi ad audiendum illum venerint. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* aiebat Matth. 3. v. 7.

Dicit hic eruditus Aloysius Nouarinus: *Miratur vehementer Ioannes, quis Pharisæos, & Sadducæos docuerit à ventura ira fugere, non miratus est, cùm alij ex populo accederent.* Sed cur Pharisæos, & Sadducæos magis admiratus est, quàm cæteros? Ideò quià hi erant magistri, & doctores populi, adeòque assueti accipere ab illis cultum, & reuerentiam. Cùm ergo Baptista vidit eos, tanquàm humiles discipulos, cum magnâ demissione reuerentèr accedere, qui venerationem ab alijs accipere soliti erant, tanquàm prodigium hoc proclamauit is, qui clamabat in deserto, velut dixisset: *Prodigij loco habendum est.* Idem vos dicere potestis, quando aliquem assuetum accipere videritis tantam sibi vim inferentem, vt audeat dare, videre enim dare, qui solebat accipere, *prodigij loco habendum est.*

Quando Esau promittebat fatri suo Iacob munera, respondebat sanctus Patriarcha, se nullius rei esse indigum. *Non est necesse,* aiebat Gen. 33. v. 15. In Hebræo est: *Ad quid hoc?* An fortè rusticitas fuit, quod Iacob nihil munerum voluit admittere? Oleaster ait: *Nihil voluit Iacob à fratre accipere, & coegit ad sua munera capienda, quia nouerat potentes, & diuites non libenter dare, &*

Diuites libenter accipiunt, dant ægrè.

libentissimè accipere; Prudens, & discretus fuit Iacob, dùm nihil voluit, à fratre suo opulento acceptare, sed suis magis donis illum onerare, sciebat nimirùm homines copiosos ad accipiendum promptos, ad dandum perdifficiles esse. Iuxtà hæc cùm videris quempiam liberaliter sua dilargiri, qui soleat aliena cupidè acceptare, in miraculis illud recensere potes.

CAPVT VIII.

Qui non est contentus iusto, & moderato, sed insatiabili cupiditate omnia vult rapere, & complecti, hoc ipso solet perdere omnia.

Mille auri libras exposcebat sacrilegus desertor à diuino Basilio. Quid mirum, quod petiit? Quid mirum, quod inuicti Martyris manu vita illi cum coronâ imperio, & omni maiestate est adempta? Qui enim insatiabili cupiditate omnia expetit, omnia perdere solet, & omnibus misererè destituitur, qui iusto, & moderato non est contentus.

Auarè omnia expetens, perdere omnia solet.

Exemplum huius doctrinæ esto id, quod superbo, & arroganti Regi Oziæ accidit. De illo dicit sacer Scriptor, quòd *ingressus templum Domini adolere voluit incensum super altare thymiamatis,* 2. Paral. 26. v. 16. Quid ex hoc sacrilego ausu consecutum? Illud, quod *orta est lepra in fronte eius,* ibid. v. 19. Superbæ fronti turpem putidæ lepræ notam iratus Dominus impressit, atque ita imperialis coronæ solium immundo inopinati morbi contagio sordidatum fuit. Et cùm lex iuberet, vt leprosus extrà homines alios habitaret, ea in temerario Rege inuiolabiliter obseruata fuit, illeque ineptus gubernationi Regni mansit, & habuit filium successorem ab eo die, quo perfusus leprâ fuit. *Fuit igitur rex Ozias, leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra.*

Ozias auidus honoris amplioris omni dignitate nudatus fuit.

S. Ioan-

S. Ioannes Chrysostomus in c. 6. Isaiæ de hâc re sic ait: *Cùm voluisset Ozias honorem sua ampliorem dignitate arripere, etiam ipsa regia administratione excidit*, velut dixisset: Reddat vos cautos arrogantis Oziæ infelicitas, qui cùm cæcâ temeritate incitatus appeteret omnia, perdidit vniuersa. Rex supremus erat, & voluit esse summus sacerdos. Quid fecit Dominus? Illud, vt non esset Rex, qui tam stultè contendit, vt esset sacerdos, & non contentus sceptro, quod manu præferebat, etiam coronæ mitram imponere voluit. At cui non satis est, quod rationi consentaneum, & moderatum, neque sufficit corona, & purpura, sed vult præterea vestire albam. sacerdotalem, perdat omnia, vt sacro vestitu non adornetur, & regia purpurâ nudetur.

Ozias ambitiosus infulæ, etiā coronā perdidit.

Ad hanc doctrinam sine dubio respexit inuictus martyr Cyprianus, quando Clericis suis scripsit, vt fideles, qui carceribus propter fidei defensionem inclusos confessores visitare vellent, magnâ hanc ad rem cautione, & moderatione vterentur, & nihil tumultuariè, nihil præcipitanter agerent. Sed quid incommodi generare potuisset, si deuoti fideles turmatim, & quasi conglobati ad inuisendos captiuos concurrissent?

Auarè omnia expetens, perdere omnia solet.

Respondet S. Cyprianus lib. 1. epist. 5. *Ne ex hoc inuidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & dum insatiabiles multum volumus, omnia perdamus.* Prudens, & discreta ratio. Si perfidiosi tyranni vidissent conspirantem multitudinem eorum, qui ibant inuisum sanctos pro confessione fidei vinctos, & reclusos, odium excitatum fuisset in animis eorū, qui minimè alioqui addicti erant catholicæ religionis professoribus interdictusque ingressus ad strenuos fidei Christianæ pugiles, & sic dum nimium voluissent, nec minimum retinuissent? *Et dum insatiabiles multum volumus, omnia perdimus.* Vt multa conseruentur, bonum est contentum esse pauco, atque vt omnia perdantur, nullo id efficacius fieri remedio potest, quàm si supervacanea ambitiosè petas.

Hanc tam vtilem status materiam benè intellexerat Augustus Imperator, de quo dicit Aurelius Victor: *Nisi iustis de causis nunquam genti villi bellum intulit*, nec ad arma prosilijt, nisi cùm ob vrgentissimas rationes aliud non potuit. Causam Victor ibidem adijcit, dicens, *tantùm esse ingenij & leuissimi ardore triumphandi ob lauream coronam, id est, folia infructuosa, in discrimen per incertos euentus certaminum, securitatem ciuium præcipitare.* Sed quid mouit Augustum, vt nemini bellum moueret, nisi coactus? Respondet Ludouicus Doricanus in lib. 1. Annal. Taciti: *Erat Augustus non ignarus artis imperatoriæ, sed sciens, & prudens, plerumque enim dum nimia ambimus, totum perdimus.* Perstudiosus artis imperatoriæ fuit Augustus (& in hac arte eò perueniſſe, vt sciatur imperatiuus, est maximos in studio progressus fecisse) idcirco noluit fortunæ exponere iam comparata vt acquireret dubia. Plurimùm enim accidit, vt dum superflua nimis inhianter appetimus omnium iacturam faciamus: *Plerumque dum nimia ambimus, omnia perdimus.*

Augustus Imperator nulli bellū sine iustis causis intulit.

Pactus, fuerat sanctus patriarcha Iacob cum socero suo Laban, vt agni, qui diuersicolores nascerentur, sui essent, qui verò vnicolores, ad socerum pertinerent. Vt autem sancto Iacob hæc res benè cederet, solertem industriam adhibuit, & varij coloris virgas in canalibus, ad quod potatum veniebant oues, exposuit, quo factum est, vt prensatio eius certum, optatumque sortiretur effectum. Monet autem sacer Scriptor, quod *quando primo tempore ascendebantur oues*, tunc *ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, vt in earum contemplatione conciperent, quando verò serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas*, Gen. 30. v. 41. 42. Sed quare non æquè se rotinis horis, ac matutinis exponebat virgas varias oculis ouium ad potum concurrentium? Nam si omnes oues, quæ maculosæ nascebantur, ad Iacob pertinere debebant,

Iacob cur matutinis tantū horis exponebat virgas oculis

ouium ad potum venientium.

bebant, & Labano ea placebat pactio, quare populeas, amygdalinas, & ex platanis virgas partim decorticatas non quouis in loco, & omnibus horis, quibus ad conceptum iungebantur pecudes, ponebat, vt hoc modo omnes partus sui iuris faceret?

Iacob moderato cõtentus fuit, ne perderet omnia.

Huic difficultati occurrit secundus Abulensis D. Antonius Honcala in c. 30. Gen. dicens: *Iacob prudens, & callidus iustitiam, & æquitatem, etiam in noua arte seruabat, si enim omnes agnos, & hædos varios pecora procreassent, huic rei Laban inuidus contraisset. Ergo ita omnia temperauit, vt & ipse fructum sui laboris acciperet, & Laban non penitus spoliaretur.* Perquàm cordatè, & scitè sanctus patriarcha Iacob hâc in causa egit, exemploque suo homines moderato esse contentos docuit, ideoque noluit totum, ne totum perderet. Si Laban vidisset omnes ouium partus esse fuluos, aut maculosos, non potuisset non odium eâ ex re concipere, factusque animo à Iacob alienus, initum rupisset fœdus, & pactionem rescidisset. Quid ergo prudens, & sagax patriarcha fecit? Illud, vt pars noui gregis maculosa, pars vno colore, albo, seu nigro tincta nasceretur, vt cùm vtrinque suam ouium partem haberent, promissionem etiam integram relinquerent. Atque ad hunc modum industrius patriarcha ingentem opum copiam suæ domui, & familiæ comparauit, dumque moderato contentus esse voluit, plurima consecutus fuit. Dicit enim diuinus Scriptor: *Ditatusque est supra modum, & habuit greges multos*; ibid. v. 43. qui si omnia sibi corradere voluisset, forsan perdidisset omnia. *Plerumque enim dum nimia ambimus, perdimus omnia.*

Audiamus quid dicat ingeniosus Poëta, mirè enim in rem nostram quadrabit. Igitur Ouidius 1. Fastor. versu 287. ita canebat:

Villice, da requiẽ terris; semẽte per acta
Da requiem, terram qui coluere, viris.

Agris sua quies permittẽda.

Pagus agat festum. Velut alijs verbis dixisset. Te compello, qui ruris, agrorumque curam geris, vt videas, quomodo habeas terram, cuius cultura tibi demandata. Aduerte vt requietem permittas tum ipsi, tum illius cultoribus. Villa adeò suum habeat otium. Si vis agros fructuosos, non continuè debent vel proscindi vomere, vel dentatâ crate confringi. Si enim iugi, ac pertinaci labore eos cratieris, fatigaueris, exhauseris fiet sine dubio, vt desinant reddere fructus, quos ex illis sperare potuisses, si quies indulta fuisset.

Ager immoderatè cultus sterilescit.

Quàm eleganter dictum à Poëta: *Pagus agat festum!* villa suum habeat otium, suam intermissionem, & relaxationem, nec enim omnes dies debent esse operosi. Ita subnotauit hic D. Carolus Neapolitanus, dicens: *Pagus agat festum. An ob sementinas ferias?* Palam est, quod ita. Iustum enim est, vt ager, terra, humus suam habeant quietem, suum otium, suas feriationes, quæ si immoderatè, intemperanter exerceantur, molestus erit illis ipsorum dominus, & nimia ipsius cupiditas faciet, vt omnia pereant.

Pulchrè hanc in rem dixit Hispanus noster Columella lib. 2. de Agricult. c. 10. *Seu sponte, seu quolibet casu destituta humus, cùm est repetita cultu, magno fœnore cessationis colono respondebit.*

Ager aliquãdiu feriatus, cũ fœnore colono respõdit.

Quàm insignia illa verba: *Magno fœnore cessationis colono respondet!* Nam indulgere terræ suam remissionem, est certo, atque indubitato lucro eam exponere, quidquid enim quietis illi conceditur, id copiosiorum fructuum diuite prouentu cumulatè posteà compensat. Adhæc *fœnus cessationis* vocat Columella quietem agrorum, nam agrorum feriatio merum lucrum est, vt possimus dicere: *Terra cessante, lucro, emergente*; contra atque in humanis contractibus euenit, vbi dum lucrum cessat, crescit damnum.

Agro cessante crescit lucrũ.

Opportunum est huic causæ quoddam vrbani, maturi, prudentis, & di-

Tereti Senatoris Cassiodori consilium, qui lib. 4. epist. 19. sic ait: *Prouidentissimi Principis est grauiter imminutis relinquere tributaria functionem, & ut redituris studiis ad implenda solemnia recreentur, qui pressi damnorum acerbitate defecerant. Nam si fesso minimè releuetur onus, necessitate cernitur iacere prostratus. Melius est enim præsentia damna contemnere, quàm exiguo quæstu perpetua commoda non habere.*

Apibus exitialis nimia florū copia.

Si non ita res habet, videamus quid de Apibus dicat Rutilius Æmilianus, cuius sunt ista ex lib. 4. de Agricult, c. 11. *Si nimis floribus annus exuberat, dum solam curam gerendi mellis exercent, de prole nihil cogitant, cuius omissa reparatione populus idem labore confectus extinguitur totius gentis exitio.* Et noster Iunius Moderatus lib. 9. de Agricult. c. 15. sic habet: *Quibus est minor harum rerum scientia, magnis fructibus delectantur, ignorantes exitium apibus imminere.* Infaustum prognosticum est apibus & ipsarum dominis annus floribus immodicè copiosus. Ratio est, quia cùm tali anno apes totas se tradant colligendo, conuehendo, & stipando melli, etiam de sobole propagandâ, conseruandâque per procreationem posteritate nihil cogitant, & qui apiariorum artem parum callent, exultant gaudio, quando vident apes anxiè, ac feruenter laborare in solicitâ suorum fauorum cunstructione, neque considerant, quòd duo grauia hinc oriantur incommoda, quorum primum illud, quod apes nimio exhauriantur, & attenuantur labore, alterum, quod propterea supersedeant generatione, & propagatione, atque ita immoderatâ illa defatigatione fit, vt omnia pereant, apes, proles, & tota maioris spes mellis, *cuius omissa reparatione populus idem labore confectus extinguitur, totius gentis exitio.* Ita qui vult omnia, quid illâ suâ inexplebili cupiditate facit aliud, quàm iacturam omnium? Quare sanum, & salutare consilium fuerit, pauco, ac moderato contentum esse, ita nimirùm conseruantur, & in tuto collocantur, quæ iam habentur, & possidentur.

Apes dum nimium student melli, obliuiscuntur prolē.

CAPVT IX.

Si necessum est rogare hominem, vt faciat, quod & debet, & potest, & maximè illum decet, quomodo per vim constrictus faciet, quod nec potest, nec debet, estque contra natiuæ conditionis illius propensionem?

Aeternæ salutis cura nonprima, sed & vnica, sola que nobis debet esse.

Dicere, & arbitrari, quod cura salutis æternæ, & illius consequendæ solicitudo sit præcipua curarum, & solicitudinum hominis Christiani, est detrahere de illius excellentiâ, & maculam inferre eiusdem dignitati, non enim præcipua tantùm dici, sed etiam vnica, & sola appellari meretur. Ita docet S. Eucherius Lugdunensis in epist. paræneticâ dicens: *Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant, summasque sibi solicitudinis parteis salus, quæ summa est, vendicet, tam non planè prima, sed sola.* At si tanti momenti est cura, & studium salutis æternæ, vt hæc debeat esse vnica, & sola solicitudo nostra, quomodo cum obtinere possimus, & nihilominùs necessum est rogare hominem, vt illius procurationi iustam det operam, quomodo permouebitur vt illud agat, quod propensioni illius naturali aduersatur, & quod propriæ indolis conditioni omninò sese opponit?

Homo adduci non finit, vt agat, quod suæ propensioni repugnat.

Discutiamus primum, hoc enim probato etiam secundum demonstratum manet. Illud nuncium, quod Episcopo Laodiciæ S. Ioannes ex Deo tulit, appositè huc veniet. Id tale erat: *Suadeo tibi à me emere aurum ignitum, probatum, & locuples fias;* Apoc. 3. v. 18. Quale hoc aurum sit, facile est dicere cum venerabili Bedâ, Richardo, Ruperto Tuitiensi, Hugone Cardinali, & alijs multis, nempe esse symbolum charitatis. Doctus huius libri interpres Viegas sic ait, *Per aurum intelligi charitatem, communis expositio*

positio est. Charitas virtutum suprema est, & princeps earum, nam vt Apostolus definiuit, opera, quæ destituta sunt charitate, nihil sunt. Consideremus nunc, quid Dominus Angelo Laodiciæ, & in illo omnibus dicat: *Suadeo tibi emere à me aurum*, inquit, hoc est, charitatem, quæ est anima, & forma virtutum, dans illis valorem, & dignitatem.

Doctus, quem dixi, & subtilis interpres in hæc verba sic differit: *Notandum est inprimis suadendi verbum, quo vsus est Dominus, non imperandi.* Consuluit Dominus, non præcepit conquirere purum ardentis charitatis aurum, hoc est, rem homini vtilissimam, & maximè necessariam. *Suadeo tibi*, inquit, non impero, vt meam tibi gratiam, & amicitiam compares. Cur non mandabat procurare sibi rem, quæ tantum emolumenti ei allatura erat, sed tantum hortabatur nundinari? Respondet Viegas: *Vt hac facilitate magis permoueret*, validiusque incitaret ad mercandum aurum charitatis, incomparabilesque illas diuitias, & inæstimabilem thesaurum sibi acquirendum. Homo enim ita est comparatus, vt nonnisi supplicibus precibus, vel blandis hortatibus ad Dei etiam amicitiam, & gratiam sibi maximè necessariam cōparandam, aliaque facienda, quæ & facilè potest, & meritò debet facere.

Homo nō nisi precibus adducitur, vt faciat, quæ & merito debent, & facilè possit.

Afferti nostri certam veritatem Apostolus Gentium etiam docet, qui Romanis in hunc modum scribebat? *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*, Rom. 12. v. 1. S. Petrus Chrysologus serm. 108. in hæc verba sic ait: *Rogat Paulus, immò per Paulum rogat Deus.* Non animaduertitis modum, quo Paulus, & per Paulum Deus studet Romanos adducere ad Pœnitentiam, & vitæ austeritatem, per quæ homo lucratur ineffabiles opes, & pretiosas gemmas ad locupletandam, & ornandam suam animam? *Obsecro vos*, inquit, oro, & obtestor, vt vos Deo consecretis. Quid verò agit Deus vt hæc illius tam vtilis diligentia suum sortiatur effectum, & fideles tam paternum illius sibi demereantur affectum? Respondet Chrysologus: *Distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum, gremium pandit, vt patrem se tanta obsecrationis demonstret affectu*, ostendatque quo in pretio habeat animam hominis, cui tam sollicitè procurat media, quibus illum assequi in cælesti patriâ queat, *Rogat Paulus, immò per Paulum rogat Deus.* Qui Deum tam supplicem, tam enixè precantem cerneret, quid diceret aliud, quàm quòd sua propria commoda procuraret? Verùm non agebat suum negotium, sed hominis causæ, & emolumento studebat. At si hominis causa agebatur, si hominis vtilitas, & salus æterna quærebatur, si hoc optabatur, vt homo Dei beatificam faciem videre sine fine posset, quamobrem Deus tam vehementer obsecrabat, tam humiliter, ac demissè rogabat, brachiisque, & pectore, & corde, & sinu, ac gremio inuitabat, & obtestabatur hominem vt ipsum quæreret, & inueniret, & perpetuò retineret. Causa est, quod sapientissimus, & amantissimus Dominus nouerat ingenium hominis, quod tale esset, vt nonnisi magnis precibus permoueri sineret ad ea etiam, in quibus omnis felicitatis illius summa posita est, ad quæ austeriore imperio adduci non permitteret.

Deus multis, & magnis modis rogat hominem, vt beatus esse studeat.

Homo austeriore imperio nec ad beatitudinē petendam moueri sineret.

Propterea subtilis ille, & curiosus in moralibus, denique Hispanus, Ioannes Sanchez disp. 30. n. 8. dicebat: *Prælatus, qui satagit solo imperio instruere, & inducere subditum, vt obediat, id aggreditur, quod efficeret ille, qui vellet sanare infirmum, nulla adhibitâ medicinâ.* Homines enim nolunt austeritate formidabilium mandatorum cogi ad ea etiam, ex quibus maximam capiunt vtilitatem, sed cum summâ suauitate, & demissione rogari.

Sine medicina vult curare, qui solo imperio obedientiā extorquere.

Huc faciet quædam S. Ioannis Chrysostomi obseruatio in eas laudes, quibus Reparatorem mundi sacer illius Præ-

cursor ornabat, ita clamans: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti*; Ioan. 1. v. 27. Alio die, cùm videret Baptista Saluatorem ad se venientem, extulit vocem, dicens: *Ecce agnus Dei*; ibid. v. 36. Cùm hæc verba duo quidam discipuli, in quibus Andreas frater Petri, audiissent, statim se in Christi contubernium tradiderunt, *& secuti sunt Iesum*, ibid. v. 37.

Dicit nunc Chrysostomus homil. 17. in Ioannem: *Intuere hoc loco, quod neque cùm dixit, Qui post me venturus est, ante me factus est, neque cùm, Non sum dignus soluere eius corrigiam calceamenti, quenquam lucratus est, verùm cùm in humiliorem sermonem descendere cœpit, tunc secuti sunt Discipuli.* Quando Præcursor dilaudabat sublimitatem, & maiestatem Messiæ, & generationis illius antiquitatem, & magnitudinem illius tantam, vt ipse, qui vulgi opinione permagnus erat, indignum se reputaret, qui eum excalcearet, nunquàm illi potuit aliquem conquirere discipulum, nunquàm aliquem militem sub vexillum euangelicæ cohortis abducere: At simul ac Christum à mansuetudine, & facilitate commendare, ac dicere cœpit, *Ecce agnus Dei, secuti sunt IESVM*, & amârunt, & cum illo sunt conuersati. E cuius re erat, Christi-ne, an discipulorum, quod illum sequebantur? Palam est, quòd Discipuli suum habebant inde emolumentum, Christus commodum nullum. At si ita est, quare illum sequebantur, cùm eius non leoninam maiestatem, sed agninam mansuetudinem Ioannes efferebat? Causa ea est, quam hoc capite tractamus. Quanquàm omne hominis bonum, in eo, quod Christum sequatur, sit positum, numquàm tamen imperare sibi potest, vt illum sequatur, si ipsum vt leonem imperiosum consideret, non verò humilem, & blandum agnum cogitet. Hæc est enim natiua conditio hominis, vt nec à Deo permoueri sinat ad ea etiam, quæ illi maximè conducibilia sunt,

Homo neque Christum sequeretur, nisi agnum se exhiberet.

ad suam æternam adeò salutem procurandam, si se illi imperiosum leonem, non supplicem agnum exhibeat.

Quod recognoscens S. Ignatius statuit in sua Regula ne Prælati absoluto imperio, hoc est, denudato res præcipiant, sed sub velamine rogationis, taliter, quod magis videantur rogare, quàm imperare. Ita statuit illud prodigium sanctitatis, & clara religiosæ philosophiæ Cynosura, Ignatius dico, vt qui naturæ humanæ mare conto sui ingenij penitissimè explorauerat. Tametsi enim talia sint, vt homo ea debeat, & possit facere, quæ illi iniunguntur, & æternæ salutis lucra adferant, vult tamen rogari, & obsecrari, vt faciat, non imperio, aut iussione cogi.

S. Ignatius iussit tecto precibus imperio moderari subditos.

Ex his æstimabimus immane erratum athei Imperatoris, qui cùm à Basilio immodicum illud mille librarum auri donatiuum extorquere vellet, sic dicebat: *Iubeo libras auri mille abs te mihi mitti.* Tantam pecuniæ vim pendere S. Basilius nec debebat, nec poterat. Quibus autem blanditijs Basilium prouocare studuit, vt eam numorum copiam illi numeraret? *Iubeo*, aiebat, mando, impero, potestate meâ vtor. Quàm cæca materia status! Quàm stulta politia! Quàm delirus arbitratus eius, qui cum supercilio præcepit, vt fieret, quod fieri nec debebat, nec poterat, & nonnisi ab inuito! Nam si est velut necessarium rogare, & blandis verbis obsecrare hominem, vt suam ipsius æternam salutem, & alia huiusmodi, quæ illum decent, diuitemque, & beatum facere possunt, faciat, quomodo rigidis præceptis, & stomachosis iussionibus quis ab eo obtineat, vt faciat, quod nec debet, nec potest, & natiuæ eius inclinationi aduersatur, & repugnat?

Iulianus stultè vi pecuniam ingentem voluit extorquere.

Atque illud maximè in re, quâ de loquimur, pecuniariâ præsertim quando tanta numorum vis, & copia ab impotente expetitur. Dionysius Vticensis lib. 7. Agricult. c. 3. agens de modo, quo prudens, & sagax agricola tractare plan-

Viti sua sarmenta

tas, in primis autem vites debeat, iubet, vt hoc, quanquàm rusticum, consultum tamen monitum obseruet: *Ablatio per manum fiat, non per ferrum, stuporem enim vitis inducit ferri contractus*, hoc est, si nudanda sarmentis vitis, id blandâ manu, non rigido ferro fiat, simul enim ac ferrum contigerit vitem, stupescit. Idem dicere possemus Iuliano Imperatori, qui magis rusticus, quàm sapiens colonus voluit pampinare non suaui manu, sed minaci ferro, euaginauit enim duræ iussionis gladium, vt Basilium spoliaret auro, quod ab illo in thesauros illatum putabat: *Iubeo libras auri mille abs te mihi mitti.* Vt optatam obedientiam obtineas, inprimis cùm talia intentas, non educendus imperij gladius, sed verborum dulcium grata blandimenta adhibenda. Dolet plurimùm homo, quando illi numorum sanguis secundus eximitur, ac sæpe vehementiùs, quàm cùm illi venarum sanguis minuitur; itaque consultè fit, quando sanguis perblandè, multâque cum mansuetudine elicitur

non ferro, sed manu adimenda.

Pecuniæ ablatio sæpè homini pænalior, quàm sanguinis.

Veteres, qui hanc natiuam hominis conditionem nouerant, eam obseruabāt doctrinam, vt nunquàm togâ produceret brachium, qui forensia colligebat stipendia. De quâ re sic habet Alexander ab Alexandro lib. 4. Genialium dierum c. 26. *In vsu erat ritu prisco, vt qui forensia stipendia auspicabatur, brachium extrà togam exerere non auderet.* Mira profectò & notatu digna cæremonia, quòd ex legum sanctione tam recondita debuerunt habere brachia, & tam adstrictas manus, qui à Principibus destinabantur, vt colligerent pecunias! Quid sibi voluit illa brachiorum, manuumque occultatio, quando ibant ad exigenda publica stipendia? Respondeo. Cùm homo intolerantissimè ferat secundi sanguinis, qui est peccunia, imminutionem, prudenter decreuerunt, vt qui eam facturus esset, non exerceret brachium, non produceret scalpellum, non proferret gladium. Quàm benè dixit magnus Iurisconsultus, *Brachium exerere sique* euaginare! hoc enim significatur eo verbo, iuxtà illud Statij: *Fulgentem exerit ensem.* Vt enim homo naturalitèr pertimescit aciem scalpelli, quod laxaturum est illi venam: Sic etiam exerere brachium ad expromendam pecuniam, quæ est alter, vt diximus, sanguis, tantundem est, quantum educere gladium ad cor transfigendum. Plurimùm ergo delirauit desertor Iulianus, quando violentâ iussione extorquere voluit, quod vel supplicum precum blandimentis ægrè obtineri potest ab ijs etiam, qui & debent, & possunt facere, quod petitur.

Stipendia forensia exerto è togâ brachio non colligebātur.

Supersedeo hìc longiore exagitatione inconsiderantiæ huius athei tyranni, quā prodidit, cùm hominem tam tenuem, quàm fuit Basilius, cogere voluit, vt illi auri libras mille penderet, quod intolerabile onus erat, quia de Principum, quod hanc rem concernit, officio, & obligationibus perdignam lectu doctrinam reliquit ad miraculum eruditus D. Antonius de Cabreros, & Auendanno, honor illustrissimæ Mantuæ, & ornamentum Hispanicæ Iurisprudentiæ lib. de Met. c. 23. num. 34. & 35.

CAPVT X.

Nihil magis alienum à charitate benè ordinata, quàm opitulari extraneis procul absitis, cùm ad manum habes propinquos, quorum necessitatibus succurere possis.

AD lucem naturæ suâ, quâ valuit, ingenij genitali perspicacitate vidit aliquid flos ingeniorum, & Romanæ eloquentiæ summus pater Cicero, à quo assertionis nostræ probationem exordiemur. *Sic prospicere mihi videor*, inquit ille in lib. de Amicitiâ, *ita natos esse nos, vt inter omnes esset societas quædam, maior autem, vt quisque proximè accederet. Itaque ciues potiores sunt, quàm peregrini, & propinqui, quàm alieni.*

Benefaciendum omnibus, sed omnium primò proximis.

Quod sinus charitatis, & misericordiæ expan-

expandi debeat omni hominum generi, habet doctrina Apostoli, cuius sunt ista ad Gal. 6. v. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Latius euer-riculum beneuolentiæ, & beneficentiæ Apostolus iacere non potuit. Sed videamus an ista latitudo habeat aliquam circumstantiam, & limitationem. Apostolus seipsum mox declarat dicens: *Maximè autem ad domesticos fidei,* ac si apertiùs dixisset: Tametsi amoris, & charitatis viscera exhiberi omnibus debeant, domestici tamen, & quos vnius fidei societate coniunctos habemus, ij sunt, quos maximè hac epistolâ vobis commendatos velim. Ita interpretatur S. Remigius in c. 6. ad Galat inquiens: *Operari debemus bonum ad omnes, ad fratres, ad paganos, tam in eleæmosynæ officio, quàm in doctrinâ Verbi, maximè autem ad domesticos fidei oportet bonum operari.* Reuerà multùm derogaret charitati, pulchrumque illius ordinem confunderet, nisi ita distingueret, ac discerneret qualitates personarum, quarum egestati, ærumnis & necessitatibus optat subueniri.

Charitatis ordinem seruare Paulus suadet.

Hunc ordinem in vetere lege commendatum reperiemus: *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ,* dicit supremus Legislator Deut. 15. v. 11. *Idcircò ego præcipio tibi, Vt aperias manum fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum Versatur in terrâ.* Aliqui ex Hebræo transtulerunt: *Qui tecum Versatur intra Vnam è portis tuis in terra tua;* vbi magis videtur arctari vinculum, quo obligabantur ad subueniendum egentium propinquorum mendicitati. Quare insignis Oleaster sic dicit: *Ordinem charitatis, Vt Vocant, hac lex docet, Vt Videlicet illis primùm mendicis subuenias, qui sunt intrà portas tuas, & in terra tua, postmodum Verò alijs.* Omninò hic insinuat diuinus Lycurgus discretæ, & prudentis charitatis ordinem, estque hic, vt primo loco auxiliemur illis egenis, quos habemus contubernales, vel domesticos, posteriore extraneis, & peregrinis, si occasio illis succurendi sese offerat.

Charitatis ordinem etiam lex vetus decubit.

Cœlestis magister hanc confirmabit doctrinam, qui postquàm illum tamdiu prostratum paralyticum sanasset, dixit illi: *Surge tolle lectum tuum, & Vade in domum tuam;* Matt. 9. v. 6. Quâ intentione præceperit Dominus huic tam miraculosè curatò, vt humeros strato suo oneraret, atque ita domum rediret? Causa inter multas hæc fortè præcipua fuerit, vt omnipotentiam superni Medici prædicaret, atque ita infidelitate cæcatos ad sequendum tam omnipotentem Dominum, & verum Deum, luce tam stupendi prodigij adduceret, sicque illi à periculosiore malo, & grauiore incredulitatis morbo sanarentur. Ita sentit, & affirmat. S. Ioannes Chrysostomus in c. 6. Matth. homil. 30. dicens: *Vade in domum tuam, Vt tuorum mentes ab ægrotatione reuoces.* At si diuinus Reparator optabat paralyticum habere miraculi præconem, vt ab infidelium mentibus, talis prodigij luce, tenebras fugaret incredulitatis, cur ei præcepit, vt priùs adiret suas ædes, quàm per alias discurreret partes, vbi cælestis Magistri diuinitatem adstruere poterat per illud signum prodigiosæ operæ, quâ ipsius languidum & dissolutum corpus saluum, & incolume reddidit? Id fecit haud dubie vt confirmaret veritatem nostræ doctrinæ. Nam quamuis dispertiri dona, & gratias inter omnes debeamus, & erga omnes esse munifici, & liberales, verùm illis primùm auxiliares, & prolixas offerre manus debemus, qui sunt nobis vel sanguine, vel affinitate, & familiaritate, vel officijs præstitis magis coniuncti, idcircò Dominus huic tam miraculosè curato præcepit, ante omnia ad suam domum accurreret: *Surge, tolle lectum tuum, & Vade in domum tuam, Vt tuorum mentes ob ægrotatione reuoces.* Nam pro circumstantiarum, quas indicauimus, qualitate, priores debent esse domestici, quàm vicini, & vicini anteriores extraneis.

Christus paralyticum cur in domum suam ire iussit?

Hæc est sententia S. Augustini lib. 19. de Ciuit. c. 16. quam his verbis expressit,

Parentibus indigis relinquere debemus, si quæ volumus, potius quàm alijs.

sit. *Etiámsi habuerunt seruos parentes nostri, sic administrabant domesticam & secundùm hæc temporalia bona filiorum sortem, à conditione seruorum distinguerent, quod naturalis ordo ita præscribit.* Et in epistola 38. sic pronunciat. *Si quid pecuniæ res tua familiaris habet cuius te implicare negotio nec oportet, nec decet, reuerà tribuendum est matri, & domesticis tuis, horum quippe indigentia, si pauperibus instituisti distribuere talia, tui primum apud te obtinere locum debent.*

Legata coniunctioribus indigêtibus primum facienda.

Augustissimi ergo Doctoris Augustini sententia est, quod quando succurrendum necessitatibus, quando erogandæ eleemosynæ, quando facienda legata, quando bona opera instituenda, primùm vocandi sint, qui magis coniuncti, & ante omnes domestici, deinde ad alios exporrigendæ manus: *Tui primum apud te locum obtinere debent,* quemadmodùm apud sanctum, & discretum Patriarcham Abraham obtinuerunt quando sub extremum vitæ *dedit cuncta, quæ possederat, Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera,* Gen. 25. v. 5. 6. Isaaco, qui erat risus domus, & filius cum tot mysticis circumstantijs promissus, & vnicus magno miraculo ex chara Sarâ natus, omnem suam hæreditatem in totum reliquit, cæteris liberis certa quædam munera dedit, quibus illos ab hæreditatione exclusit. Nam vt Isaaco magis obstrictus erat, eumque præcipuâ cognatione arctiùs coniunctum habebat, ita factum iustè quod in concursu filiorum creditorum primas ille retulit, & opulentiore patrimonio alijs antelatus fuit.

Abraham rectè distribuit legata.

Hoc ipsum, vt mihi quidem videtur, arcano modo, & tecto symbolo indicare voluit cœlestis Magister, symbolo, inquam, abundi fontis, cuius crystallinæ aquæ ex locorum amœnissimo, & deliciosissimo profluebant. Adeamus, & audiamus diuinum Præceptorem: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?* aiebat Lucæ 12. v. 49. ac si dixisset: In terram descendi, vt igne iniecto omnium corda succendam. Transeamus nunc ad fluuium, seu fontem (vtroque enim nomine donare illum solent) qui ex illo grato simul, ac iucundo loco exibat: *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis;* Gen. 2. v. 10. Fluuius, & fons sensu morali referunt hominem beneficum, & prolixum, qui suaui suæ liberalitatis irrigatione steriles campos necessitatum, & miseriarum fœcundat, vt aiunt Berchorius Geminianus, Ricciardus, & alij. Quod ignis charitatem significet, tam est tritum, & perulgatum, vt nos probandi labore exoneret. Quæ nam est proprietas fontis, fluuij, & ignis? Id Eminentissimus Cardinalis Ostiensis S. Petrus Damianus nobis dicet, qui lib. 5. epist. 7. sic habet: *Ignis ea priùs ligna conflagrant, ex quibus oritur, & fons illas ante omnia terræ venas infundit, ex quibus profluens deriuatur.* Dum ergo igne, fonte, fluuio significantur benefactores, qui se, suaque alijs libenter, ac liberaliter impendunt, simul etiam indicatur ordo, & modus, qui ad benefaciendum adhiberi debeat, vt nimirùm illis opem, & operam nostram priùs deferamus, ex quibus originem ducimus, quosque arctiùs nobis coniunctos habemus. Quod cùm ita sit, facilè est videre, Magnum Basilium, si mille auri libras habuisset quos desertor Iulianus expetebat, non eas illi tradere debuisse: nam vt erat sapiens, & discretus, & in benefaciendi facultate præmodùm versatus Doctor, sic palam est, quod priùs domesticis, & ciuibus suis, & mendicis popularibus, & communis fidei affeclis occurrisset, quàm perfidioso, sacrilego, & atheo Iuliano.

Ignis proxima ligna succendit, viciniorẽ terram fons rigat.

Benefacere volens faciat, quod fons, & ignis solent.

CAPVT XI.

Peruulgatus vsus obtinuit, vt qualis quisque est, tales alios arbitretur.

VNde ea nasci suspicio nefario Imperatori potuit, quòd sacer Phœnix Basilius in suæ domûs nidum, tãtam auri, & argenti copiam intulerit, vt illi inde mille auri libras dono mittere posset? Respon-

Homo de suis moribus mores æstimat alienos.

Responderi potest, quod cùm vulgò, qualis quisque est, tales alios esse iudicet, sic desertor Princeps existimauerit, à Basilio tam multos admitti ad suum Asceterium discipulos, & contubernales, vt eorum temporales fortunas sibi vsurpare, & adscribere posset, quemadmodum ille suorum subditorum facultatibus ad se locupletandum abutebatur. Sic enim vulgò, vt diximus, agunt homines, vt de suo ingenio alios æstiment, & de suis moribus mores arbitrentur alienos. Id affirmat Chrysostomus in homil. de Dauid, & Saul his verbis: *Plerumque Vulgus ex suo animo de alijs diiudicat.*

Reges magi, cum sine dolo essent, similem sui putabant Regē Herodem,

Quæri potest, quamobrem Reges magi ab Herode Rege de supremo Rege, quem illi videre anxiè desiderabant, tam cautè, & secretè interrogati, suum iter sunt profecuti, non secum reputantes, an fortè malo dolo astutus, & tyrannus Princeps vsus fuisset. *Qui cùm audissent Regem, abierunt*, inquit S. Matthæus 2. v. 9. vbi sacer Euangelista insinuat, quod incauti continuârunt suam profectionem, & neque indagârunt, quali esset Herodes homo ingenio, neque examinârunt, vtrùm sub illius varijs interrogationibus mortale aliquod perfidæ fraudis venenum tectum lateret.

Huic dubitationi respondet magnus Bulgariensium Archiepiscopus Theophylactus dicens, *Ipsi, cùm dolo carerent, putabant & illum absque dolo loqui.* Omnis à sanctorum Magorum animis aberat fallendi cogitatus omniaque sua ingenuè, syncerè, & candidè agebant, ideòque nihil ab Herode duplici animo fieri credebant, nec suspicabantur, quod offuciæ sub verbis, sinistra intentio sub ipsius interrogatis latitare posset, cùm vulgò iudicia cuiusque moribus ipsius respondeant. *Ipsi cùm dolo carerent, putabant & illum absque dolo loqui.*

Id Salomon testatur, dicens: *Innocens credit omni Verbo, astutus considerat gressus suos*; Prou. 14. v. 15. Symmachi, & LXX. Interpretum versiones huc faciunt. Et LXX. quidem transtulerunt: *Simplex credit omni Verbo*; Symmachus autem: *Paruulus, aut puer*, qui teneri, & delicati pueri instar quibusuis verbis credit, cùm è contra vafer & astutus, tanquàm omnia suspecta habeat, cautius incedat, & omnes non solùm suos passus obseruet, sed etiam aliorum notet. Quàm decens titulus innocentis, cùm vocatur puer! *Innocens, paruulus, puer, simplex credit omni Verbo.* Nam vti in corde pueri non dominatur astus, & vafrities, sic iudicat etiam in aliorum cordibus nihil tale posse. Ad eundem modum vir bonus, iustus, innocens credit omnibus dictis, hoc est, iudicat vera esse, quæ alij loquuntur, nam velut ipse non meditatur fraudes, sed totus cădore veritatis, & synceritatis est conuestitus, ita existimat omnes vera dicere, & syncerè agere. S. Ambrosius id notabilib⁹ verbis admonuit lib. 3. Offic. c. 10. *Quia sanctis amica est Veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit, ignorant, libenter credunt, quod ipsi sunt, nec possunt suspectum habere, quod ipsi non sunt. Hinc Salomon: Innocens credit omni Verbo, de omnibus rectè iudicat, qui fidem in omnibus esse arbitratur.*

Sancti quia veraces, neminē mētiri credunt.

Quædam Abulensis obseruatio confirmabit sententiam Salomonis superiorem. Chronologus Mundi, Geneseos Scriptor refert, qui Protoplastus ad similitudinem Dei factus fuerit, & ipse filium Seth ad suam similitudinem genuerit, dicens: *Hic est liber generationis Adam, in die, qua creauit Deus hominem. Ad similitudinem Dei fecit illum. Adam genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam*, Gen. 5. v. 1. & 3.

Quærit magnus Doctor, cur Adam, cùm genuit filium, dicatur illum ad imaginem, & similitudinem suam, non Dei genuisse, cum tamen ille ad similitudinem Dei sit factus? *Genuit filium ad imaginem & similitudinem suam.*

Huic difficultati satis facit Castellæ Polyhistor, dicens: *Dicitur genuisse ad imaginem, & similitudinem suam, &*

non

non ad imaginem, & similitudinem Dei, quia natura corrupta ad Dei imaginem, & similitudinem prolem referre non potuit, sed talem genuit, qualis erat. Consultò, ac mediatò dictum fuit, quod Adã filium Seth ad suam similitudinem genuit, non ad Dei imaginem, quia natura culpæ contagio, & fœtere vitiata aliam naturam, quàm sui similem, generare nõ potuit, idcircò talis fuit filius, qualis genitor pater Quàm benè dixit magnus Doctor, *Talem genuit, qualis erat.* Similis fuit suo autori conceptus. Autor ex culpæ originalis reliquis corruptus, totq; vitijs, & miserijs cuntaminatus alium hominem, quàm mortalem, caducum, fragilem, miserum, & periturum, generare non potuit. Hoc ipsum applicare ad propositum possumus, & dicere, valde vsitatum esse, quod quisque qualis est, tales formet imaginationes, & quod iudicia generet ad imaginem suæ uitæ & morum suorum similitudinem quod indies experimur. Qui promptè cauillatur, quidquid audit, cavillos putat. Omnes mentiri arbitratur, qui ipse nunquam vera loquitur. E contra qui candidus, & syncerus, neminem fucatum, neminem fictè, aut dolosè agere existimat: *Talem gignit qualis est.*

Rex Nabuchodonosor non destituet suâ confirmatione hanc nostram assertionem, qui de summâ, & absolutâ potestate supremi Monarchæ loquens sic ait: *Regnum eius in generationem, & generationem. Iuxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ, & non est, qui resistat manui eius* Dan. 4. v. 31. 32.

Nabuchodonozor rex malè de potentiã Dei sẽsit.

S. Hieronymus in his verbis quædam notat, quæ videantur continere sententiam tam sacrosanctâ Maiestate parum dignam, suntque ista, quod *juxta voluntatem suam omnia faciat*, hoc enim perinde videtur, ac si dixisset, quod iste Rex independens, & absolutus pro suo arbitratu, & vt quodque collubitum est, faciat, tanquàm illius voluntas sit fulmen, quod per summam vim omnia deijciat, & obruat.

Sed quomodo Rex Nabuchodonosor eam habet existimationem de potentiâ Dei, qui est ipsa veritas, rectitudo, attentio, & iustitia?

Respondet Doctor Maximus: *Loquitur quasi homo sæculi, non enim quod vult, hoc facit, sed quod bonum est, hoc vult Deus.* Non est mirum, quod rex sæcularis, & profanus de supremo Rege sic loquatur, taleque habeat judicium, quod pro solâ suâ libidine omnia faciat, & velut inconsideratè se abripi sinat à suâ omnipotentiâ, cui obsistere nihil queat: Nam vt est proprium sæcularium, & profanorum ejusmodi Principum, omnia, pro cœco arbitratu liberæ suæ voluntatis facere, juxta illud apud Iuuenalem.

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratiõne voluntas.

Ita Nabuchodonosor tanquam rex profanus sentiebat de Rege supremo, quod ex legibus sui arbitratus, & propriæ libidinis operaretur omnia: *Iuxta voluntatem suam facit, loquitur quasi homo seculi.* Denique vt quisque comparatus est, sic loquitur.

Ita magnns Theologus S. Gregorius Nazianzenus docet Orat. 16. *Qui nausea, & vertigine laborant, omnia sursum, deorsumque verti putant, cùm ipsi vertantur* Nauseabundi, ac vertiginosi cœlum cum terrâ misceri putant, quodque cœlum sit in terrâ, terra in cœlo, existimatur, non quod ita se res habeat, sed quod caput eorum male habeat, & ob oculos illorum verticosa, & totatilia quædam circumagi videantur. Horum similes sunt peccatores, inquit Nazianzenus, qui arbitrantur, quod alij confusè, inordinatè, aliterque ac deberent, vivant, non quod alij talem ducunt vitam, sed quod ipsi perversis sint moribus, *cùm ipsi vertantur.* Tritum enim, uulgareque est, quod quisque, qualis est, tales alios esse judicet, & bonus quidem ad sui candoris lucem, malus verò ad tenebras suæ malitiæ de alijs pronunciet.

CA-

CAPVT XII.

Verba tametsi sint aer, siue aura, nunquàm tamen pro talibus magis reputari debent, quàm quando non consonant cum operibus.

DIgnum attentá consideratione est, quod apostata Imperator, priusquàm à Basilio mille auri libras peteret, humanas, blandas, & velut singularis benevolentiæ indices literas ad eum dedit, quibus illum aureorum verborum eloquentem Mercurium vocat, dicens: *O nuntium verborum aureorum*! diinde illum in catalogo intimorum gratiosorum recenset, addens: *Amicus ad amicum veniens.* Verùm tota hæc blandimentorum nubes in quid tandem vera est? In atrum nubilum, inturbulentam alluuionem exactionis auri librarum non minus mille, sicut ex illius epist. 26. diximus: *Iubeo librarum auri mille abs te mihi mitti.* Ex quo sequitur, quod nunquàm ad inanem Verborum aërem attendere debeamus, nisi solida opera conjuncta habeant, iisq; cõsonẽt opera enim sunt testes probat, & omni exceptione majores.

Hujus veritatis præclarum exemplum fuerit quædam regij Prophetæ actio in speciem admiranda. Post multas persecutiones ipsi à Saule illatas loquebatur illi aliquando cum demissâ humilitate, particulamque chlamydis, quam in antro præscidisset, ostendens demonstrabat, quàm facilè facere exanimalem illum in eodem antro potuisset. Audivit infensus rex ea tamen humilia verba, viditque se convictum ratione, & ait: *Iustior tu es, quàm ego*; 1. Reg. 24. v. 18. ac si dixisset: Fateor à te stare justitiam, nunc indubitatum habeo, quod rex futurus es, nec aliud abs te peto, quàm ut juratus promittas, quod non extingues posteritatis meæ lucem. Iuravit David, ut rogatus fuerat, cumque ab in vicem discederent, Saul iuit ad domum suam regiam, *Dauid* autem, *& viri eius ascenderunt ad tutiora loca*, Ibid. v. 23. Hîc notanda ista sacri juvenis, & robusti militis actio. Locutus illi rex Saul verbis humanissimis fuerat, dixeratque, quod à suis partibus haberet rationem, & justitiam, prædixerat, quod certissimè rex futurus esset, rogauerat, vt cum juramento polliceretur, nolle extinguere semen eius, & posteros, quid post omnia ista ad incultas, & inaccessas rupes se recepit, & *ad tutiora loca* ascendit? Cur post talia verborum blandimenta, post tam fausta consequendi regni prognostica non secutus illum fuit, aut quomodo timere potuit? Cur non ad aulam suam illum conduxit? Cur non frequentavit palatinum, Saulemque & sæpè invisit, & reverentèr coluit? Quid fugere, & abdere se necessum fuit?

David Sauli post iuratam amicitiam nõ credebat, Cur?

Respondet Salomon Hispaniæ Abulensis q. ult. in 1. Reg. 24. inquiens: *Egit in hoc Dauid cautissimè, & non credidit his verbis, sed recessit.* Attentissimè factum, quod hic expositus diu persecutionibus Dauid egit. Non erat, quod crederet blandidulis verbis, quem antecedentia opera reddiderant cautiorem. Nam ut ex Regum historiâ constat, Saul illum lanceâ configere, & conficere voluit, & postquàm reconciliatus esset, filiamque illi in matrimonium collocâsset, impotente furore correptus præcepit satellitibus, vt illum trucidarent. Posthæc cùm patris indignationem filius Ionathas sedasset, tertiâ jam vice voluit Davidem lanceâ cum pariete transuerberare Denique cùm ardens, & cæca non remitteret offensio, in culpatæ illius vitæ perfidiosas struxit insidias. Cùm ergo prudens, & cordatus juuenis talia furiosi Regis ergà se opera videret, quantumuis blanda illi verba daret, securitati suæ studens *ascendit ad tutiora loca.* Nam quibus pectus sapit, ij pro vacuo aere, & inani aurâ habent verba, & dicta quæ non congruunt cum operum archetypo.

Verba factis destituta sunt innanis aura.

Huic veritati opportunè suffragabitur id, quod cœlesti Magistro cum illo Regulo

gulo accidit, qui pro incolumitate filij ægrotantis illum interpellavit, de quo S. Ioan. 4. v. 47. sic ait: *Abijt ad eum Regulus, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium eius.* Quid his tam humilibus, & supplicibus precibus supernus Medicus respondit? Illud: *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis*; ibid. v. 48. Subacida, ut videtur, & amara fuit responsio. Sed hîc aliquis cœlesti Magistro occurere, & dicere posset, cur tam austerum, quantum videtur, se exhibuerit homini, qui veniebat supplex pro vitâ periculosè laborantis filij, & *rogabat eum*, ne dubites humilem venisse. Qui orat, qui rogat, qui supplex obsecrat, semper verborum sagittas ex humilitatis, & submissionis pharetrâ depromit. Quod si ita est, cur divinus benefactor illum suppudefecit, modicamque eius fidem perstrinxit, tanquàm ex illis quidam fuerit, qui non credant, nisi fidem vis prodigiorum extorqueat? *Nisi signa, & prodigia videritis, non creditis.*

Regulus euangelicus alius verbis erat, alius factis.

Huic difficultati occurrit Aquila Doctorum S. Augustinus Tractat. 16. in Ioannem dicens: *Verba rogantis audimus, cor diffidentis non videmus, sed ille pronuntiauit, qui & verba audivit, & cor inspexit. Denique & ipse Euangelista ostendit; quia non dum crediderat, qui venire ad domum suam cupiebat ad sanandum filium eius.* Nemo miretur, quod Dominus tanquàm incredulum objurgaverit Regulum, qui verbis humilibus filio sanitatem expetebat, nihil enim novum, quod illum supernus Magister duriusculè excepit, quia id indubitatò fecit, ut nos doceret, quam parum curare debeamus verba, quibus non respondent opera, quod huic Regulo accidit: Nam quando verbis humilibus precabatur salutem filio, tunc opere contradicebat ei, quod dictis tam afflictim deposcebat Salutem quidem rogabat, sed illud simul, ut Dominus, quem obsecrabat, in domum, ubi ægrotus jacebat, descenderet. Ergo jam intra augustos suæ fidei limites arctabat potentiam Domini, quê putabat non posse dare incolumitatem, nisi se exhiberet præsentem, quem si omnipotentem credidisset, non existimasset necessariam, adeò nec postulasset præsentiam ad restaurandam filij valetudinem. Quare nihil mirum, quod aspernatus fuit verba, à quibus videbat procul abesse opera.

Verba, quibus non respondēt opera, pàrū curāda.

Iudas Machabæus suspecta habuit verba, quibus aduersa erāt opera.

Generosus ille, & strenuus gentis Hebreæ dux Iudas Machabæus, fratresque ejus constabilient, quæ diximus. De his sacer Scriptor narrat, quod cùm Bacchides, & impius Alcimus ingenti cum exercitu, jussu barbari regis Demetrij, in terram Iuda moverent, Legatosque suos ad illos mitterent, qui dextras amicitiæ darent, & tanquàm fidos, intimosque compellarent, *non intenderunt sermonibus eorum*, 1. Machab. 7. v. 11. id est, minimè curârunt Iudas, & fratres eius nuncia, quæ à Bacchide, & Alcimo veniebāt, tametsi magno ingentium promissorum apparatu instructa, & à pacis peramantibus allata viderentur. Quamobrem Machabæi tam suspecta habuerunt, & tam vilia reputârunt verba Bacchidis, & Alcimi? Non dissimulat rationem sacer Textus, mox enim dicit: *Viderunt enim quia venerunt cum magno exercitu*; ibidem. Sciebant catholici pugiles, quod quo tempore loquebantur eis de pace, eodem non procul inde habebant numerosas, & validè armatas militum catervas ad inferendum illis acre, & atrox bellum, ea propter verborum blanditias minimè curârunt, cùm tam perfecta haberent sangvinaria opera, quæ machinabantur. Nam ut doctus meus popularis ait: *In moralibus, juxta Aristotelem* 10. Ethic. c. 1. *magis creditur operi, quàm sermoni.* In communibus commertijs, & familiari consuetudine hominum plus defertur factis, quàm dictis, verborum enim veritas in operum infallibilitate consistit, & quamdiu nihil agitur, parum refert, quod non dicatur.

Verba in moralibus minorem fidem habent, quā opera.

IVLIANVS IMPERATOR APOSTATA CAESAREAM CAPPADOCIÆ METROPOLIM VENIT, OCCVRRIT *illi ſacer Phœnix Baſilius, & quid ex illorum mutuo congreſſu r.ſultarit.*

DEgebat vitam diuinus Patriarcha Baſilius in nobili, & opulentâ Cæſareâ, felici quondam patriâ ſacroſanctæ matris ſuæ Eumeliæ, per id verò tempus infauſtâ, & funeſtâ, quia Imperij habenas moderabatur ferox, & atheus, apoſtata Iulianus, qui in celebri Athenarum Vniuerſitate, (quod ſuprà memorauimus) cum Magno Baſilio & didicit bonas literas, & docuit. Increbuit fama, quod Iuliano deliberatum erat ingredi illam ciuitatem, atque inde pergere ad cruentum bellum perduellibus Perſis inferendum. Vt intellexit Baſilius propiùs, jam abeſſe ab vrbe crudelem Imperatorem, obuiam illicum frequente populi cateruâ iuit. Simul ac vidit Baſilium Iulianus, non aliter illum ſalutauit, quàm quod magno cum ſupercilio, & ſtomacho hæc arrogantiæ pleniſſima verba euomuit: Quantum Sol lucis omnis diſpēſator Aſtris cæteris, quantum plumbo aurum, quantum gemma vitro antecellit, tantum ego te philoſophiæ ſcientiâ ſupero. Ad hæc Baſilius cum humili grauitate, & modeſta audacia reſpondit: Vtinam, Princeps mundi, in eam celſitudinem euaſiſſes, vt jure ac meritò tibi vſurpare poſſes appellationem *Philoſophi*, hoc eſt, *amatoris ſapientiæ*; vnaque cum reſponſo obtulit illi tres panes hordeaceos; ita ſecum reputans, quod munera ſuam dignitatem trahunt à voluntate, quâ offeruntur, nam quando hæc eſt benè addicta, prona, prompta, & prolixa, in exiguo munuſculo multum doni includitur, & parua quantitas in pretium inæſtimabile aſſurgit. Pupugit ſacrilegum Principem oblatum donum panum, qui quod hordeacei eſſent, videbantur Iuliano non alio conſilio à Baſilio oblati, quam vt illi criſtas decuteret, & turgidum ex oſtentatoriâ philoſophiæ peritiâ animum comprimeret, atque ad ſuam menſuram reduceret, diſſimulanterque in brutorum ordinem abijceret, quorum vulgaris cibus eſt hordeum. Acceptauit tamen Iulianus panes, tradenſque cuidam ſatellitum, juſſit inuicem Baſilio offerri fa-

Baſili⁹ occurrit Iuliano Cæſaream venienti.

Iuliani arrogantia.

Baſilius Iuliano tres panes hordeaceos offert.

Iulianus Baſilio pro panibus fœnum reddi iuſſit.

ſciculum fœni, dicens: Panes hordeacei, quos mihi dediſti, ſunt eſca pecorum, vt mutuum reddam, & pari monetâ, quod accepi, referam, accipe hunc fœni faſcem. Inſtitit Baſilius, & preſſit anguſtiùs, dicens, ſe, quod optimum habuerit in facultatibus ſuis, attuliſſe, & obtuliſſe, hoc eſt, panes, quibus tum ipſe, tum Monachi eius veſcerentur, ſed illum impares rependiſſe vices, dum pro panibus fœnum, brutorum, pabulum, reddidit, ſe dono ſuo ſynceram, ac minimè fucatam demonſtraſſe voluntatem, admitti autem & foueri dignum eſſe, qui humili, & puro affectu det, quod habet, non pro eo, quod offert, ſed pro voluntate, quâ donat: Iulianum è contra, cùm opum copijs circumflueret, indignè, & eum turpi irriſione remuneràſſe, quod acceperat, cùm fœnum vile repoſuit, qui pretioſum aurum retribuere potuerit, eaque re ſiniſtram intẽtionem, & parùm vrbanum animum ſatis declaràſſe. Hic irâ inflammatus perfidus Imperator, per Solem, quem adorabat, jurabat, ſe, cùm victor à ſubactis Perſis rediret, ita vaſtaturum, & diſſipaturum eam ciuitatem, vt ſoli fœno proferendo idonea eſſet, quæ in id tempus vſque ceteras fertilitate, & abundantiâ longè ſuperaſſet. Non ſolùm pro iſto Baſilij reſponſo tàm atroces ipſi, illiuſque ciuibus minas intentabat, verùm etiam quia eiuſdem Iuliani cuidam epiſtolæ, in quâ hæc erant, *legi, intellexi, & damnaui*, hæc repoſuit Baſilius *legiſti, ſed non intellexiſti, ſi enim intellexiſſes, quod literis cõtinebatur, non improbaſſes, quod illæ affirmabant.* Id animum Iuliani lethaliter ſauciauit. Nam in ſcitiæ inſimulare eum, qui ſuam tam impotenter jactabat ſapientiam, erat illum in profundiſſimam contemptûs abyſſum demergere. Contrà Cæſarienſes non minùs efferabatur ſtomachoſus Princeps, eò quod profana templa, & Acherontica diuerſoria Iouis, & Apollinis deſtruxiſſent, qui fuerant illius ciuitatis ſuperſtitioſi tutelares, quo tempore illa in obſcuris gentilitiorum errorum obſcuris ergaſtulis captiua, & vincta jacebat, denique etiam ſolo afflixerant ædem Fortunæ, quæ illo regnante ſolum ex Gentilibus reliquum erat. Ob has cauſas, & quia ciues erant catholici, minas, vt dicebam, jis intentauit, & plenus furoris in ſuum è bello reditum rejecit ſupplicium, quòd in immani pectoris ſui ſacrilegi carnificinâ adornabat. Euentum mox videbimus, quemadmodùm & illud, quâ ratione omnipotens Deus, quæcunque hic profanus, & deſertor Imperator vel conſilia meditatus, vel ſupplicia machinatus fuerat, diſſipauerit. Vero verius eſt illud Salomonis Prou: 21. v. 30. *non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contrà Dominum.* Nullum eſt humanum, quantumuis arma-

Iulianus Cæſareæ excidium minatur

Cæſarienſes Iouis, & Appollinis fana euerterãt

armatum, & validum robur, quod expugnare possit inuincibilem, & semper triumphabundam inuicti illius Domini potestatem, cuius victricib⁹ plantis ceruices quantumuis obstinatæ, & elatissimæ mentes se submittunt. Quapropter S. Petrus Apostolus 1. epist. suæ c. 5. v. 6. sapienter monet, humiliari *sub potenti manu Dei*, cui omnia se inclinant, & tanquàm omnis potestatis, & majestatis Domino subijciunt. Quod tam vtile, & salutare consilium si multi superbi, atque elati Principes terræ secuti fuissent, nunquàm tam miserè, ac turpiter cæci, & præcipitis consilij sui manibus confecti essent. Et quanquàm hanc veritatem innumeris testibus probare, & varijs historijs confirmare possemus, asserendæ tamen illi, & in victè corroborandæ sat fuerit successus, quem huius perfidiosi monarchæ proposita habuerunt. In illius capite periculum facere, & suos errores agnoscere possunt Imperatores, & in illius speculo videre, quàm mutabiles Lunæ, quàm volubiles rotæ sint omnes pompæ, & apparatus hujus caducæ vitæ, mox enim cernemus prostratum in solentissimum hominem, & subactam immanissimam illius temeritatem, quæ superbi Phaetontis instàr dejecta, & suæ præcipitantiæ aquis demersa novus quidam Icarus erit, nomenq; ex se dabit inconstanti mari, & infidis vndis vanæ præsumptionis, & temerariorũ cogitatuum, quandoquidem omnia demũ soluantur in exilẽ puluerem, in tenuem vaporem, & fragilẽ cinerem.

PHOENICIS GRÆCIÆ,

S. Basilij Magni

LIBER VII.

CAPVT I.

Quando filij Dei solerti pietate faciunt ex aere panem, filij sæculi ambitiosa industria panem in vanum aerem vertunt.

Sãcti sunt pij, & solertes inventores.

QVis ingenio assequi possit astutam solertiam, & solertem industriam, quà filij Dei ad res, facultatesq; suas agendas, & amplificandas vtuntur? Pios inuentores illos vocat vrbanus Propheta Isaias 3. v. 10. inquiens: *Dicite iusto, quoniam bene, fructum ad inuentionum suarum comedet*, ac si dixisset: Denunciate iusto hæc bona noua (vt lætetur, & exultet gaudio) quod ex suarum inuentionum, industriarum, solertiarum prouentibus viuet. Ergone & serui Dei suas habent inuentiones? Habent. Nam quæ solertior inuentio, quæ subtilior industria, quàm ex vano aëre, aut vento facere panem, qui nutriat? Hoc intelligetis, si animo recolatis, quod aurum, argentum, honor, status, coronæ, sceptra, Imperia, Maiestates, & quidquid tale, sunt aer, ventus, fumus. Hoc Zachariæ ab Angelo dictum. Vidit quondam propheta quadrigas, equos, & multum apparatum belli, cùmque non assequeretur animo, quod se offerebat oculis, dicebat Angelo: *Quid sunt hæc, Domine mi? Et respondit Angelus: Isti sunt quatuor venti*; Zach 6. v. 4. 5. omne illud, quo oculos

Sancti ex aëre, aut vento panẽ faciũt.

Ventus est omnis opulentia Mundi.

culos tuos ad stuporem pauisti, aër est, tenuis aura est, inanis ventus est. Quid verò faciunt serui Dei? Ex omnibus istis mundi bonis, & opibus, & diuitiis faciunt panem, faciunt nutrimentum. Quod enim in non necessarios famulos, in superfluos apparatus, in epulas, & luxum vestium, (quæ omnia ventus sunt, & aër) prodigè effundendum erat, id piâ quadam solertiâ conuertunt, & transformant in panem, in alimoniam pauperum, in victum mendicorum, in subsidium orphanorum, in vestitum nudorum, & alia his similia misericordiæ opera.

Illud peruersi tenebrarum Angeli cõsilium, quod Christo Domino nostro suggessit, si ad bonam lucem dispicias, & in bonum sensum inflectas, est quædam velut è cælo profecta sententia, inquit ferè Hugo Cardinalis. Venit tenebrarum Princeps ad Imperatorẽ cælorum, qui lucem habitat inaccessibilem, volensq; periculum facere potentiæ illius, primo statim cõgressu opposuit illi quẽdam saxorum cumulum, inquiens: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*: Matth. 4. v. 3. Non dicit si filius diaboli es, sed *Si filius Dei es*. Hac autem re filium Dei te probabis, si in panem saxa transformes. *Lapides in panes vertit, qui lapides domorum vertit in eleemosynas*, inquit Hugo Cardinalis. Palatia sumptuosa ex jaspide, aut porphyrite constructa quid sunt, nisi vanus aër, & inanis ventus? Dicit nunc mali dæmonis bonum, si rectè accipias, arbitrium: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant*; fac, vt quod prodigendum erat, in lapides, in ædificia, in canes, in pedissequos, in vanas, & superuacaneas ostentationes, erogetur in eleemosynas, opera pia, in alimoniam & nutricationem pauperum, hinc enim cognoscitur, quod quis sit filius Dei, non diaboli. Nam filij Dei ex aëre faciunt panem, & filij dæmonis ex pane aërem, siquidem ex prouentibus annuis; & redditibus, ex pensionibus, & facultatibus hæreditarijs, & cæteris, quæ illis Deus concessit ad leuandas egentium necessitates, & panem pauperum, illi faciunt ventum, ostentationem, vanitatem, & in superfluas expensas, atque in otiosos, & nihili apparatus malè profundunt.

Sancti lapides in panes vertunt.

Improbi ex panib⁹ lapides faciunt.

Dignum consideratione est, quod Filius Dei, ex annotatione sancti Matthæi euangelistæ, antequàm multiplicaret panes, & pisces in alimoniam numerosæ turbæ, quæ illum in penitiorem inculta eremi locum secuta fuerat, *acceptis quinque panibus & duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit*, Matth. 14. v. 19. Quid indicat illa cæremonia, quod in cælum oculos extulit, quando multiplicare panes voluit? Respondet Theophylactus ibi: *Suspicit in cælum, & benedicit panes; fortassis vt maior ei fides habeatur, quod non sit contrarius Deo.* Itane verò dum multiplicauit panes, voluit se filium Dei ostentare illo auctorum panum opere? Voluit, Videamus quomodo multiplicauit panes, & quâ ex re fecerit alimoniam pauperum. Cornelius à lapide in c. 14. Matth. ex sententiâ multorum Interpretum ait, multiplicasse panes in annonam pauperum famelicorum, *aerê vicinum in panes conuertendo.* Itaque brachii sui potentiâ, & generosæ liberalitatis suæ solerti sagacitate panem ex proximo aëre fecit. Tunc ergo voluit declarare, quod esset filius Dei, vt simul talium filiorum perspicacem prudentiam, artem, industriamque indicaret: *Vt maior ei fides habeatur, quod non sit contrarius Deo*; nam Dei filij ex aëre panem conficiunt, filij diaboli in aërem vertunt panes.

Christus benedicturus panib⁹ cur suspexit in cælum?

Christus ex aëre panẽ fecit.

Id Euangelista symbolice indicat, quando Christi Præcursoris vestitum describens, sic ait: *Ipse Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos suos*; Matth. 3. v. 4. Ex camelorum duris setis sibi adornabat Ioannes cilicium, pœnitentiæ, & meritorum solenne instrumentum.

Dicit hoc loco Aloysius Nouarinus: *Camelorum pilis seruus, Dei torquetur, nec caret hoc mysterio.* Quid verò arca-

Ioannes cur potissimum ex

ni ha-

Camelorũ pilis sibi texuit vestitum?

nil habere potest, quod camelorum potiùs, quàm aliorum animalium pili delecti, & adhibiti fuerunt, vt ex eis fieret cilicium, quo Ioannes carnem suam affligaret, spiritui autem sua lucra, & panem compararet?

Respondet Nouarinus: *Cameli diuites significant, vt colligitur ex illo* Matth: 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuites intrare in regnum cœlorum. Camelorum pili diuitum superflua sunt.* Cameli sunt symbolum opulentorum, pili camelorum sunt superflua opulentorum, sicut capilli sunt superflua capitis. Quod nunc dicitur, Ioannem sibi texuisse cilicium, fecisse mortificationis, meritorum, & spiritualis profectus instrumentum, idem est, ac solertiam eius, singularemque industriam demonstrasse, qui ex pilis, ex camelorũ superfluis, ex aëre, & vanitate diuitum sibi spirituales opes, thesauros cælestes, & panem in alimoniam animæ, in nutrimentum spiritus construere sciuerit. Nimirum serui Dei ex aere vanitatum, ex ostentationum inanium vento conficiunt panem in pastum animarum, & victum etiam aliorum.

Christus ex aëre panẽ fecit

Prodigiosa fuit sancti Simeonis pœnitentia, & tam notoria, vt Theodosius Imperator ad ipsius preces multa pluribus beneficia contulerit. Vitæ illius prodigium hoc erat, quod in editiore columnæ cujusdam loco continuus hospes, stetit, & neque diu angustum reliquit diuersorium, neque noctu arctam mutauit stationem. Cùm id Hispanus noster Theodosius intellexisset, veneratus tam stupendum austeritatis modum, misit ad illum legatum, *qui sanctissimum, ac aereum oraret martyrem*; vt ipsum Imperatori summo singulariter commendaret. Refert Euagrius lib. 1. c. 18. Histor. Ecclesiasticæ.

Simeon Stibites aëreus martyr cur dictus.

Quàm eleganter dixit Evagrius! Degebat Simeon in cacumine columnæ expositus sæuæ aëris inclementiæ, tanquã animatus, & animosus scopulus, in quem vehementer frementium, ac furiosorum ventorum aspiritus certatim invehebantur. Quid verò ex immoderatis aëris injuriis sanctus Simeon faciebat? Panem, materiam meritorum, *aereum martyrem* Notate gnaram inventionem, notate artem, & astum sagacis pœnitentis, industrij martyris, qui ex aëre panem facere noverat, ex quo anima suam nutricationem, gratiarumque, & virtutum incrementa haberet.

Christus bene dictu rus panib cur suspexit in cœlum?

Denique proprium est filiorum Dei ex aëre panem facere, vt filiorum mali dæmonis in aërem vertere panes. Dicit hoc Filius Dei, cùm ait: *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus jejunantes*, Matth. 6. 16 Hypocritæ, ficti pœnitentes pallore pœnitentiæ fucant facies suas, & corpus cultro austeritatis vulnerant, tantùm vt hominibus placeant, famamque, & opinionem sanctitatis apud illos sibi concilient. Quo nomine donat Propheta regius pœnitentiam? Panem vocat: *Cinerem*, inquiens, *tanquàm panem manducabam*; Ps. 101. v. 10. Quod hic cinis pænitentiam denotet, id communis Expositorum sententia habet. Cũ ergo hypocrytæ suam pœnitentiam ad vanam gloriam verterent, quid hoc aliud fuit, quàm ex pane facere aërem? *Exterminant facies suas, vt appareant hominibus jejunantes*, vt enim erant filij diaboli, sic panem pœnitentiæ vertebant in vanum aerem inanis gloriæ.

Improbi panes in auram vertunt.

Cùm Iulianus Cæsaream veniret, quid est, quod Basilius, qui ei obuiam ierat, hordaceos tantùm panes illi obtulit? vt S. Amphilochius in vita Basilij refert. Quomodo filius parentum tam copiosorum, & locupletum tam pauper, & nudus fuit, vt munus, quod tanto Imperatori offerret, præter tres panes hordeaceos, nullum haberet? Causam non dissimulauit S. Amphilochius, nimirùm quia res, facultates, thesauros, quidquid à parentibus prædiuitibus acceperat, omnem illam vanitatem. ventum, aërem in pauperum panem, & alimoniam conuertit, *Venditis, distractis, & distributis rebus suis*.

ſuis, ille pauper, mendiculus, & egenus manſit, ex quo caro ipſius ſuas habuit afflictationes, pauperes verò ſua commoda, veſtes, & reliquarum neceſſitatum ſuarū leuamen. Vt enim Baſilius erat filius Dei, ſic per ſagacem induſtriam ſciuit cōficere ex aëre panem pœnitentiæ ſibi, & alimoniæ pauperibus.

Capvt II.

Vt Prælati, & Superiores ſint timori, & venerationi, non debet in ijs conſiderari quod ſunt, ſed quod repræſentant.

Qvicunque vel mediocriter ſapienti ſcrupulum inijciet, quod ſanctus Amphilochius de Magno Baſilio refert, multis comitatum occurriſſe Iuliano, vt tanquàm Publicâ ſupplicatione apoſtatam exciperet Imperatorem. *Obuiam illi proceſſit*, inquit, *cum illis, qui ei aderant.* Nam cùm idem Sanctus fateatur in epiſtola ſuâ 25. quod Iulianum *impij, & infeſti dæmones pertraxerunt* ad imperij ſolium, videtur non debuiſſe illi occurriſſe cum tanta pompa, & oſtentatione. Quid ergo cauſæ fuit, quod tantum honoris, & obſeruantiæ tam iniquo, tam diſſoluto, tā ſcelerato, & indigno detulit Imperatori Nōne diximꝰ, quod Iulianus, cui tātum detulit, Imperator fuit? Hoc ipſum ergo, quod Baſilius illum cogitabat Monarcham, & orbis moderatorem, ſatis erat, vt illum deueneraretur, & coletet eo modo, quo coluiſſe Amphilochius narrat. Abſolutè namq; loquēdo, non debet conſiderari; quales ſint vitæ, mores Prælatorum, ſed quid repræſentent, & quod gerant vices Dei illiuſq; locum teneant. Itaque ſuperior, qualiſcunque ſit, ſemper debet eſſe timori, & venerationi, vt qui in theatro mundi perſonam referat Dei,

Superiorē vt timeas, cogita quid repræſentet

Venerunt quondam Diſcipuli ad Chriſtum, rogaruntque vt Zizaniorum parabolam ipſis explicatam daret. Deſcendit in preces ſupplicum Magiſter cæleſtis, iuſſitque explicationem attentis admittere auribus, dicens: *Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis, ager eſt mundus, bonum ſemen, hi ſunt filij regni, Zizania ſunt filij nequam, inimicus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus, meſſis verò conſummatio ſæculi, meſſores autem Angeli*, Matth. 13. vv. 37. 38. 39. Dixerat diuinus Præceptor, regnum cœlorum ſimile eſſe hominis, qui homo ſemine conſeuerit agrum ſuum. Dixerat, quòd cùm dormirent homines, quibus agri cura demandata fuerat, venerit agri inimicus, & ſeminis, ſuperſeminaueritque Zizania, & receſſerit. Dixerat, quod cùm creuiſſet triticum, & fruges dignoſci cæpiſſent, apparuerint etiam Zizania, quodque ſeruis patris familias mirantibus inſolentem fructum, & ſciſcitantibus, vnde is natus fuerit, reſponſum eſt ab inimico iniectum. Dixerat, quod tritico, Zizanijſque pariter permiſſum, vt creſcerent, ſed cum meſſis tempus appetijſſet, meſſores triticum à Zizanijs elegerint, & ſua vtriſque loca deputarint, & Zizania quidem igni æterno tradiderint, triticum verò in horreum lucis perpetuæ intulerint. Nunc ad rem. Cùm omnia ſuum, quam præmiſimus, habuerint expoſitionem, cur Damianus, dum cetera explicuit, nullam fecit mentionem eorum, qui dormierunt? Certè id tam attentus Magiſter ſine myſterio non diſſimulavit: *Cùm autem dormirent homines.* Quinam illi homines? Cur id non æquè declaratum?

Reſpondet Theophylactus in illud c. Matthæi: *Non eſt interpretatus quinam ſint dormientes homines, ſed illos prætermiſit.* Hoc verò eſt, quod urgemus, quamobrem ſapientiſſimus Dominus, qui ceteras parabolæ partes ſingulatim enucleavit, & quid quæque ſignificaret, vel repræſentaret, aperuit, idque non obiter, aut velut in tranſitu, ſed cunctanter, & meditatiò ſingulas illarum minutias dilucidando, hoc unum præterijt, & ſilentio innoluit, quinam illi agrorum cuſtodes conſtituti dormierint? Quinam ſunt agrorum cuſtodes? Sanctorum Auguſti-

gustini, Gregorij, & Bedæ, & aliorum sententia est, quod sint superiores, & Prælati, quos DEVS Ecclesiæ suæ Angelos custodes dedit. Ergo quando sermo est de agro, de messe, de semine, de satore, de messoribus nulla fit mentio Prælatorum, *illos prætermisit*, studioque, & deditâ operâ præterijt, & velut oblitum simulavit, ut nos moneret, quod cùm in neglectus, ac vita superiorum incidimus, ea præterire, & silentio regere debeamus, Quia tametsi Prælati sint socordes, incurij, laxi, somniculosi, non propterea dehonestari, sed coli, & observari, quantum fieri potest, debent, idque pro imitatione Domini, qui cùm se occasio de illis loquendi obtulit, cum illos pigros, ac remissos comperit, cætera quidé memoravit, *illos* verò *prætermisit*, præterijt, ac silentio veneratus fuit.

Prælatorũ defectus Christus dissimulauit.

Nihil tam pervulgatum in sacris perinde, ac profanis literis, quàm quod Prælati, & superiores vocentur dij *Dijs non detrahes*, ajebat Dominus Exodi 22. v. 28. quod Interpretes de Iudicibus, & Rerumpublicarum moderatoribus exponunt. Profanos autores in hanc rem benè multos adducit D. Christophorus de Sandoval, Philippi IV. Catholici Regis à secretis literis. Iam si Superiores sunt terreni dij, id inde habent, quod sint quædam summi Dei imagines, vel effigies. Res in aperto est; Sciscitor nunc. Imago, quæ Deum refert, seu benè, seu malè picta, nonne eandem semper meretur venerationem, propter illum, quem repræsentat? Indubitatum est. Ergo si Superiores, & Prælati sunt imagines, vel effigies Dei, tametsi inerterpictæ ruditer elaboratæ, hoc est, quales, quales sunt Prælati, semper debent observari. nec enim dispici debet, quod sunt, sed quod repræsentant, & Deus in illis cogitari, cui summam debemus reverentiam, & venerationem.

Prælati sunt imagines Dei, ideòque colendi.

Perquam dubios reddidit Interpretes, unde venefica illa, quam Saul consuluit, agnoscere potuerit, quod ipse esset Rex Israël, qui prius quàm illam adijt, *mutavit habitum suum*, 1. Reg. 28 v. 8. Cùm ergo Rex ad illam tectus, personatusque venerit, cur postquàm maleficis suis artibus Samuelem suscitâsset, magnâ voce se ab illo delusam exclamavit, eò quod ipse esset Rex, quem alieno vestitu dissimularet? De hoc ita habet sacerScriptor: *Cùm autem vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es enim Saul*, ibid. v. 12. ac si alijs verbis dixisset: Quando venisti, ut me consuleres, protestatus es, Regem minimè conscium fore eorum, quæ à me fieri optabas, & nunc video, quod tu es ipse Rex, cujus me tu dé terrebar, ne facerem, quod cupiebas. Quando illa cognovit Saulem? *Cùm vidisset mulier Samuelem.* Sed quomodo ex viso Samuele potuit novisse Saulem? Quid consequentiæ habere potest, quod ex conspectu prophetâ in notitiam venit Regis?

Insignis interpres libri Iob Pineda in c. illius 34. versu 18. num. 1. ait: *Agnovit nimirùm, quod Samuel signum aliquod reverentiæ, & honoris præbuisset coram Rege Saule, ex quo Pythonissa cognosceret adesse Regem.* Quanquàm Saul in tam profundam desperationem se præcipitasset, & in tam cæcam incredulitatis abyssum se ingurgitasset, ut hariolos, magos, ceteraque talia flagitia hominum consuleret, nihilominùs qualis qualis erat, rex Israel erat, eaque propter quando Samuel illum coram vidit, tantâ reverentiâ, & demissione honoravit, veneratusque fuit, ut inde statim mulier non dubiè conjectare, sed certò agnoscere potuerit, quod qui ibi personatus ad stabat, rex in alieno habitu esset. *Tu es Saul.* Tametsi enim rex quidam tectus, personam mentiatur aliam, tametsi consultoribus utatur necromanticis, & sagis, quanquàm superior vitam degat vituperabilem, donec Rex est, donec prælatus est, & Superior, semper sua illi debetur reverentia, & observantia, qualitercunque enim vivat, semper Dei personam repræsentat, & non

Samuel etiã a morte veneratus est Saulem.

Prælato, tametsi quidam Saul sit, sua debetur obseruantia.

& non

& non propter seipsum, sed propter eum, cujus personam refert, timeri debent, & honorari.

Quædam Cardinalis. Cajetani obseruatio aliud nobis ministrabit adminiculum. Octo comminationibus voluit Dominus detegere scelera, & flagitia Principum Sacerdotum, Scribarum, & Pharisæorum, quos illa infelix ætas ferebat. Scribas, & Pharisæos palàm, apertèque perstringebat, dicens: *Væ Vobis Scribæ, & Pharisæi*; Math 23. idque non semel, sed sæpiùs. Quarta verò comminatio indignabundi Domini hæc fuit: *Væ Vobis duces cæci*, ibid. v. 16.

Notavit hîc Cardinalis Cajetanus, quod cùm Dominus tam declaratè nominauerit Scribas, & Pharisæos, idque suprà, & infrà, in medio tamen variaverit appellationem, ducesque vocaverit eos, qui corruptis suis moribus alios scandalizabant. Quid sibi vult ista diuersitas, quod que hoc loco neminem singulariter nominavit, sed tantùm generatim perculit eos, qui alios scandalizabant, & ductores vocavit? Respondet Cajetanus: *Ad Pontifices dirigitur sermo.* Antesignani, & Capitanei, ut sic dicam, populi, qui erant Pontifices, hic arguebantur. Vt ergo nos doceret, quâ veneratione Prælatos, & Superiores prosequi debeamus, pro reuerentiâ, quæ illis est debita, non alio, quàm generali ducum nomine eos Dominus indicat: *Væ Vobis duces*; ut dubia hac appellatione ducum tecti non omninò agnoscerentur, & diffamarentur, quando notabantur, & coarguebantur. *Pro reuerentia ordinis non nominat Pontifices, sed communis illis, & aliis officij nomine duces aliorum ad Vitam sanctam, ad obseruationem Legis* &c.

Christus obseruans etiam improborũ Prælatorum.

Nondum quiescit animus, parum videtur, quod hactenùs diximus. Exactiùs rem hanc expendit sanctus Cæsarius frater Gregorij Nazianzeni, cujus verba paulò post dabimus. Quo tempore Christus capiebatur, & vinciebatur, Petrus magno animo educés gladiũ invasit quendam ministrorum, sive satellitum, qui ad tam sacrilegum opus missi fuerant, eique autem detruncavit. Id Ioannes sic describit: *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit seruum Pontificis*; Ioan. 18. v. 10. Post hæc Petrus incidit miserabiliter in culpam, quam mox amarè deploravit. Nam quod Dominus præviderat, & prædixerat, semel, iterùm atque iterùm Dominum inficiatus fuit, à quo non diu ante audierat: *Priusquàm gallus cantet ter me negabis*, Matth. 26. v. 34.

Petrꝰ lapsus, quia Pontificẽ in seruo i[...] honorau[...]

Quærit S. Cæsarius, quare præmiserit Dominus, ut Petrus tam luctuosâ prolapsione corrueret. Respondet, hanc vnam è multis potuisse esse hujus lapsus causam, quod violẽtas servo Pontificis injecit manus: *Permittit ipsum cadere Dominus propter percussum Pontificis seruum.* Ita ille Dial. 4. to 8. BB. Itanè verò tam horrendo supplicio Dominus plectit, quod Pontificis seruum percussit? Hinc arbitrari licet, quàm enixè velit Dominus coli Superiores, eisque deferri. Nimirùm tantam vult eorum esse apud nos æstimationem, ut illos non inse ipsis tantùm, verùm & in famulis reverenter obseruemus, & honoremus, sic, ut etiã terribilissimâ & extremâ animadversione, hoc est, culpæ permissione puniat, si vel hos indignè, indecenterque tractari videat. Hoc supplicio declarat animi acerbitatem, quam patitur, quando sua Superioribus observantia denegatur. Nam si tam durè castigat eum qui manus intulit Pontificis servo, quid fecerет illi, qui in ipsum Pontificem tale quid piam auderet? *Permittit ipsum cadere propter Pontificis serVum percussum.* Non mihi videtur amplius aliquid hanc in rem dici posse. Itaque dimittere possumus hoc capitulum.

Prælatos etiam in seruis suis vult obseruari Dominus.

CAPVT

CAPVT III.

Cùm omne supplicium, & flagellum à Deo dispositum sit, eapropter excipiendum est, & exosculandum, tanquam ab ipsius attentâ providentiâ profectum.

CVm Imperator Iulianus tam stomachosus, tam vehementer inflammatus irâ, tam plenus furoris adveniret, ut mortem Basilio, & omnibus Cæsariensibus intentaret, cur Basilius illi cum tanto comitatu occurrit? *Obuiam illi processit Basilius cum illis, qui ei aderant*, inquit S. Amphilochius. Consultiùs fecisse viderent, si effugere studuissent iram indignabundi Imperatoris, cui velut ad modum supplicationis obviam processerunt. In hâc actione, præter rationem proximo capite tractatam, inuenimus aliud perutile documentum. Imperator erat vir impius, Catholicæ fidei perduellis, Catholicorum flagellum, truces minas toti Cæsariensi vrbi, excidium supremum minabatur. Quid fecit Basilius? Velut in publicâ supplicatione illi occurrit *processit obuiam*, vt exciperet, humiliterque, & reverenter osculаretur, hoc cogitans, istud flagellum non venire à Iuliano, quà Iuliano, sed quà instrumento, quod cœlum ordinauerat, & disposuerat, quidquid enim calamitatū irruit in homines, à supremâ Dei prouidentiâ descendit, & quodcunque illud supplicium patimur, ex Dei ordinatione, & secretorum judicorum ejus commissione venit. Absque illius speciali licentiâ neque homo potest nobis vel leuissimum flagellum impingere, neque minimum supplicium cuicunque creaturæ inferre, homini certè minimè, qui terrenarum creaturarum princeps est, & dominus.

Plagella Dei reuerenter, & humiliter excipiēda

Regius Propheta aliquid affirmat, quo videtur ab historiæ veritate deficere. Prolixam relationem facit eorum, quæ Hebræis acciderūt inde à primis eorum majoribus, cumque ad inclytum patriarcham Ioseph vsque peruenisset ait: *Misit ante eos virum, in seruum venundatus est Ioseph*; Ps. 104. v. 17. ac si dixisset: Dominus misit illustrē hunc virum in Ægyptum, vbi in seruum est venditus. Hoc est, quod ingerit difficultatem. Nam si librum Genesios consulamus, vbi hæc res ex instituto describitur, ibi videbimus, quod fratres illius *vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis*, Gen. 27. v. 28. At si fratres venditionis illius authores fuerunt, si fratres curarunt, vt abduceretur in Ægyptum, cur dicitur quod Dominus *misit virum* vt viueret, seruusque esset in Ægypto?

Saris fecit quæsito Cajetanus in illa verba dicens: *Licet fratres Ioseph vendiderunt ipsum, Deus tamen misit Ioseph mediante venditione fratrum.* Quanquàm sacrum Oraculum dicat in libro Genesios, quòd Ioseph à fratribus fuit venditus, & ipsis procurantibus abductus in Ægyptum, & Propheta affirmet, quòd Dominus illum miserit in Ægyptum, utrumque nihilominùs verum est, nam venditio, abductio, seruitus, & omnia mala, quæ passus est Ioseph, à Deo fuerunt disposita, & ordinata, fratres fuerunt instrumenta, & manus, quibus est Deus ad suos fines paticulares, nihil enim accidit calamitatum, persecutionum, ærumnarum, quod non descendat ex institutione, directione, commissione Dei, qui est supremus hominum moderator, & præses.

Deo adscribitur venditio Ioseph Quid ita?

Cui hominum plures plagæ inflictæ, quàm sancto Iob? Cujus dorsum tot flagris concisum, atque illius? Cùm hic tam miserè sauciatus, tam varijs, immanibusque calamitatibus oppressus esset, quidnam dixit? *Viuit Deus, qui abstulit judicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam*; Iob 27. v. 2. hoc est, ærumnæ meæ Deum habent autorem, ab illo venit, quid quid animam meam affligtat.

Iob Deo ærumnas suas adscripsit. Quam obrem?

Beatissimus Papa Gregorius quærit, quomodo hæc rectè intelligi queāt, cùm sacer Textus nos doceat, quod crudelis adver-

aduersarius noster fuerit carnifex; qui sancto Iob sua flagella impegit, & efferatus minister, qui plagis inflixit. *Egressus Satan à facie Domini, percussit Iob ulcere pessimo, à plantâ pedis usque ad verticem eius*; Iob. 2. v. 7.

Quod si ita est, quomodo dicit sacer flagellatus, tot plagarum, & amaritudinum purgationem in officinâ Dei fuisse adornatam? *Vivit Deus, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.*

Huic objectioni occurrit S. Doctor lib. 18. Moral. c. 3. dicens: *Ista, quæ patitur, non casu se perpeti, sed Deo omnia disponente, testatur. Scit namque quia licet diabolus afflictionem justorum semper appetat, tamen si ab autore nostro potestatem non accipit, ad tentationis articulum nulla tenus convalescit.* Tametsi non ignoraret, quod efferata cacodæmonis manus illũ toto corpore atrocissimè miserandum in modum conuulnerâsset, hoc tamen etiam sciebat, quod diabolus, quantumuis auidus nocendi hominibus, cupiditati suæ satisfacere, absque speciali Dei concessione, non posset, id circò quando se saucium deplorat, à Domino, inquit, venit flagellum, quo cæsus sum, à Domino plaga, quæ mihi inflicta, itaque flagellum, & vulnera, tanquàm à Dei manu profecta, humiliter venerabatur, & reuerenter adorabat.

Attila, quia flagellum Dei, reuerenter exceptus.

Ioannes Salisboriensis in lib. 4. c. 1. Policrat. aliquid refert, quod huc aptè cadet Ingrediebatur quondam catholicam aliquam ciuitatem truculentus ille Christi persecutor Attila, interrogatusque à sancto Episcopo, quis esset, respondet: *Ego sum Attila flagellum Dei.* Cùm hæc superbi Regis verba sanctus Pastor audiuisset, humiliter ac demissè dixit: *Benè veniat minister Dei, & reseratis ecclesiæ foribus persecutorem admisit.* Occlusa habebat templi ostia Prælatus catholicus, noluit in illud admittere perfidum Attilam, verùm cùm hic diceret: *Ego sum flagellum Dei*; mox illi aperuit januas templi, ut doceret, quomodo exosculari debeamus virgas, & excipere flagellum quòd omnia hæc de manu Domini veniant. Nemo est, qui nos persequatur, nemo qui affligat, vel calumnietur, qui non sit Attila, hoc sensu, omnis enim persecutio, omnis ærumna, & afflictatio à Dei manu venit, ad meritum, & majus bonum nostrum ordinata. Proptereà addit Salisburiensis: *Flagellum enim Domini excludere non audebat, sciens quia nec ipsius flagelli esse nisi à Deo potestatem.* Noluit sanctus ille Episcopus templi ingressu prohibere Attilam, qui Dei flagellum erat, quià cùm admodùm catholicus, & christianus esset, non ignorabat, nullum esse flagellum, nullam persequendi facultatem, quam non concesserit manus absoluti monarchæ Dei.

Postquàm Dominus tentatus fuit, & victor à certamine abijt, cùm Præcursorem suum in custodiam traditum sciret, commigrauit in Galilæam. Id Matthæus his verbis narrat: *Cùm audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset recessit in Galilæam*; Matth. 4. v. 12. Oscitantia, vel certè obliuio videtur fuisse Euangelistæ, quod non commemorauit, quis ille qui Ioannem tradiderit, & carceri addixerit, cùm enim tam insignis, & celebris concionator esset, clam esse non potuit, quis in vmbras illum abstruserit, qui tantas fugauit tenebras. Cùm ergo ignotum esse non potuerit, quis Ioannem in vincula conjecerit, quare Matthæus non prodit tanti sceleris autorem, sed tantùm absolutè ait, *quod Ioannes traditus esset.*

Ioannes à quo incarceratus, Matthæus tacuit. Quid ita?

S. Ioannes Chrysostomus homil. 6. in Matth. operis imperfecti sic ferè ait: Si multum presseris difficultatem, & mihi dixeris, *à quo traditus est?* audactèr tibi respondebo: *Sine dubio à Deo, quia in virum sanctum nemo potest aliquid, nisi tradiderit eum Deus.* Quid necessum in quæstionem, vel dubium vocare, quis Ioannem vnxerit, & in custodiam abstruserit? Ex templò enim, & absque hæsitatione vllâ responderi potest, quod si absolutè loquamur, nec lasciua mater, neque salacula, & petulans filia, neque mulierosus Rex illum in vincula compegit,

Ioannes à Deo incarcerem traditus.

nisi

nisi enim Dei dispositio, & permissio huc accessisset, quæ manus Ioannem apprehendere, & in custodiam abripere potuisset? *Quia in virum sanctum nemo potest aliquid, nisi tradiderit eum Deus.* Nisi enim Dominus concedat facultatem, aut permittat, nulla est plaga, nulla calamitas, aduersitas nulla, quæ efficere quidquam valeat. Videre hoc licet ex eo, quod Ioannes, cùm jam in carcere degeret, misit duos ex discipulis suis ad Christum cum nùncijs, quæ ad illum perferrent. Solius Christi rationem habuit, nullam Herodis, nullam Herodiadis. Ea propter dicit Chrysostomus in c. 11. Matthæi Operis imperfecti: *Quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio.* Cùm in ergastulo detineretur Ioannes, Herodis non meminit, solius autē Christi mentionem fecit, cum illo communicauit, ad illum suos legatos destinauit, exosculans flagellum, & adorans catenas, flagellum enim illud, & catena venerant à Domini manu. Denique nisi Domini singulari decreto factum esset, nec illam catenam Ioannes tolerâsset, nec in tam crudelem carcerem conjectus esset.

Ioannes è carcere ad Christum, nō ad Herodē, nūcios misit. Quo mysterio?

Ioannes à quo incarceratus, Matthæus tacuit. Quid ita?

Admiratus Rex propheta strages, quæ Templo inferendæ erant, & stupefactus nefarijs sacrilegijs, quæ in illo perpetranda præsentiebat, sic ait: *Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, polluerūt tabernaculum nominis tui.* Et quid post hæc? *Posuerunt signa sua, & non cognouerunt sicut in exitu super summum*; Psal. 73. vv. 4. 5. Vexilla sua, tanquàm trophęa, in editioribus mœniorum Ierosolymitanorum locis fixerunt, & non intellexerunt finem illarum miseriarum, & ærumnarum. S. Augustinus hæc verba sic legit: *Et non cognouerunt sicut in egressu desuper.* Tunc sciscitatur: *Quid non cognouerunt?* Et respondet: *Sicut in egressu desuper*; hoc est, illud ingenio assecuti non sunt, quod è supernis descenderet, quidquid agebant, incendia, strages, captiuitates, neces, & omnia flagitia, quibus se contaminabant, alios vexabant: *Quia nisi desuper egrederetur jussio, nunquàm sauientibus Gentibus in Iudæorum populum, talia licerent*, inquit Augustinus. Nisi è cœlo decretum venisset, Gentes certè nec minimum alueare vel saxo appetere, vel dejicere Ierosolymis, nec vilissimum vas, cujus in templo vsus erat, contaminare potuissent. Hinc fit, quod sancti tam hilariter, lætanterque excipiunt omnes calumnias, persecutiones, ærumnas, nimirùm sciunt, nihil fieri, nihil dici, quod non à singulari Dei ordinatione veniat, aut quod suprema, & secreta Dei prouidentia ad majorem nostram vtilitatem, & profectum non decreuerit, atque idcircò tanquàm ab illius manibus profecta humiliter admittunt, gaudenter venerantur, & deuotè exosculantur.

Ioannes à Deo incarcerem traditus.

CAPVT IV.

Qui synceri, & integri serui Dei videri amant, non solùm volentes, sed etiam gaudentes, & exultantes debent admittere, & excipere ærumnas & calamitates.

VT feliciter auspicemur huius nostri asserti probationes, mutuemur à christiano Demosthene Chrysostomo verba quædam perelegantia, quibus eas ordiamur. Is homil. 1. in 2. Corinth. 2. cùm exhortaretur suos ad bonarum, & meritoriarum actionum exercitationem sic ajebat: *Si jejunamus, perinde exultemus, ac si in luxu versaremur, si contumelias accipimus, non secus tripudiemus; ac si laudes nostra prædicarentur.* Si corpus abstinentiâ emaciamus, si carnem cilicio cicuramus, abstinentiam, & cilicium tantà voluntate ferre debemus, quantâ voluptate perfunderemur, si gratissimis lautitijs uesceremur, aut vestiremus byssum, vel indueremur purpurâ. Si famæ nostræ macula inuritur, si existimatio nostra probrorum, vel conuitiorum tenebris obnubitur, ea tam auidis auribus excipere debemus, quàm admitteremus verba Ciceronis nos in publico theatro pro-

Patientia vera lætãter ærumnas excipit,

pro frequenti concione magnificè dilaudantis, & in cœlum offerentis. Hæc enim est synceriſſima tolerantia, hæc integerrima patientia, si non æquanimiter tantùm, sed etiam lætanter, & summa cum voluptate feramus ærumnas omnes & aduersitates, & sic gaudeamus pœnis in incultâ ignominiarum eremo, ac si essent gloriæ in amœno, & delitioso applausus horto.

Christi virtus patientia.

Quid faciebat Paulus in probris, calumnijs, persecutionibus, quibus vexabatur? *Libenter*, inquit, *gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi*; 2. Corinth. v. 9. Dignum ponderatu est istud: *Virtus Christi* Quæ fuit virtus Redemptoris nostri Christi? Ea, quod non solùm concorditer cum voluntate æterni Patris, sed etiam hilariter, lætanter, exultanter paſſus est, de quo, cùm ad extremam paſſionem egrederetur, dicit S. Ioannes, quod *exiuit baiulans sibi crucem*, Ioan. 19. v. 17. Non expectauit quo ad clauis eum cruci adfigerent, ipse suis illam sibi humeris injecit, tanquàm gloriæ ducens dedecus, & honorem reputans supplicium. *Ferebat crucem in humeris, tanquam strenuus miles lanceam*, inquit Euthymius in c. 19. Ioannis, Dicit nunc Paulus. Meæ infirmitates mihi sunt meæ voluptates, mea probra, & dedecora, meus paradysus, meas pœnas in glorijs numero, *vt in habitet in me virtus Christi*, & quidquid in illâ eximium, ac decentiſſimum fuit, nempè quod ornamentum ex tormento, ex blasphemiâ, & contumeliâ decus, hortum ex infirmitate fecit. *Libenter gloriabor*. Mellifluus abbas S. Bernardus ser. 34. in Cant. in hæc verba sic differebat. *Non dicit patienter se ferre infirmitates suas, sed & gloriari, & libenter gloriari in illis.* Hæc enim est, quod amoris pretium auget, si non volentes totùm sed etiam, gaudentes pro eo, quem amamus, patiamur, vt dicit sæculi sui Phœnix Ioannes Picus Mirandulanus to. 1. de 12. conditionibus amantium, condit. 9. *Optare pro eo pati aliquod incommodum, & dulce esse illud incommodum*, id veri, & integerrimi amoris certa nota est, & indubitatum signum. Qui verè, & syncerè amat, debet cupidè desiderare pati aduersa, & grauia pro eo, quem amat, sed & curare, vt ne in solo animo recondita maneat patientia, sed altiùs eam prouehere, & in sublimiorem gradum illam extollere, vt non satis putet, quod aspera, aduersa, persecutiones, calumniæ non offendant, nisi etiam palato sint gratæ, & amaræ pœnæ, instar dulcis ambrosiæ, & acerbæ austeritates saporem sacchari illi referre videantur. *Et dulce esse illud incommodum*.

Paulus patientiam Christi imitari amabat.

Amoris veri nota, lætanter pati.

Myrrha ærumnarũ typus.

Dignum consideratu est, quod amanti Sponso cum suâ charâ Sponsâ euenit. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis*, aiebat ille Cant. 5. v. 1. Indubitatum est, hoc loco nomine myrrhæ significari omnes afflictiones, persecutiones, calumnias, iniurias, labores, & quæcunque pro Deo aduersa tolerantur. Quid opus dicere, quod ita sentiant vterque Gregorius, Nyſſenus scilicet, & Magnus, Apponius, Philo, Isidorus, Beda, & alij plures, cùm res sit tam nota, & vulgata; Quod ergo Sponsus Sponsæ ait, meſſuiſſe myrrham suam amaram, perinde fuit, ac si iuſſiſſet venire, & pati persecutiones, probra, ærumnas. *Ad myrrham, ad labores, & persecutiones Sponsum inuitat*, inquiunt isti Patres. Sed quem in locum eam vocat, cùm ad amaram persecutionum myrrham, & duram laborũ tolerantiam inuitet? *Veni in hortum meum, soror mea Sponsa*, dicit. Ad horti mei gratas amœnitates te euoco.

Gilbertus Serm. 40. in Cant. dicit: *De craticula vocatur ad hortum, & dum in craticula erat, ab horto non aberat.* Ab ardente laborum, & persecutionum craticulâ (quæ est myrrha) vocata fuit Sponsa ad jucundum hortum, vt de ærumnâ vnâ transiret ad aliam, & de cruciatu hoc ad illum, & quam diu in his miserijs versata fuit, non exceſſit horto: *De craticula vocatur ad hortum, & dum in craticula erat, ab horto non aberat.* Non intelligo, quod dicitur. Si Sponsam dulcis

Sponsus inuitat ad pœnas, ad amaritudines, ac gelidam persecutionum hyemẽ quomodo dicit, vt ad amœnam horti stationem, & suauem ejus temperiem, apricamque mansionem veniat? *Veni in hortum meum.* Respondet Gilbertus. Quod Sponsa inuitata fuit ad hortum, & quod vocata, ad tolerandas passiones, hæc idẽ sunt. Quod illi propinatus calix pœnarũ, perinde est, ac si ad gloriam vocata fuisset. Quod illi persecutiones oblatæ, tantundem est, quàntum quod inuitata fuit ad hortum. Nam qui sunt maximè synceri serui Dei, qui illius patiendi veram, integerrimamque cupiditatem imitari prorsùm student, non solùm magnâ voluntate excipiunt labores, & ferunt persecutiones, sed etiam inter virentia horsecutiones amœna versari æstimant, cùm aduerti amœna versari æstimant, cùm aduersa tolerant, eodemque loco habent subjacere infirmitatibus, & morari in gratis viridarij delitijs. Itaque Sponsa *dum in craticula erat, ab horto non aberat,* & inter aculeatas probrorum spinas non secùs ac intra viridantes arbores degebat, amaraque myrrha illi nectare, vel saccharo dulcior erat.

Myrrha ærumnarũ typus.

Nonne id luculentè, & præclarè dixit insignis noster Cordubensis Philosophus, cum ait: *Quid est præcipuum?* quid potissimum, quid præstantissimum in tolerantiâ ærumnarum? *Posse læto animo aduersa tolerare, quicquid acciderit, sic ferre, quasi tibi volueris accidere. Flere, queri, ingemere, desciscere est.* Ita Seneca in præfat. ad lib. natural. qq. Quod excellentissimum patientia habet, illud est, vt hoc à se obtineat, qui in ærumnis miseram degit vitam, vt hilari animo aduersa ferat, lætoque vultu, cum risu ea excipiat, & omnem infelicitatem & calamitatem tam gratanter admittat, ac si ipse sibi eam expetijsset, & accersijsset. Hoc est præcipuum patientiæ insigne, nam qui sub onere ingemiscit, qui plorat, & querulus est, næ ille supremæ philosophiæ partibus, & scholæ, quæ rectè, & generosè patiendi disciplinam tradit, obligationi minimè satisfacit.

Patientiæ præcipuũ opus, lætãter ferre aduersa.

Hoc absque dubio docere voluit cælestis Magister, quando nos exhortatus fuit ad excipiendam humeris nostris crucem euangelicam, ita inquiens: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me,* Luc. 9. v. 23.

Doctus P. Didacus Stella pressit ista: *Tollat crucem suam;* & sic dicit: *Expende, quod non dicit, ferat, sed tollat. Ponit differentiam Basilius inter ferre crucem, & tollere, quia ferre crucem, est labores à Deo delatos vel æquo, vel iniquo animo ferre, sed tollere est animo læto, & auidò non solùm accipere, sed rapere crucem, libenter & gratanter.*

Qui ergo monuit crucem tollere, voluit vt eam amanter, & beneuolenter amplecteremur, & auidis manibus cupidè raperemus, promptisque humeris, & sereno vultu exciperemus, hoc enim est inclytissimum, insignitissimumque, & maximè heroicum patientiæ facinus, *rapere crucem libenter, & gratanter.*

Id nobis consulit acerrimus noster defensor, & illustris pugil in suâ catholicâ epistolâ, dicens: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in varias tentationes incideritis.* Iacobi 1. v. 2. velut dixisset: Hanc supremam animi voluptatem reputate, cùm tentationibus vexari contigerit, cùm ærumnarum pro Dei honore tolerandarum occasiones sese obtulerint.

Gilbertus serm. 32. in Cant. monet aduertere, quod Apostolus non dixit, *omnem patientiam existimate,* sed *omne gaudium.* Quamobrem istud? *Quia minus est, quod dolore excluditur, quàm quo lætitia suadetur,* inquit venerabilis ille Pater. Patientia in aduersis fugat ex animo Christiani & excludit dolorem, & cruciatum, quem tormenta, persecutiones, calumniæ illi adferre possunt: Verũ ad eum modum non viderur homo peruenire in illam celsitudinem gaudij, & exultationis inter ærumnarum tolerantiam. Dicit ergo nunc Apostolus, cum in plures, diuersasque miserias prolapsi fueritis,

eritis, *omne gaudium existimate*, quia non solùm volo vos patientes; sed etiam hilares, & lætabundos, quia opto vobis, quod præcipuum, quod præstantissimum patientia habere potest, vt non solùm volentes, verùm etiam gaudentes feratis ærumnas.

Propterea dixit Christus: *Diligite inimicos vestros*, Matth. 5. v. 44. In quæ verba valde benè disseruit hæres spiritus S. Bernardi, & Zelosi huius Eliæ Eliseus Gilbertus serm, 32 in Cant. dicens: *Inimicos non tolerare, sed amare jubetur Sponsa Christi*. Tolerare inimicum, ferre persecutorem est actus conformitatis cum voluntate diuinâ, in quo satis capacitatis est ad meritum, atque vt Deo placeat, qui hoc facit. Verum diligere, & amare illos multò ampliorem merito cãpum aperit, nam qui diligit, & amat, idẽ magnâ voluntate, multaque cum voluptate, gaudens, lætusque hoc agit. Propterea Dominus præcipit, non solùm patientèr ferre, sed etiam flagrantèr amare inimicos. *Diligere inimicos, Inimicos non modo tolerare sed amare, jubetur Sponsa Christi* Sic qui ad excellentissimũ meritum vult peruenire, illi non debet satis esse, conformasse voluntatem suam cum diuinâ inter ærumnas, sed debet porrò vltrà conniti, vt hilaritèr etiam, lætantèrque aduersa excipiat.

CAPVT V.

Innocentia maximè nuda nunquàm timuit malitiam obarmatam.

Dignum admiratione est, & expensione, quod pauper Religiosus, omnibus mundanis præsidijs destitutus, occurrit tam potenti monarchæ, quàm erat Iulianus, qui ardente irâ, & magno furore obarmatus erat. *Processit obuiam illi*. At si consideramus inexpugnabilem virtutis potentiam, inuictumque, & insuperabile innocentiæ robur, omnis mox excidet scrupulus, & cessabit admiratio. Nam iustus est animosus leo, qui robustum pectus chalybeo mucroni acuti venabuli intrepidus obiicit, de quo Prou. 30. v. 30. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum*. Quod si Basilius leo erat armatus innocentiâ, cur metueret vestitum malitiâ Imperatorem?

Ingens ostentum dicit Ioannes vidisse in illâ superiore gloriæ patriâ inquiens: *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole*; Apoc. 12 v. 1. Quod ea mulier sensu literali referat Ecclesiam communis opinio, & constans sententia est Andreæ Cæsariensis, Bedæ, Primasij, Cælij Pannonij, Richardi, Ruperti, Methodij. Nunc in considerationem vocandum nomen, quo dilectus Discipulus donat Ecclesiam, vocans *Signum magnum*. Ecclesiæ signum magnum. Hoc vocabulum *Signum* propriè significat scopum, in quem collineant iaculatores. Et hoc sensu etiam de recens nato cœlorum Infante dictum est Lucæ 2. v. 43. *Positus est in signum, cui contradicetur*. Hic puer, aiebat Simeon senecio, erit perpetuus scopus, in quem blasphemæ inimicorum ejus linguæ collimabunt Hoc ita constituto, quæritur nunc, cur Ecclesiam vocet signum magnum, si scopus est, in quem jacula sua dirigent omnes, quotquot habet hostes? Nam vt eruditus Apocalypseos interpres Viegas in c. 12. Apoc. comm. 1. sect. 2. num. 4. aduertit, *scopus exiguus esse solet, vt difficile sit illum attingere*. At si vulgò paruus est scopus, vt difficilè attingant. qui appetunt, quomodo Ecclesia tam ingens est signum, vt Ioannes in terrâ positus videre in sublimi cœlo potuerit? *Signum magnum*.

Hanc difficultatem diluo ipsâ nostrâ assertione, & dico, Ecclesiam ob hoc ipsum esse signum magnum, & tantum, vt in cœlo positum videri possit ab his, qui sunt in terrâ, quod sit scopus, in quam perfidi aduersarij collineant, totque blasphemiarum sagittas, & injuriarum spicula explodunt: *Signum magnum apparuit in cælo*, nam cùm Ecclesia sit conuestita innocentiâ *vestita sole*; propterea exponi-

ponitur patens, & magna, vt quæ non timeat jaculum, neque metuat sagittam, eò quod infirma malitiæ manus eam ejaculetur. Innocentia quippe nuda se tutatur, & manifestam se exhibet, ideò ingens & vastus scopus debet esse, cùm etiam leonis spiritus, ac vires habeat, & tyrannus, qui illam persequitur, quantumvis armatus malitiâ, ceruo timidior sit, & lepore meticulosior.

Cùm strenuus ille patientiæ martyr Iob loqueretur de ictibus, quos illi ferox hostis intentabat, sic ajebat: *Posuit me sibi quasi in signum*; Iob 16. v. 13.

S. Gregorius lib. 23. Moral. c. 16. ait: *Idcircò signum ponitur, vt sagittarum emissione feriatur*. Finis, ob quem scopus in pariete, aut aliâ commodâ, & opportunâ parte ponitur, is est, vt sagittarum chalybeis mucronibus, earum jactibus sit expositus. At si hâc intentione scopus constituitur, quare Dominus voluit, vt sanctus patriarcha Iob esset scopus tot jactuum, signum tot sagittarum, quas in illum tot conjuratæ hostium phalanges direxerunt? *Posuit me quasi signum*. Causa ea est, quam Dominus indicat, cùm serui sui fidelitatem, & integritatem ita deprædicat: *Erat vir simplex, & rectus, ac timens Deum*; Iob. 1. & 2. c. nec habebat in terra quemquam, qui cum ipso de sanctitate certare posset, quod ipsi aduersario Deus dicebat, inquiens, *quòd non sit ei similis in terra*. Cùm ergo Iob nudus jaceret in fimeto, inermis in sterquilinio, sed innocens, candidus, simplex, sceleris purus, sit scopus, inquit Dominus, sagittarum hostis, dirigat in illum inimicus pro iræ suæ arbitratu spicula, totam in illum euacuet suam pharetram, quia Iob, tametsi nudus, non subtrahet vultum, non auertet faciem, eò quod simplex sit, ac rectus. Quo magis simplex & nudus, eò magis rectus, minusque declinat ictus, aut subducit se spiculorum ictibus. Innocentia quippe maximè nuda nunquàm timuit malitiam quantumvis armatam.

Ecclesiæ signum magnum.

Iob nudus non timuit dæmoné malitia armatum.

Innocentia nuda armatam malitiam non timet.

Benè hunc scopum tetigit venerabilis P. Simon de Cassia, quando animo illius obseruatus fuit innocens Agnus, factus sanguinariorum luporum scopus, isque è cruce pendulus, in quo annotauit mysticum modum, quo mori elegit. Modus ille fuit, quod in monte, & in loco montis editiore oblongum lignum erigi, & in eo, tanquàm innoxia victima suspendi voluit. Hîc nunc dicere possumus illud decrepiti Simeonis: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur*. Nunquàm certè magis expositus fuit blasphemiis, & iniurijs, quàm eâ occasione, cùm in cruce positus, quando omnes illum persequebantur, & blasphemijs dehonestabant, cùm deberent magis in extremo mortis agone constitutum consolari. Vnus latronum, quem à latere habebat, calumniabatur eius potentiam. Scribæ, & Pharisæi sannas in illum jactabant, milites mille indignis modis illudebant, *& prætereuntes blasphemabant eum mouentes capita sua*. At qui scopus erat, qui tot blasphemorum hostium aculeatas linguas meritò timere poterat, quem locum elegit, vbi blasphemiarum sagittis, ac tot improperiorum spiculis impeti posset? *Totus patefactus in aere exspirauit*; inquit Simon de Cassia lib. 13. in Euangelia. Itane verò totus patefactus, nudus, deopertus! Innumeri erant, qui in illum collimabant, & sua spicula dirigebant, & totus patens, detectusque pendebat in aëre! Immò verò. Nam qui patiebatur, erat agnus sine maculâ; & tam intaminatus, vt maculas totius mundi elueret, ipsissima innocentia erat. At si innocentia erat, quid miramur, quod non fugerit jactus, sed magis se exposuerit sagittis, idque deopertus, prorsumque nudus, quia innocentia, etiam quando maximè nuda, nunquàm timuit malitiâ, quantiscunque armis munitam.

Capvt VI.

Vti potestate ad opprimendum, est malorum, & vilium hominum, vertere autem illam ad benefaciendum, est optimarum, & primariorum, siue præcipuorum Dei seruorum.

CVm primùm Aquila Phœnici, Julianus inquam, Basilio occurrit, talibus illum verbis salutauit: *In philosophia ego te excello, Basili*. Refert S. Amphilochius in vitâ Basilij. Quàm proprius agendi modus tyrannorum, vilium Principum, abjectorum Prælatorum, vti potentiâ ad obscurandum inferiores, vertere superiorem autoritatem suam ad imminuendum existimationem subditorum. Sed hæc in Iuliano nihil miròr, quoniam Imperator erat, quem dæmonis studium, solicitudo, & procuratio ad hoc fastigium extulerat: *Quò te impij, & infesti dæmones pertraxerunt*. Hoc enim intercedit discrimen inter Superiores, quos Deus constituit, & eos, quos malus dæmō suâ negotiatione promouit, quod hi, vti viles, & abiecti, vtantur autoritate suâ ad opprimendum, illi verò sicut generosi,& nobiles, ad exaltandum.

Vsus potestatis ostendit qualis quisque sit Prælatꝰ

Non hoc dissimulauit Propheta regius, cùm ait: *Confiteantur nomini tuo magno; quoniam terribile, & sanctum est, & honor Regis judicium diligit. Tu parasti directiones judicium, & justitiam in Iacob tu fecisti*. Ps. 98· vv. 3. 4. Alia litera ex Hebræo, sic habet: *Fortitudo Regis judicium dilexit*.

Cardinalis Cajetanus in hæc verba sic dicit. *Benè nota, scribi, quod potentia Regis dilexit non facere, quod vult, sed judicium, sed jus dicere* Sed cur hoc de supremo Rege dicitur? Respondet Cajetanus: *Vt intelligas, Deum regem poni in exemplū aliorū regū, ut pote qui dilexit facere non quod potuit, nō quod voluit, sed quod jus exigit*. De supremo Rege dicitur, quod amat justitiam, delectatur recto ordine, amplectitur æquitatem, ut hinc exēplum capiant omnes Reges, monstrentq; se ab ipso constitutos, ut quemadmodùm ille, teste Propheta, non quidquid potuit, & voluit, fecit, sed amavit justitiam, sic ipsi etiam non abutantur potestate, ac dominatu suo ad faciendum omnia pro suâ libidine, ad obruendum, & opprimendum, sed ad infrænandos seipsos, ad moderandam suam gubernandi rationem, ut ament justitiam, disponant omnia ex æquo, amplectātur judicium, & discretionem in omnibus.

Deus non quod vult, aut potest, sed quod jus exigit, facit.

Prælati nō pro sua libidine, sed pro æquo, & bono omnia faciant.

Et huc respiciens Propheta regius, qui hoc supremum rectè gubernandi exemplum frequenter ob oculos habüerat, & paribus moribus exprimere studuerat, ajebat: *Fortitudinem meam ad te custodiam*; Ps. 58. v. 10. Quid est fortitudinem suam, majestatem suam ad Deum custodire? Dicat hoc doctus Interpres S. Lucæ Stella, qui in c. illius 9. sic dilucidat: *Non ad inimicos meos debellandos; sed ad te placandum* seruabo fortitudinem meam. Potentiâ meâ utar Domine, non ad obruendos filios Saulis hostis mei, non ad conterendos illius cognatos, & alios, qui illius tempore me sunt persecuti, immò verò omnis cura mea eò tendet, ut multis cum lachrymis scelerum veniam illis à te exobsecrem. Ex hoc enim intelligetur, quod sum Rex per te constitutus, cùm potestatem meam vertero non ad faciendā vindictā, sed ad exercendā pietatem. Superiores, qui verè à Deo habēt, quod præsūt & imperāt, ex virgâ baculum faciunt, qui diaboli partes sectantur, ex baculo virgam.

Dauid potestate sua non abutebatur.

Prælati boni ex virga, baculum faciunt, mali ex baculo virgam.

Quod lux omnium anteriorum sæculorum votis, ac suspirijs ardentissimè expetita, ex clarissimo Oriente orta sit, Christus, inquam, ex Mariâ natus, quo tempore Octauianus Augustus multâ cum pace gubernacula Imperij moderabatur, id catholica chronologia, & fides habet. *Exijt nimirum edictum à Cæsare Augusto*, quo tempore à partu proximè aberat Virgo mater.

Octauiani Augusti tempore cur natus Christus.

Quæri potest causa, ob quam Verbum æter-

æternum tanto honore voluerit nobilitare ætatem istius Imperatoris, ut eam desideratissimæ suæ natiuitati seruauerit, & designauerit. Quibus virtutibus ornatus fuit hic Cæsar, vt tam inexplicabilis fauor exhiberetur eo tẽpore, quo ipse imperabat? Si diuinarum gubernationum, & dispositionum rationem inuenire aliquam humanum potest judicium, inter multas causas, quæ Deum mouere potuerunt, hæc nunc occurrit instituto nostro commoda, quod nempè iste Imperator unâ maximè virtute excelluit, quam Deus suâ nativitate, in illius ætatem seruatâ remunerare voluit. De illo ait Cornelius Tacitus lib. 2. Annalium: *Neque hæreditatem cujusquam adijt, nisi cùm amicitia meruisset.* Inter alia multa laude digna, quibus magnus Augustus nobilitatus fuit, unum illud, idque Taciti censurâ, & opinione præcipuum fuit, quod unquàm usus absolutâ suâ majestate ad inuadenda subditorum hæreditaria bona, aut facultates sibi usurpandas. Nihil per vim, nihil tumultuosè, nihil ab inuitis, aut parum volentibus extorsit, nihil tam placuit, quod expeteret, si non bonis modis obtinere potuit: *Neque hæreditatem cuiusquã adijt, nisi cùm amicitia meruisset.* Vt ergo Dominus ostenderet, quàm amaret, gratosque haberet tales Prælatos, qui tam moderatè, temperanterque utuntur suâ potentiâ, ut non inuadant, non infestent, non premant subditos, sed quando necessum est suam ostentare autoritatem, id faciunt ut patres, beneuolentesque, & humanos, ac blandos sese offerunt: Propterea Deus homo factus nasci voluit tempore Imperatoris, qui tantâ cum mansuetudine utebatur alienis supellectilibus, facultatibus, patrimonijs, ut nihil acciperet, quod non alius perlibenter daret, & neque ab arbore pomum, nec vuam è vite inuiti decerperet: *Neque hæreditatem euiusquã adijt, nisi cùm amicitia meruisset.*

Octauianus Augustus potestate sua moderatè vsus,

Appositè ad rem præsentem dixit Gentium Doctor 2. Cor. 10. v. 7. *Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se*; ac si apertiùs dixisset: Si cujus ea est fiducia, ut sibi persuasum habeat, se partes Christi sectari, is rem hanc attentè, ac diligenter iterùm, iterumq; ad considerationis trutinam reuocet. De quibus sacer Doctor ibi loquebatur? De Prælatis, ut videtur, & superioribus, mox enim subdit: *Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem, non erubescam.*

S. Ioannes Chrysostomus hom. 22. in 2. Cor. expendit hoc, quod Apostolus ait, accepisse potestatem *in ædificationem, non in destructionem*, ità differens: *Ergo ad hoc potentiam accipimus, ut ædificemus.* Dicit nunc Apostolus: *Si quis confidit sibi, Christi se esse, hoc cogitet iterùm apud se*, hoc est, si quis existimet se Prælatum esse, qui partes Christi sequatur, modumque illius agendi imitetur, oculos ad eam rem probè dispiciendam vertat, nisi enim faciat, quod nos Apostoli facimus, potestatemq; suam ad erigendum, ad ædificandum adhibeat, sciat se non esse Iesu Christi, nec qualem ille vult Superiorem, sed Prælatum abjectum, vilem, indignum, Superiorem, inquam, se quacem dæmonis, qui baculum vertit in virgam, quâ cædat, quâ dehonestet, affligat, & infamet subditos.

Prælati nõ rectè vtẽtes potestate, non sunt ex Deo.

Congruent hæc cum eo, quod annotauit Hugo Cardinalis in verbis Prophetæ regij, quibus ingrati populi rusticos, & agrestes mores perstringit dicens: *Et obliti sunt benefactorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis*; Ps. 77. v. 11.

Duas res in his verbis notavit Hugo, quæ Propheta conjunxit, nempè *Benefactorum, & Mirabilium*, dicens: *Hæc duo benè in Christo junguntur, quia eius opera erant beneficia simul & mirabilia. Antichristus enim, & sui faciunt mirabilia, sed non benefacta.* Singulare mysterium habet, quod regius propheta in supremo Rege Deo junxit, & velut contexuit hæc duo, *mirabilia, & benefacta.* In mirabilibus cõsistit magnitudo, potentia, majestas

jeſtas, in benefactis, & beneficijs bonitas, & nobilitas : Præclarè hæc duo junguntur in Chriſto, omnibusque illius ſequacibus, nimirùm, poteſtas, & bonitas, imperium, & liberalitas, admodùm enim proprium eſt Chriſti, & eorum quos ille inaugurauit Prælatos, uti virgâ, & Prælaturâ ad conferendum honores, & beneficia, ad fugandum ſubditorum inopiam, & depellendum inſanam, & conciliandum illis præclaram exiſtimationem. Non ſit Antichriſtus, & quos ille à ſe habet, qui faciunt, & facient mirabilia, qui valent, & valebunt poteſtate permiſſu Dei ipſis conceſſâ, ſed ea omnia ad deſtruendum, non ad ædificandum, ad opprimendum, non ad exaltandum vertunt. Hi viles, & ſordidi homines ſunt, qui virgâ ſuæ poteſtatis ad feriendum, vulnerandumque inualidum ſubditum abutuntur? & ad euertendum, deijciendumque miſerum, quem ſublevare deberent.

Quàm accommodatè ad hanc rem occurrit id, quod poſt triumphalem reſurrectionem ſuam victor Dominus diſcipulis ſuis dixit, inquiens : *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*; Matth. 28. v. 18. ac ſi alijs verbis dixiſſet : Sub voluntatis meæ claue habeo, quidquid cœlum continet, ac terra. Et quid inde ; *Euntes ergo docete omnes Gentes, Baptizantes eos* &c. ibid. v. 19. Notate conſequentiam Domini, quam ex antecedente poteſtatis conficit. *Data eſt mihi omnis poteſtas, ergo docete, Baptizate*, ergo viam monſtrate cœlorum, ergo piacularibus aquis luſtrate, & expiate animas peccatis fœdatas. Hac re indicare Dominus voluit, quod ille dat bonas boni, veri, & legitimi Prælati *præmiſſas*, qui ex *antecedente* poteſtatis, & authoritatis infert *conſequentiam* benefaciendi, honorandi, non opprimendi. *Benefactorum, & mirabilium eius.* Totus hic diſcurſus eſt doctiſſimi, & eruditiſſimi Nouarini in c. 28. Matth. n. 584. ubi habet iſta. *Quis verborum nexus, quæ conſecutio iſta eſt*, Data eſt mihi omnis poteſtas, ergo docete omnes gentes? *Injuriarum memor dixiſſet ; Poteſtas mihi data eſt, ergo pœnas luent, qui in me ſæuierat. Non dixit illud Chriſtus injuriarum oblitus quærit omnium ſalutem.*

Prælatus bonus ex Præmiſſis poteſtatis infert cōſequentiam bene. faciendi

Hinc Seneca arguere voluit, quàm magno animo, & generosâ indole eſſet frater Polybij, qui Imperatori intimus gratiâ plurimùm apud illum valebat. Mortuus fuerat inſignis, & præclarus hic juuenis, atque ut Polybium ex tam amaro ſucceſſu pertriſtem conſolaretur, ajebat Seneca : *Nemo potentiam eius injuria ſenſit, nunqam ille te fratrem ulli minatus eſt.* Hæc ille de Conſolat. ad Polybium, ac ſi dixiſſet : Gloriari potes perdidiſſe fratrem, cujus laudabilis fama erit æterna, nec enim quiſquam fuit, ad cujus offenſionem ille autoritate ſuâ uſus aliquando fuerit, ſed neque tuam fratris ſui potentiam ulli unquàm intentauit. *Nunquàm ille te fratrem ulli minatus eſt* (expoſuit Lipſius) *vt diceret, fratri referam, & frater hoc vindicabit.* Hoc generoſorum hominum, hoc ſummo, honeſtoque loco natorum proprium eſt, non uti poteſtate, autoritate, gratiâ ad infamandum, opprimendum, deijciendum, ſed ad honorandum, ad ſubleuandum, & benefaciendum, ut è contra vilium, & ſordidorum proprium eſt, quod ſint ſcopuli, cùm deberent eſſe portus, & quod in vicem baculorum ſint virgæ, & recordentur veterum injuriarum, cùm ſũt in officijs. Quicunq; autẽ hoc faciũt, quãtiuis ſuperiores ſint, malè nati officijs ſũt, ſordidi ſunt deſpicabiles, & in infimæ plebeculæ ordinẽ meritò abjiciendi.

CAPVT VII.

Sunt quidam tam ſtulte præſumptuoſi, ut ſi quis eis honor gratis deferatur, omnia ſibi ex toto iuſtitiæ rigore debita exiſtimet.

VIlis aſſentatio Principi apoſtatæ magni philoſophi nomen in mundo excitauerat. Dedit illi adulatio gratuitum titulum benè verſatim in philoſophiâ, & de tam-

de tam sublimi appellatione jam præsumens eam sibi jure debitam, incomparabiliter doctum, alterum Aristotelem se existimare cœpit, & qui in philosophicis disciplinis post se longis intervallis relinqueret philosophorum illius temporis maximum, Basilium, cui proinde jactanter dicebat: *In philosophia ego te excello Basili.* Sunt nempè quidam homines tam fatuè præsumptuosi, ut si quem eis honorem gratuitò exhibeas, aut præclariore aliquo titulo, quem non commeruerint, assenteris, statim existiment, jure sibi talia deferri, virtutibusque, & meritis, ac dotibus esse debita.

Ambitiosi honores gratis oblatos, jure sibi debitos putāt.

Semper mihi dubia fuit ratio, ob quam Saul tantùm tam præcipitàter concipere potuerit odium aduersùs Dauidem ex eo, quod mulieres Hebrææ illi ex percusso, de triumphatoque Philisthæo redeunti per choros præcinuerūt: *Percussit Saul mille, & Dauid decem millia*; 1.Reg.18 7. Vix insonuerunt illæ modulantium fœminarum voces, quando simul per aures in animum eius insinuarūt, & in mortale venum sunt conuersæ. Hoc ita expressit sacer Historicus: *Iratus est autem Saul nimis & displicuit in oculis eius sermo iste, dixitque: Dauid dederunt decem millia, & mihi mille dederunt*; ibid. v. 8. ac si dixisset: Impudentiam, & licentiam hac majorem nullam unquàm audivit mundus, quod in distributione eorum, qui in bello sunt prostrati, Dauidi decem millia adscripserunt, mihi autem solùm mille annumerarunt. Hoc loco notari potest stultum Saulis arbitrium, nam si rem benè dispicias, inuenies, Dauidem longè infrà merita sua collaudàtum, adeò injuriam passum, nec enim solùm decem millia, sed multò plures Philisthæorum trucidauit, & quod Goliath gigantem capite minuit, eā cæde vitam plurimorum Israëlitarum sospitavit, nam si gigas non occubuisset, insolentes, arrogantesque Philisthæi ignauos, & meticulosos Hebræos aggressi, plurimas in eorum vecordibus castris strages, & cædes edidissent. Obseruauit hoc P. Caspar Sanchez hìc dicens. *Immò & aliquid majus cantare de Dauid jure poterant optimo puellæ psaltriæ.* Secundùm hæc quid stomacum Sauli mouit, quandoquidem nulla victoriæ hujus pars ad illum pertineret, adeòque nec laus aliqua ob eam obtentam deberetur, ut irrogatam sibi injuriam ab his quereretur, quæ istum cantu celebrauerant triumphum, & illi mille occisos gratuitò adscripserunt? Mille trucidatos illi gratis concesserunt: *Percussit Saul mille*; & lamentabiliter expostulat! Quæ tantarum causa vociferationum, & querimoniarum? Illa, quam hìc tractamus, honor scilicet immeritus, quo illum ornārunt, cùm dixerunt, percussisse mille, qui neque gladium vaginā exemerat, sed ignauus, & timidus in suo tentorio abstrusus delituerat, & absconditus, & nunc arroganter præsumebat, sibi magno jure debitum triumphum, sibi omnem meritò adscribēdam victoriam, & sibi plurimam, eamque insignitam, & indignam & qualis Regum aliorum nemini, illatam injuriam, quod alterius hanc orbem laudes celebratæ, alterius manibus palma oblata, alterius tempora lauro redimata. Hæc est S. Ioannis Chrysostomi commemoratio, qui homil. 46. in Gen. sic habet. *Postquàm vidit justum hunc tanta gloria celebrari, non ferens quæ de hoc dicebantur, quamuis iuxtà rationē justam ei magis tribuerant, quàm Dauid, victus inuidia benefactori malum rependit.* Pulchrè animaduersum, & expensum. Dauid offensam ex eā acclamatione acceperat quia ex illius triumpho mille homines subtraxerant, eosque Sauli adscripserant, neq; Saul vel minimum merebatur plausum, Dauid namque solus totam obtinuerat victoriam. Vnde ergo illa Saulis nata querimonia? Inde quod illi gratis fuit delata gloria. Sunt etenim homines tam vanè præsumptuosi, ut assentationes excipiant, tanquam pignora veritatis, & gratiam arbitrentur justitiam, & se meritos putēt esse, quod pro sola urbanitate deferunt. Si quid horum, quæ gratuitò fuerunt indulta, adimatur, tanquàm honore debito, & fortu-

Sauli cur displicuit plausus, quem Dauidi mulieres fecerunt.

Dauidi mulieres psaltriæ minus debito tribuerunt.

Sauli parū gloria gratis oblatā fecit vt omnem gloriam sibi debitam putarit.

fortunis suis fraudati essent, offenduntur.

Antequàm Christus in cœlestem patriam ascendisset, interrogarunt illum postoli tale quidpiam: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. 1. v. 6. De quonam regno hæc intelligi debent? Abulensis q. 24. in c. 10. Matthæi tale fuit, quòd sciscitati sunt Apostoli, quale si dixissent: *Reduces omnes duodecim Tribus in locum vnum*, vt quæ per mundum sunt dispersæ, in hanc terram, in quâ nos degimus, adducantur? sed quare hoc interrogarunt? *Quia quanquàm omnes duodecim crederent se futuros Principes, quilibet tamen eorum desiderabat esse maximus, & ideò sæpè contendebant inter se, quis eorum videretur esse major.* Credebant Apostoli se futuros Principes Israel s, eamque ob rem sciscitabantur, quando tandem Hebræus populus ad regnum, & locum vnum esset adducendus, vt si ad hoc responderet Dominus, mox illud alterum interrogarent, quis eorum principatum supremũ obtenturus, & administraturus esset: *Quilibet eorum desiderabat esse maximus.* Vnde illis tam sublimis spes, & tam insolentia desideria? Et qui nam illi erant supremi imperij prensatores? Duodecim pauperes mendiculi, & egeni, quos à laceris retibus, & vilibus nauiculis ad principatum Dominus vocauerat. At si hic principatus, quem sibi imaginabantur, & prensabant, perquàm gratuitò fuit datus, & nullo jure ad eos pertinebat, quare toties contendebant, & corrixabantur, quis eorum primas obtenturus, & major futurus esset? *sæpe contendebant inter se, quis eorum videretur esse major*, Causa est, quam diximus, quia sunt quidã homines talis indolis, & ingenij, vt si quid eis ex gratiâ, vel vrbanitate concedas, statim existiment, hoc ipsum, & multò ampliùs sibi jure optimo debitum.

Apostoli etiam aliquando in ijs fuerũt, qui gratuitos honores putarunt sibi debitos.

Quàm pulchram commodamque præsenti rei vobis dabo insignis nostri Cordubensis Senecæ sententiam ex epist. 59. quæ talis est. *Illud præcipuè impedit, quod citò nobis placemus. Si inuenimus, qui nos viros bonos dicat, qui prudentes, qui sanctos, agnoscimus. Nec sumus modicâ laudatione contenti, quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquàm debitum prẽdimus, optimos nos esse, sapientissimos affirmantibus, assentimur.* In his notate ista: *Quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tanquàm debitum prendimus.* Si quid laudis cuipiam siue per assentationem, siue per jocum, aut ludibrium tribuatur, si quid honoris deferatur, statim verba eorum, qui tribuunt laudem, vel deferunt honorem, arripit, debitumq; putat, quod est gratis concessum. *Tanquàm debitum prendimus.*

Ambitiosi tanquam debitum prehendũt quod adulatio in illos sine pudore congerit.

Non est nouum in sacris literis, quod nomine Deorum nobilitentur homines. *Ego dixi, Dij estis*, Ps. 81. v. 6. Videamus nunc quid Gentium Apostolus dicat, cũ loquitur de Antichristo, qui toties peccatori, appellatione designatur. *Qui aduersatur, & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur* inquit 2. Thessal. 2. v. 4. ac si dixisset; Immanis ambitio, & sacrilegus ausus filij perditionis eò procedet, vt se efferat suprà omne, quod Dei nomen, venerationemque habet,

Expendit in his S. Gregorius, quod Paulus dicit, non quod Antichristus vocabitur Deus, sed quod extollet se supra id, quod dicitur Deus: *Super ipsius potentiam diuinitatis se extollit, per exactum sibi nomen gloriæ, & hoc quod dicitur Deus, & hoc, quod Deus colitur, transire conatur*, inquit ille lib. 29. Moral. c. 6. Hinc arbitrari licet fatui arrogantis præsumptionem, & istius hominum pessimi elationem, quod quando ex speciali gratiâ, & fauore hoc illi insignitum honoris insigne conceditur, ut vocetur Deus, non modò non est cõtentus eâ appellatione, verùm etiam *extollitur suprà omne, quod dicitur Deus, & transire conatur.* Denique homines quidam sunt, quibus neque gratuitò neq; pro urbanitate, neque assentandi studio, neque joco possit tribui titulus, honor, siue locus. Nam qui vix primulas philosophiæ Summulas

deli-

delibare cœpit, si eum philosophum pro solâ ciuilitate voces, jam plus quàm Doctor præsumit. Si quem Centurionem, siue Capitaneum pro solâ comitate nomines, jam se dignum reputat, qui Chiliarcham, aut Supremum copiarum ductorem in Belgio agat. Si quem urbanè Dominationis titulo dones, tametsi dominatum nullibi quêquam habeat, Excellentiæ nomine honorari ob hoc ipsum appetit. Si quem venustulum, ac decente, eleganteque formâ præditum dicas, quanquàm Thersites sit, & hominum fœdissimus, tanquàm Narcisus quidam sui amore captus sibi blanditur. Et si cuipiam, qui è superiore loco vel mediocriter Dei verbum anunciauit, hoc nomine gratis, gratuleris, jam se arte dicendi Chrysostomo, vel Chrysologo parem existimat, jam se ad Nyssenum eloquentiâ, grauitate, & efficacitate ad Basilium accedere autumat.

CAPVT VIII.

Summa, & maxima laus est, summis, & maximis summè antecellere.

Magnitudo parua illius, qui tantùm paruis excellit.

QVàm vanè præsumit, quàm stultè euanescit, qui inter indoctos suam effert eruditionem, inter pauperes suam extollit opulentiam, inter inualidos, & imbecilles suâ jactat fortitudinem, inter pygmæos giganteâ suâ gloriatur staturâ! Ille nimirùm veram magnitudinis laudem promeretur, qui inter magnos eminet, qui fortissimorum robustior est, & sapiêtissimorum doctior, & summos quosque supergreditur.

Vult diuinus Scriptor deprædicare rerum copias earum quibus Iob, illustre patientiæ speculum, & specimen circumfluxit, antequàm ex venerando regiæ majestatis solio in sterquilinium dejectus fuit, & sic ait: *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*, Iob 1. v. 3. neque latebat, sed omnibus nota, & perulgata erat copia familiæ, pecorum, diuitiarum, ac thesaurorum, quibus omnes magnis modis superabat.

S. Gregorius 1. Moral. c. 3. & 14. sic dicit: *Magnus non inter Occidentales, sed inter Orientales.* Cur verò Scriptura hoc speciatim notandum, & admonendū putauerit, quod Iob inter Orientales magnus fuit, non inter Occidentales?

Iob inter diuites opulentissimus.

Respondet beatissimus Interpres: *Orientales viros esse prædiuites, quis ignorat? Magnus verò inter Orientales extitit, ac si apertè diceretur, quia & diuitibus ditior fuit.* Res est, quam nemo ignorat, quod Orientales sunt homines omnium, quos mundus habet, locupletissimi, apud illos namque est emporium, in quod infertur, quidquid in reconditâ suorum viscerum officinâ Natura elaborat, ut per reliquū terrarum orbem diffundatur, ac distribuatur. Quod ergo sacræ literæ ajunt, magnum Patriarcham Iob fuisse magnum inter Orientales, non inter Occidentales, id fecit, ut diuitiarum illius magnitudinem amplificaret, & exaggeraret. *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales, ac si apertè diceretur, quia diuitibus ditior erat.* Esse diuitem inter Occidentales, qui erant pauperes, non magna laus fuisset, paucis enim opibus diuitias illorum tenues superare potuisset, verùm esse magnum, & opulentum inter magnos, & opulentos, id laudem meretur, & nomē magnitudinis conciliat.

Huc sine dubio respexit Propheta regius, quando de Verbo æterno loquens, ajebat: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis*, Ps. 44. v. 13. Quod hîc nomine *Vultus* significetur Christus, id constans sententia habet Basilij, Chrysostomi, Theodoreti, Euthymij, & aliorum. Sed diligenti consideratione expendendum, quod sacer Cantor ait, quod æterni Patris *vultum* Christum *deprecabuntur omnes diuites*, quod copiosi, & opulenti solo affusi á manibus Christi expetent gratiarum dona, & beneficia, *sed cur non pauperes deprecabuntur?* quærit Iacobus de Voragine serm. 42. de Quadrag. Cur non similiter dixit, quod egeni,

egeni,& mendiculi Verbo incarnato supplices tendent manus,ut earum necessitatibus suâ prolixitate subueniat? Respondet venerabilis Ianuensium Archiepiscopus, *ut Christi ostendatur potentia*,& omnipotens affluentia, idcircò dictum,quod *omnes diuites*, non pauperes *plebis* ad eum venturi essent. Hæc nimirùm insignita, & excellens opulentia est, esse tam copiosum, & abundantem,ut ditissimi, & locupletissimi, si cum illo conferantur, videantur pauperes, & tanquàm mendici ad illum veniant proni, & supplices. Nam inter pauperes, intèr mendicabula videri diuitem, & affluentem, tenuis laus est, & exile decus.

Quanquàm Dominus præceperat Sauli, ut omnes unâ occisione contrucidaret Amalecitas, & neque dignitati, neque sexui, neque ætati cuiquam parceret, dicens: *Interfice á viro usque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem*; 1.Reg.15. v.3. cùm hoc tam generale,& perspicuum edictum esset, nihilominùs abstinuit manus á Rege, cui primo loco inferre manus,necem que debuerat: *Et apprehendit Agag regem Amalec viuum*; ibid. v. 8. Cùm Dei præceptum tam absolutum, & uniuersale esset, quæri potest, cur soli Regi pepercerit Saul, qui cæteros omnes gladio interfecerat. Tostatus ex quorundam sententiâ respondet,hancSaulis præuaricationẽ ex insolentiâ, & jactantiâ fuisse natam, & seruatum ab illo Regem, ad suæpotentiæ,& majestatis ostentationem. Omnes trucidauit, soli Agag pepercit, quia cæteri subditi erant, Agag rex. Vt ergo magnam suam venditaret potentiam, Regis vitam sospitavit,quem victrice plantâ triumphator calcare posset. Hæc enim summa magnitudo, & maiestas est, esse Regem Regis, & in illum exercere dominatum, qui dominatus alijsfuerit. Audiamus Abulensem. *Fuit autem ista transgressio ex jactantiâ, ut quidam volunt, scilicet quia reseruauit Regem Amalec viuentem ad triumphum suum, quod ipse habebat quendam Regem vinctum in potestate suâ.* Hæc ille ante q. 1, & q. 17. in 1.Reg.c. 15. Nam ut omnipotens Deus ad ostensionem suæ magnitudinis vocatur *Rex regum, & dominus dominantium.* Apoc. 9. Ita Saul, ut supremum gloriæ fastigium attingeret, Regem viuum seruauit, *cùm enim viuum duceret, gloriabatur, quod haberet sub se unum Regem*, inquit rursum Abulensis q. illâ 17. Magnitudo enim, quæ supremæ nomen sibi est usurpatura, non meretur gloriosæ illius appellationis insigne, nisi altissimus cedros transcendat, & editissima culmina sublimitate suâ supergrediatur.

Saul ad jactantium seruauit Regem Amalecitarum.

Hac doctrinâ nisus cœlestis Sponsus dicebat dulcissimæ Sponsæ: *Odor unguentorum tuorum super omnia aromata*; Cant. 4. v. 10.

Gilbertus abbas Serm. 38. in Cant. dicit, ad amplificandam fragrantiam unguentorum Sponsæ, non potuisse excogitari magis breuem, & succinctam exaggerationem, quæque paucioribus verbis plura complectetur. S. Ioannes Chrysostomus in catenâ Græcâ Iob c. 2. ait: *Maximum est minores virtutis partes expleuisse, verùm multo majus est in eo, quod summum est, summè cunctis antecellere.* Quod ergo nunc Sponsus ajebat, quod odor unguentorum Sponsæ præstaret omnium aromatum odoribus, perinde fuit, ac si dixisset, fuisse pretiosissimum,& præstantissimum, adeòque sublimiorem laudem promeritum. Nec enim magna unguentorum ipsius odori laus debita fuisset, nisi fragrantiæ suæ vi, & magnitudine alia odorifera aromata transcêdisset, *Majus est in eo, quod summum est summè cunctis antecellere.*

Atque ut dissertatio nostra magis abundet suffragijs,audiamus laudes illiusPharisæi, quibus se suprà omnes magnificare, & extollere conatus fuit. *Non sum sicut cæteri hominum raptores, injusti, adulteri*, ajebat Lucæ 18. v. 11. ac si dixisset: Immortales tibi ago,quia debeo,gratias, immortalis Deus, quod non sum similis hominum aliorum, adulterorùm,furum, latronum, quod non sum ex fæce illâ & sentinâ, quam Mundi nauis intrà viscera

Gloria Pharisæi exigua, qui adulteris, & raptoribus tantùm melior videri cupiebat.

sua continet Gilbertus ubi suprà dicit: *Audi, præ quibus unctum se gloriatur.* Non animaduertitis, inter quos ambitiosus existimationis, & gloriæ cupidus Pharisæus nomen, opinionemque iusti affectat? *Non magna gloria, non super aromata, sed super sulphura caterorum.* Gloria Pharisæi indigna est eo nomine, neque laus ea meretur in veris laudibus numerari. Dicere enim, non sum similis adulterorum, grassatorum, hominum flagitiosorum, corruptissimorum, *non magna gloria.* Quale illud decus, & ornamentum? Nam si dicerem, quod Rosa florum imperatrix fragantiâ superaret ardentem picem, feruentem resinam, vel sulphur, cùm fumat, quænam ea commendatio esset, aut quid hinc gloriæ florum principi accederet? Tantundem Pharisæo accidit. *Non sum sicut cateri hominum, raptores, injusti, adulteri,* ajebat. *Redolet tamen super sulphura caterorum,* inquit Gilbertus. Quando maximè voluit se extollere, cumposuit se cum pice injusti, cum resinâ raptorum, cum sulphure adulterorum, ac propterea *non magna gloria,* nec alicujus momenti commendatio:

Ambitio misera ejus, qui solùm inter malos bonus vult censeri.

Nam inter peccatores velle obtinere nomen justi, inter malos affectare excellentiam probi, est misera ambitio, ac ignobilis arrogantia, sed ibi celsitudinis suæ basim cōstituere, ubi alij sua habent culmina & excelsissimorū fastigia vestigio suo notare, atq; inde sese erigere, & exurgere, ubi illi sua jam imposuerunt, fixeruntque cacumina, hæc ingens laus est, hic gloriosus titulus, & supremi nominis apex, plausumque omnem meretur, & singularis, incomparabilis famæ immortalem palmam. At ab eo, qui juxta resinam benè olet, & fragrantiâ nonnisi sulphur superat, abhorret vera fama, & cum nauseâ laus clara omnis fugit.

Iuliani sagax ambitio.

Hinc nunc agnoscemus sagacem apostatæ Iuliani arrogantiam, dum de scientiæ magnitudine concertare, non cum quouis, sed cū Magno Basilio voluit, dum Aquila cum Phoenice contendere de sapientiæ sublimitate cupit, quando ita præsidenter dicebat: *In philosophiâ ego te excello, Basili,* in oculis totius Mundi est magnitudo eruditionis, quâ tibi præsto. Quamobrem verò sapientiæ copiâ Basilium superare, & illum longis post se interuallis relinquere videri Iulianus optauit? Quia Basilius erat philosophorum quos illa ætas habebat, facile princeps, & eruditissimus. Nam vt Pierius Valerianus lib. 12. Hieroglyph. c. 8. habet, *Nazianzenus ait, Basilium philosophiæ latebras omnes penetrâsse,* nec quenquā fuisse tam abstrusū illius facultatis recessū, quem ille ingenij sui perspicacitate non collustrârit, ac peruiderit. Veteres finxerunt, quod validus Hercules spiculo confixerit cor Plutonis qui intra penitiora, & reconditiora terræ viscera degebat, ut eâ ingeniosâ fictione indicarent, vix esse aliquod tam obscurum, & obstrusum naturæ secretum, ad quod Philosophia non penetret. *Plutonis cor ab Herculeâ sagittâ vulneratū, hieroglyphicè significat, nullum esse tam abditum in rerum naturâ locum, quo non peruenerit Philosophia,* inquit Pierius. Talis Hercules, ait idem, fuit Basilius philosophiæ studiosus, qui acuto ingenij telo ad ipsum Philosophiæ cor penetrauit, & nihil fuit tam reconditum, quod non detexit, nihil tam intricatum, quod non euoluerit nihil tam secretum, quod ipsius lucubrationibus non fuerit deopertum, & promulgatum.

Basilius præstantissimus ætatis suæ philosophus.

At si Basilius tam excellens fuit philosophus, si in tam sublimem sapientiæ gradum prouectus, quid mirum, quod Iulianus apostata, vt sibi sapientiæ ingentem famam, & philosophiæ peritiæ celeberrimam existimationem conflaret, dixerit, se philosophiæ scientiâ Herculem sapientiæ superare? *In philosophiâ ego te excello, Basili;* volo enim magni philosophi nomen, & si effecero, vt Herculem sapientiæ vincere videar, nihil est, cur non sapientum maximus ab omnibus censear, & habear. Nam doctissimum eruditione superare, suprema laus est & maximorum majorem esse, maximum est elogium. Inter mulieres jactare fortitudinem,

nem, plusquàm muliebris ambitio est, inter rusticos velle videri urbanum, plusquàm rustica jactantia est, inter ignorantes ostentationem facere doctrinæ, sordidum factum est, & leonem inter lepores agere, vanissima superbia.

CAPVT IX.

Nunquàm erit felix Regni gubernatio, quando Reges affectant videri Philosophi, & Philosophi præsumunt videri Reges.

QVàm turpis fuit illa iactantia Iuliani, quâ se magnum philosophum venditauit, cùm Rex esset, tam mihi displiceret, si Basilius, cùm esset monachus, & contemplatiuæ vitæ quieti consecratus, se bellicosum militem, & potentem Imperatorem esse gloriaretur. Non inficior, quod Rex, Princeps, Imperator debeant esse sapientes, nam vulgatum illud Platonis, quod repetit Sinesius lib. de Regul. non aduersatur asserto nostro. Quod volo dicere, tale est quemque debere sibi honori ducere, sectari suum institutum, exercitium, & vocationem, vt Respublicæ benè gubernentur. Nam si regiminis fræna permutentur, & Grammatica Politica prætermittatur, vt sit actiua, quæ passiua esse deberet, & passiua, quam actiuam esse oporteret, hoc est, si centurionem tyro agat, tyronis locum Centurio teneat, si Rex belli tempore philosopum agat, & militem in otio pacis quis non dicat, hoc regimen esse meram confusionem, & certæ, magnæque ruinæ præsagium?

Officium quis q; sui curet.

Expendit S. Ambrosius ministeria Saræ, & Abrahæ, quæ obiuerunt, quando cælestes ad illos diuerterunt hospites. Hi postquàm comederant sciscitabantur Abraham istud: *Vbi est Sara Vxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est;* Gen. 18. v. 9.

Vbi repererunt Angeli Abraham, quando venerunt, vt illius diuersorium suo ingressu cohonestarent? quærit S. Ambrosius. Respondet autem sacer Scriptor: *Apparuit ei Dominus sedenti in ostio tabernaculi sui;* ibid. v. 1. in foribus portatilis casæ suæ. Quàm iusta distributio, clamat Ambrosius! quàm prudens gubernatio! quàm discreta œconomia! *Ante tabernaculum vir hospitum explorat aduentus, intrà tabernaculum Sara fœmina tuetur verecundiam, & opera muliebria tuto exercet pudore, foris maritus inuitat, & intus Sara conuiuium adornat.*

Abraham prudens œconom9.

Quàm pulchrè sacer Historicus sua cuique officia assignat! Vir ad fores domus hospites studiosus explorator expectat, mulier domûs interiora, suamque verecundiam solicita custos obseruat, & cætera sui sexûs munia administrat, & hospitibus cibos intus præparat, quos vir extrà sub tectum vocat. Hæc omnia ità describuntur propter eos, qui Regna, Prouincias, Respublicas, domos regunt, gubernant, administrant, vt ea imitentur, qui si in theatro gubernationis volunt esse boni actores, debent singulis ea commendare officia, quæ pro ingenij sui conditione rectè procurare queant.

Vir hospitibus occurrit, mulier cibos præparat.

Huc faciet, quòd acutè obseruauit Simon de Cassia, nimirùm, quòd cùm dixisset Dominus, regnum cœlorum esse simile decem virginibus, *quæ exierunt obuiam sponso, & sponsæ,* nullam ampliùs facit sponsæ mentionem, postquàm narrare incipit supplicium, quod somniculosis, quæ non occurrerunt nouis nuptis cum accensis lampadibus, pro culpabili earum negligentiâ inflictum fuit, *Dum autem irent emere, venit sponsus,* inquit Matth. 25. v. 10. nec Sponsæ deinceps meminit.

Dubitari potest, quam ob causam Dominus, cùm primùm dixisset, quód regnū cœlorū simile erit decem virginibus, quæ cum accensis lampadibus occurrerunt *sponso, & sponsæ,* posteà solam sponsi mentionem faciat, dicens: *Cum autem irent emere, venit sponsus?*

Respondet dubitationi venerabilis Pater, dicens; *Nec ampliùs sponsa memoratur,*

ratur, sed solùm sponsus in actionibus mysterij huius. Sponsæ nullus deinceps fuit vsus in actionibus huius mysterij, ideò neque nominatur ampliùs, nec fit vlla eiusdem vlterior mentio. Quàm benè autem dictum illud: *In actionibus huius mysterij!* Videtur alludere hoc mysterium ad quandam velut comœdiam, in quâ sunt varij Actus, & plures Scenæ.

Dicit nunc Simon de Cassia. Cùm ad scenam ventum est, in quâ Sponsus repræsentat personam iudicis, qui socordes, negligentes, & fatuas plectat virgines, non ampliùs sponsa memoratur, nec enim est persona, quam post hæc referre queat in ista comœdiâ, *quoniam non ad sponsam, sed ad sponsum spectat sententia ferenda iudicium.* Sedere pro tribunali, pronunciare sententiam, officiũ exequi iudicis, virorum est, non mulierum. Quod ambo coniuges cùm domum veniunt; nominantur, vt cum honore & festiuâ celebritate suscepti exhilarentur, benè id habet: Verùm quando puniendi, & ferendæ sententiæ tempus venit, solus memoretur sponsus, quia hoc solis viris competit officium. Incubare puluinari, & colus addecent mulieres, virga iudiciaria, & gladius viro congruunt. *Quoniam non ad sponsam, sed ad sponsum spectat sententia ferenda iudicium.*

Mulieres colus, virga judiciaria viros decet.

Percommoda est rei, quam sub manibus habemus, Abulensis annotatio, quæ hoc habet, quod tametsi Scribæ, & Pharisæi pariter commurmurauerint de Christi factis, dictisque, communiterque calumniati fuerint nùnc eius sanctitatem, nunc scientiam, Matthæus tamen ea sic refert, tanquàm scientiam Christi soli Scribæ coarguerint, sanctitati Pharisæi tantùm detraxerint. Abulensis in c. 17. Matth. q. 121. id his verbis effatur. *Vbi de sanctitate agitur, licet Scribæ, & Pharisæi simul loquantur, de solis Pharisæis Matthæus loquitur. Vbi verò de sapientiâ est dubium, inducuntur soli Scribæ, licet vtriq; loquantur.* Exemplis rem commonstremus. Quando Christus sanauit Paralyticum, & condonauit illi sua peccata, *ecce quidam de Scribis dixerunt intrà se, hic blasphemat.* Ita habet Matth. c. 9. v. 3. Ità Lucas in consortium huius sceleris vocat etiam Pharisæos dicens c. 5. v. 21. *Et cœperunt cogitare Scribæ, & Pharisæi dicentes, quis est hic, qui loquitur blasphemias?* Rursùs quando Christus comedit in domo Matthæi, peccatoris tam manifesti, & notorij, hæc res, Matthæo ipso referente, ita offendit Pharisæos, vt dixerint Discipulis: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat magister vester?* Matth. 9. v. 11. Lucas eandem historiam narrans, etiam Scribis adscribit. quod Matthæus solis Pharisæis tribuit. Sic enim habet Lucas c. 5. v. 30. *Et murmurabant Pharisæi, & Scribæ eorum, &c.* Hinc nunc exurgit difficultas. Si in has murmurationes conspirabant Scribæ & Pharisæi, quid est, quod Matthæus dissentire videtur à Lucâ ita vt ille nunc Scribis, nunc Pharisæis seorsim tribuat, quod Lucas vtrisque communiter imputat? Hæc diluit Abulensis, dicens: *Matthæus hoc facit artificiosè,* quando solos Pharisæos detractionis, solos Scribas murmurationis insimulat, tametsi vtrique certatim, ac pariter tum detraxerint, tum murmurauerint. Quando Scribæ, & Pharisæi murmurabant de remissione peccatorum, hæc erat res cernens scientiam, & sapientiam, plusquàm virtutem, & sanctitatem, & quia Scribæ erant doctores legis, eiusque scientissimi esse ex officio debebant, idcircò Matthæus solis Scribis tribuit, quod de tali re murmurauerint: *Quidam de Scribis dixerunt.* Verùm quia cibos sumere cum Publicanis, & peccatoribus, ad vitæ mores pertinere, & derogare sanctitati videbatur, cuius sectandæ studio Pharisæi plurimùm gloriabantur, ea propter de hoc cum Publicanis accubitu solos murmurasse Pharisæos Matthæus scribit, dicens; *Et videntes Pharisæi dicebant &c.* quamuis Scribæ suam huc quoq; conuerterint operam. Et hoc omne consultò, meditatò, magno studio, & singulari artificio factum,

Pharisæi sanctitati Christi, Scribæ illius scientiæ potissimùm detraxerunt. Quid ita?

ctum, nimirùm vt nobis documento esset, quomodo officia, & ministeria prudenter distribuenda, & quibus personis commendanda, vt rectè curentur. *Vbi de sapientiâ est dubium, inducuntur soli Scribæ, Vbi de sanctitate agebatur introducuntur soli Pharisæi.* Et totum hoc admirandâ industriâ, siue *artificiosè* factum. Nam si cuique personæ id curandum demandetur, quod cum ipsius ingenio, & professione, & conditione magis congruit, omnia rectè ordinata felicem, & facilem habebunt gubernationem.

Hæc etiam per somnium nobis dæmõstrari veritas, & tradi doctrina videtur. Artemidorus lib. 4. c. 37. sic dicit: *Quæcunq; quis dicit alteri* (per somnum putà) *non ex arte ipsius, in seipsum eueniunt, quæcunq; enim Medici legalia, aut Legisperiti medica dicunt, hæc in ipsos dicentes eueniunt.* Si quis Iuris doctor somniet se curare ægrotos, explicare Hippocratem, aut Galenum, aut Medicum officio Aduocati nauare operam, atque inter tribunalia declamare, aut Theologicæ cathedræ moderatorem nundinari arma, Militem conquirere, & euoluere libros, *hæc in ipsos dicentes eueniunt*, suntque funesta fatalium, calamitatum præsagia: Nisi enim suum quisq; artificium, & ministerium curet, sed alienum etiam somnians tractet, indicio est, multas inde consecuturas miserias, & ærumnas: Velut è contrà *quæcunq; Legisperiti legalia, aut Medici medica, aut Vates Vatidica dicunt, hæc ab ipsis Velut egregium in artibus suis documentum præbentibus accipere oportet.* Nam dum quisque suam artem tractat, & de sui instituti rebus disserit, & personam repræsentat, quam pro ingenij sui conditione rectè agere nouit, omnia ritè gubernantur, atq; vt decet sunt ordinata.

Officium alienum si quis etiam per sõniũ tractet, malum.

CAPVT X.

Vt munera, quæ offeruntur, suum obtineant pretium, non eorum moles, non quantitas, non exterior rudis species attendenda; sed animus syncerus offerentis, ac donantis pensandus.

OBtulit Iuliano Basilius potenti, & copioso Imperatori pauperculus monachus *pro benedictione tres panes hordeaceos.* Qui hoc Basilij munus attentiùs arbitratus fuerit, fors dicet: Quid hoc doni? Quomodo dici potest multum offerre, qui rem tantulam præbet? Huic quæsito respondet S. Isidorus Pelusiota magnus Basilij Magni discipulus lib. 4. epist. 118. dicens: *Multi reperiuntur, qui de magnâ copiâ dent pauca, & contra multi de exiguis facultatibus dant multa.* Sed quâ ratione id fieri potest? Paradoxa, eaque inuoluta videntur, quæ ab illo jam jam dicta. Responsio facilis est, inquit Isiodorus: *Neq; enim tam mensura, siue quantitas eorum, quæ dantur, quàm dantium animus attenditur, & inde iudicium sumitur.* Dare magnum, sed paruâ voluntate, est dare parum, offerre exiguum, sed magno animo, munifico corde, prolixo affectu est dare multum. Ille nempè multum dat, qui magnâ voluntate id facit, quia addicta voluntas & propensus, liberalisque animus addunt pretium dono illudq; ornant, illustrant, & amplificant. Basilius pauper, tenuissimus mendiculus erat, quod ipse fatebatur, ergo multum obtulit Imperatori, cùm tres panes illi obtulit, quia in quolibet pane cor illi, & affectum, & voluntatem, & vehementem plura dandi cupiditatem, si facultas permisisset, obtulit. Ergo si rem ad veram lucem discretionis, & prudentis æstimationis dispicias, tametsi quantitate exiguum, mole tenue, opulentum nihilominùs fuit Basilij donum, quia diuite affectu, & locuplete voluntate ornatum.

Munera nõ de mole suâ, sed de offerẽtis animo pensanda.

Multũ dat, qui parũ, sed magnâ voluntate.

Dicit quidpiam sacer Patiens perdifficile

ficile intellectu, videtur enim illi, quod dicit, manifestè contradicere. *Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti*; Iob. 13. v. 27. Quod ait, tale est: Coniecisti me, Domine, in angustum, arctumque putiduli huius sterquilinij cippum, vbi vulnerum meorum numellæ catenæ, & dolorum meorum numellæ me tam constrictum, debilitatúmque attinent, vt nec passum vnum progredi, nec mouere pedem queam.

Dicit hic Doctor angelicus lect. 2. in Iob. *Considerandum est, quod illi, qui ponuntur in carceris neruo, sic ligantur, quod à neruo diuertere non possunt*. Non dicit sanctus Patiens, se à Deo carceri inclusum, sed pedem suum neruo vinctum, quo sic pes constringitur, vt nec palmo lato progredi queat. Qui in carcere degit, tametsi inclusus sit, mouere se nihilominùs, & per illum obambulare potest. Quod ergo sanctus Iob ait, positum fuisse in neruo pedem eius, perinde fuit, ac si dixisset, tot plagis concisum, tot vulneribus sauciatum fuisse, atque ita diriguisse doloribus, vt mouere se loco prorsùm non potuerit. At si ita res habebat. quare mox dicebat: *Obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti*? Quomodo enim tereret semitas quomodo impressa relinquere vestigia homo tam arctè, tam valiquere vestigia homo tam arctè, tam valide impeditus poterat? Quomodo ambulabat, vt vestigia relinqueret, qui se mouere nequibat? Aut si premere vestigia poterat, quomodo neruo constrictus iacebat?

Iob tametsi impeditus neruo obibat pauperum domos voluntate.

Huic quæstioni satis faciet S. Saluianus, qui in Prologo ad lib. de Prouidentiâ sic habet: *Mens boni studij, ac pij voti, etiamsi effectum non inuenerit capti operis, habet tamen præmium voluntatis*. Optabat S. Iob ex illo impuro loco ad vetera, & consueta pietatis officia pergere. pauperesque, & egentes visitare, ardenti desiderio tenebatur obeundi inopum casas ostiatim, & afflictæ viduæ, derelicti orphani, cætetorumque ærumnosorum miserijs succurrendi, sed voluntatem facultas destituebat, eò quod illum clemens Dei iustitia in illius fimeti cippo impeditum tenebat. Cùm ergo tam deuotum propensæ voluntatis affectum & flagrantis benefaciendi cupiditatis syncerum votum Deus cerneret, atque id S. Iob intelligeret, dicebat, omnia sua notari à Deo itinera, & passus numerari: *Obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti*. Nam cùm hic diuinus Dominus magis spectet voluntatem, quàm donum, magis qualitatem oblationis, quàm illius quantitatem, magis affectum, quàm munus, & hoc secum reputaret sanctus vinctus Iob, plenus consolatione aiebat à Deo passus suos, & vestigia obseruari, quidquid enim affectu discurrebat, vt occurreret egenis, quidquid voluntate circumibat, vt inueniret pauperem, cuius inopiam leuaret, depelleret necessitates, hoc Deus in suarum rationum libro describebat, ac si reapse circumijsset, & egentibus opem opere exhibuisset.

Munera nō de mole suâ, sed de offerētis animo pensanda.

Huc spectat, quod Magnus, & mansuetus Leo serm. 2. de Quadrag. c. 3. eleganter, vt solet, dixit: *Nulli paruus est censius, cui magnus est animus, nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet, ac pietatis. Nunquàm merito caret, etiam in tenui facultate, bona voluntatis opulentia. Maiora quidem sunt impendia diuitum, & minora mediocrium, sed non discrepat fructus operum, vbi idem est affectus operantium*. Semper multum dedit, qui parum dedit, sed multo affectu, & copiosâ voluntate.

Multū dat, qui parū, sed magnâ voluntate.

Hac doctrinâ videtur dilui, quod cuidam Tertulliani assertioni opponi posset. In libro ad Martyres loquitur de multis, qui fuerunt sui ipsorum tyranni, & interfectores. In his memorat Lucretiam, Heraclitum, Empe doclem, Peregrinum, Regulum, Didonem. Et cùm in Mutium Scæuolam incidisset, de illo sic ajebat: *Mutius manum suam dexteram in arâ cremauit, ut hoc factum ejus fama haberet*. Supponit Tertullianus, quod hîc Scævola obie-

obierit. Suprà enim dixit: *Longum est, si enumerem singulos, qui se gladio confecerint.* Hoc verò est desciscere ab historiâ. Nam si magnum Liuium, Senecam, & alios plures Autores consulamus, inueniemus apud eos, quod Scæuola sibi adusserit manum, non autem, quod ademerit vitam. At hoc constituto, quod in tam manifesta historia calamus errare tam eruditus non potuit, quomodo in bonum sensum interpretabimur, quod ille dixit, Scæuolam sibi consciuisse necem, quam tamen non intulisse, certum est. Huic quæstioni satisfaciet magnus Tertulliani Interpres Ludouicus Cerda Not. 37. in lib. ad Martyr. qui illum sic defendit, & in hunc modum respondet: *Ego certè existimo, Tertullianum sentire, Mutium eo animo fuisse, ut non parceret vitæ liberandæ patriæ causâ, & sic eum deputat inter eos, qui sibi mortem attulerint.*

Mutius Scæuola in his, qui seipsos peremerunt, cur numeratus.

De Mutio illud memorabile facinus produnt historiæ, quod in castra Regis Porsenæ hostis Romanorum abijt, certum habens ipsum trucidare. Sed cùm non satis nosset Regem, alium lautiùs vestitum pro illo interemit. Quare ut pœnam à dexterâ, quod aberrasset, exigeret, illam igni impositam exussit. Quis dubitet ei, qui hoc fecit, etiam deliberatum fuisse, mortem appetere, ut patriam in libertatem assereret? Non occubuit tunc Scæuola, sed quod ad voluntatem attinet, & affectum, desideriumque sospitandæ Patriæ, qui in hostilem exercitum solus intrauit, dilectam vitam præsentaneo periculo certè exposuit, & quantum in illo erat, mortuus in tanto moriendi discrimine fuit. Dicit nunc magnus Tertullianus, quod Mutius Scæuola referendus sit in catalogum eorum *qui se gladio confecerint.* Nam si in operibus magis spectanda est volunt as, quàm actio, magis attendendus affectus, quám effectus, annumeretur Mutius ijs, qui se ipsos mactarunt, nam cùm in manifestum moriendi periculum se conjecerit, idque eo animi consilio, ut mortem oppeteret, dummodò ita excidij periculū ab obsessâ patriâ depelleret, mortuorum numero adscribi debet, quanquàm mortuus non fuerit.

Scæuola pro Patriâ mori paratus.

Hujus nostræ assertionis illustre exemplum fuerit id, quod celebri abbati Pambo accidi. Offerebat illi quidam in alimoniam pauperum aliquantum aurum, & argentum, & dicebat viro sancto: *Numera.* Ille verò respondit: *Quod dedisti, non eget numero, sed bono affectu.* Refert Cassiodorus in histor. tri part. lib. 8. c. 1. Certè apud Deum parùm valet quantitas, affectus autem, zelus, & animus, quo bonum opus peragitur, hæc sola apud illum pensantur, & sua momenta habent. Bona voluntas Lydius lapis est, & dat rebus pretium, & dignitatem. Nam ut Christianus Tullius S. Leo Serm. 4. de XL c. 2. ait, *ex effectibus piorū benignitatis mēsura taxatur, & nunquàm eū mise-ēdi efficacia deserit, in quo misericordia ipsa non deficit.*

Munera nō numero, sed affectu egent.

Ad hujus confirmationem faciet, quod Apostolus Corinthijs scripsit, dicens: *Quotidie morior per gloriam vestram, fratres;* 1. Cor. 15. 31. Sed quomodo mori quotidiè potuit, qui semel tantùm mortuus fuit?

Respondet Chrysostomus in Orat. de S. Eustach. in Appendice. Si Apostolum quis interroget: *Quomodo quotidie moreris?* occurret & dicet: *Proposito nimirùm animi, quodq; ad mortem sim paratus.* Id pluribus verbis sic extulisset: Si dico, quod in singulos dies morior, id veraciter affirmo, nam ut sum animo dispositus quotidiè mori, & voluntate ad hoc ipsum paratus, dicere possum, quod sum indies martyr. Qui enim mortem pro Christo desiderat, & voluntate atque affectu se offert passioni pro illius gloriâ, illius oblationem Deus, quoquo modo, tam gratam habet, tamque hilari vultu, & lætis oculis spectat, quàm si ferus tyranus totum illi sanguinem ex prompsisset: *Non enim euentu solo, sed etiam voluntate martyrij corona comparatur,* inquit Chrysostomus. Itaq; verè dici potest, quod quis viuat, & tamen moriatur, quod quis moriatur, & nihilominùs viuat, quod det parum, quid dat mul-

Paulus quotidie moriebatur proposito.

Martyrij corona etiam solâ voluntate comparatur.

multum, quod det multum, qui dat parum, voluntas namque & affectus sunt lapis Lydius bonorum, & munerum, ad quem pretium eorũ, & valor exploratur.

Ex amplâ illâ, & sublimi potestate, quam Dominus Discipulis suis concessit, majorem lucem veritas nostræ assertionis accipiet. De illâ facultate sic ait Matthæus c. 10. v. 1. *Dedit illis potestatem Spirituum immundorum.*

Difficultatem adferre potest, quod dæmonia vocantur Spiritus immundi, siue obscæni, cum sit certum, & notorium, quod ipsorum naturæ aduersetur omne turpis voluptatis experimentum, & fædum sensuum oblectamentum. Vnde Abulensis q. 22. in c. 10. Matth sic ait: *Realiter delectationẽ in coitu experiri non possunt.* At si ita est, quare Spiritus immundi, impuri, spurci appellantur?

Dæmones Spiritus immundi cur dicti.

Respondet magnus ille Doctor: *Ipsi dæmones immunditiem, & turpitudinem carnalem desiderant, licet natura hoc prohibuerit*: Quanquàm naturæ dæmonum repugnet omnis fœdæ libidinis, & sordidæ voluptatis sensus, quia tamen illius experimentum obscænum expetunt, & gustum desiderant, idcircò immundi Spiritus rectè vocantur: *Dedit illis Spiritum immundorũ.* Nam cùm in actionibus magis attendatur voluntas, & desiderium, quám actiones ipsæ, & opera, ideò dæmones vocantur impuri, & sordidi Spiritus, quia immunditiarum spurcarum gustum exoptant, quem consequi nequeunt. Dæmonum voluntatem opera destituunt, sed voluntas operibus non deest. Et cùm supremus Iudex spectet voluntatem, & affectum, dæmones immundos, & impuros pronunciat, quos videt voluntate, & affectu obscænos ac sordidos esse.

Dæmones fædę voluptatis experimentũ optant.

Hæc jam ad nostrum propositum deriuare possumus. Si desiderium, & sola appetentia fœdæ voluptatis, quæ opere expleri non potest, satis est, ut quis numerari inter immundos possit, cur non æquè in bonis, & probis, & virtutum studiosis recenseri queat, qui probitatis tenetur desiderio, & virtutum est auidus? Cur hic promptæ volũtatis suæ mercedẽ non expectet, cùm Dominus tam prolixus ait ad remunerandum bona, quàm parcus ad plectendum mala? Secundùm hæc dicere possumus, quod ille multum facit, & patitur, qui magna volũtate facit, & patitur; quanquàm id, quod facit, & patitur, reuerà sit exiguum. Nam ut S. Ioannes Chrysostomus homil. 19. in 2. Cor. 9. ait, *multum, & paucum Deus non munerum quantitate, sed dantis facultate metitur, ex quo fit, ut plerumq; eo, qui obolum duntaxat pependit, minus tu pependeris, qui centũ aureos stateres pependisti.* Hæc omnia magno solatio sunt ijs, qui seruiunt Domino, qui cùm voluntatem, & affectum cujusque perspectum habeat, quo munus, vel officium defertur, exiguam oblationem, & operam magno remunerat, si à magnâ voluntate profectam videat, ut sic quis paruo magnum lucrari possit, si rem tenuem diuite voluntate offerat. Et potest exigua eleëmosyna tanto affectu erogari, ut opulenta munera merito exæquet, quæ tamen oculis Dei nonnũquàm videntur exilia, eò quod à remisso amore, & tepidâ voluntate descẽdant.

SAN-

SANCTVS BASILIVS, CLERVM, & Populum Cæsariensem, ad templum serenissimæ Angelorum Reginæ, quod est in monte Dydimi, conuocat.

CVm Iulianus apostata digrediens à Magno Basilio mortem Cæsariensibus, & opulentæ illi populosæque ciuitati extremum minaciter intentasset excidium, consultè se facturum sacer Pater putauit, si totum Clerum, vnàque populum conuocaret, eisque desertoris, & athei Imperatoris truculentum, & sanguinarium propositum significaret. His ergo collectis dixit, sibi videri, non abs re fore, si reuertentem cum victoriâ ex Persiæ bello placare, & furorem eius varijs donis, ac muneribus obtũdere, & mitigare studerent, ea enim talia esse, quæ efficaciùs loqui & difficillimas causas potentiùs defendere soleant, nec pretiosorũ suppellectilium suorum jacturam curarent, quâ vitam rebus omnibus pretiosiorem sospitare possent. Magno plausu, & tanto consensu omnium prudens Basilij fuit comprobatum consilium, vt domum digressi, summa cum celeritate certatim attulerint aurum, argentum, adamantes, gemmas, monilia, & quidquid pro occasione ad ornatum circumferri, vel ad ostentationem exhiberi solet. Excepit venerabilis Pater læto vultu votiuas catholici populi facultates, cumque dona singula nomine cujusque proprio consignasset, deposuit in gazophylacio omnia, spemque omnibus certã fecit, quod pius Dominus illos à sæuà illarum comminationum tẽpestate incolumes erepturus, & felici cursu per sedatum mare ad tranquillum portum conducturus esset. Atque vt prosperum illius confidentia sortiretur effectum, præcepit, vt deuotus Clerus, & omnis reliqua ciuitas, viri, pueri, mulieres in montem Dydimi ascenderent, in cujus editiore loco eminebat sumptuosum templũ, Augustissimæ cœlorum Imperatrici, & æterni Verbi sacrosanctæ Matri dedicatum, vbi pientissimæ Reginę rigidam triduani jeiunij victimam offerentes, multis perfusi lachrymis illam supplices obsecrabant, èam ab omnipotente filio suo, ex purissimis illius visceribus nato gratiam impetraret, vt atrocia apostatæ Imperatoris cõsilia dissiparet, cassa redderet, & irrita faceret,

Munera optimi causarum Patroni.

PHOENICIS GRÆCIÆ, S. Basilij Magni

LIBER VIII.

CAPVT I.

Sunt peccatores, qui in blando securitatis lecto quiescunt, ac si essent justi, & sunt iusti, qui inter periculorũ procellas timẽt, tanquàm essent peccatores.

NIsi in libro experientiæ testatam inuenire mus nostræ assertionis veritatem, impossibile videretur eam persuadere. Et quanquàm crebro vsu, quod hujus capitis titulus habet, sæpe comperiamus, nihilominùs probatum dare obstrictum me sentio.

Sit prim^s hujus veritatis testis id, quod Sponsus dicit, qui de Sponsâ suâ loquens, postquàm fulgẽtium nitorem oculorũ illius, & colli pulchritudinem deprædicasset, demùm ad proportionatam lineam descendens, quæ duos faciei soles, velut limes medius secernit, sic ait: *Nasus tuus sicut turris Libani, qua respicit contrà Damascum*; Cant. 7. v. 4. Facile est videre, symbolicum, & mysticum esse, quod hìc dicitur. Quæ nam illa portio, quæ tantam formæ dignitatem, & pulchritudinem adfert corpori mystico Sponsæ, hoc est, Ecclesiæ, quæ turri comparatur fixis oculis Damascũ continuò spectanti? (Nasus linea duos faciei soles secernens.)

Philo Carpathius respondet: *Sunt qui per Nasum Sponsæ Sanctissimum Paulũ interpretari, & significari velint.* Velut enim per duos narium tubos respirat, uiuitque homo, ita Paulus per duo Testamenta, nouum, & vetus, fuit respiratio Ecclesiæ. Sed illud in hac abstrusâ locutione mouet difficultatem, quod turris dicitur respicere contrà Damascum. Quid sibi volunt illi semper in Damascum intenti oculorum obtutus? (S. Paulus nasus Ecclesiæ.)

Philo dicit: *Quoniam in Damasco vocatus est Apostolus*, Ibi Dominus Paulum equo excussit, & dejecit, ibi magnos illius spiritus obtudit, & extinxit, ibi illum cæcauit, ut meliore visu posthæc donaret, ibi illi indicauit, quàm ferox persecutor esset, quam sanguinarius ergà catholicum gregem lupus, dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. v. 4. Cùm deinde exurexisset factus ex atroce persecutore acerimus propugnator Christianorum, & vas electionis, per totum se terrarum latè diffundens, præstantissimus odor Ecclesiæ fuit. Et inter ipsa suæ conuersionis primordia tam altè ascendit, ut in tertij cœli fastigium in ecstasi raptus fuerit. At si Paulus est vas electionis, si per antonomasiam Apostolus, si Solis æmulus, vt qui splendore doctrinæ suæ Euangelium illustrauit, quantum non ille suis radijs mundum illuminat, cur semper defixos habet in Damascum oculos? *Qua respicit contrà Damascum*, Respondeo: *Quoniam in Damasco vocatus est Apostolus*, ibi Dominus illum caballo dejecit, ibi illi grauitatem sui sceleris, quo Ecclesiam insectabatur detexit, ibi Gentium doctor renunciatus fuit. Et quãquàm ab eo tempore tantum assecutus fuit, ut esset prodigium gratiæ, & pretiosissimum vas electionis, nihilominùs in Damascum semper ejus ibant oculi, semper memoriâ reuoluens luctuosam illam querimoniam, quâ Christus ejus trucem exagitabat persecutionem. (Paulus semper fixos habuit in Damascum oculos. Quamobrem.) Sunt nempe justi, qui quantũuis justè viuant, quantumuis sublimes sese erigant, in quantamcunque perfectionẽ assurgant, in quantauis tamen tranquillitatis dulcedine ita peruigilant, ac si in lecto tribulis, & spinis conferto recum berẽt, veluti Paulum semperpungebat, sẽper fodicabat, semper amordebat, & vulnerabat illud: *Quid me persequeris?* quanquàm errata sua tam gloriosis benefactis inaurauit, & culpas suas innumeris laboribus pœnalibusq; operibus mulctauit, & emendauit. (Iusti in quantauis sanctitate timidi.) (Paulum semper fodicabat illud Quid me persequeris?) Ita sunt improbi, qui in medijs suorum flagitiorum procellis, velut perduellis Ionas in efferatissimâ tempestate, in utrumque oculum tam vacui curis dormiunt, ac si intaminatissimi, & inculpatissimi essent.

Peccatores quidã tam securè degunt, ac si Sãcti essent.

Vtrumque dixit Beatissimus Papa Gregorius lib. 34. Moral.c. 17. his verbis: *Peccatoribus sæpe accidit, vt si quando vnum quodlibet bonum, vel minimum faciant, à malis suis omnibus respectum mentis auertant, & ex eo se se jam quasi Sanctos aspiciant, obliti malorum omnium, quæ commiserunt, sicut euenire contrà electis solet, vt cum multarum virtutum gratiâ polleant, vnum eos vel tenuissimum vitium valde defatigans pulset.* Quam benè dictum illud: *Valde defatigans pulsat!* Si iustus in erratum aliquod incidat, si quid negligentiùs agat, semper dolor verberat, solicitudo pungit, & insomné esse cogit, velut Paulum perpetuò affligebat illud, quod propè Damascum acciderat: *Quæ respicit contrà Damascum*; nam dolor, quem ibidem illi sagitta querimoniæ Christi inflixit, semper cor eius excruciabat, & verberabat animam, & pectus laniabat, etiam post acerbas pœnitentias, & admirandos labores pro Christo susceptos, & exhaustos. Id justissimorum hominum admodùm proprium est, vt inter quantamlibet curarũ requiem tanquàm proximi periculo viuant, cùm peccatores è contrà in medijs discriminibus consopiti jaceant, ac si in ipso securitatum strato requiescerent.

Iustus vnius peccati conscientia non finit dormire.

Homines peccatores tam vacui curis viuunt, ac si Angeli essent.

Quid minùs curis vacuum, quàm vita hominis? Quis magis certam habet perpetuitatem, quàm Angelus? Videamus quid hac de re Angelus loquatur, & quid homo sentiat. De homine quodam Dominus refert, animam suam eâ nocte, quâ euellenda è corpore erat, sic fuisse allocutum: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Luc. 12. v. 19. Quãdo nam fatuus hic diues, qui videbatur angelus, prout sibi vitam longæuam promittebat, Hæc dixit: *Habes multa bona posita in annos plurimos?* Quando? Quãdo vocem audiuit horribilem, quæ illi certam, sine appellatione, & morâ denunciauit mortem, dicens: *Hac nocte animam tuam repetunt à te*; ibid. v. 20. Quâ nocte vltus ille in periculi sui securitate quiescebat, certum illi indicabatur falsæ securitatis suæ periculum. Videamus nunc quomodo suâ securitate loquatur Angelus. Qui Abrahæ felicem posteritatem addicebat, dicebat: *Reuertens veniam ad te tempore isto, vitâ comite, & habebit filium Sara vxor tua*: Gen. 8. v. 10. In his verbis notate ista: *Vitâ comite*, hoc est, si vitam Deus in id tempus vsque concesserit, si vita beneficio mihi constiterit, quousque reuertero.

Tostatus dicit. *Certum erat, quod Angelus victurus erat cùm Angelus, quia Spiritus est, vita sit, & non potest deficere per naturam.* At si in dubitatum erat, quod Angelus victurus erat, quomodo cum tantâ incertitudine loquitur, cum quãtâ quis de caduco flore, aut fragili vitro loquì posset? Ad hoc respondet Abulensiũ Episcopus dicens: *Volebat se Angelus indicare quasi esset homo*: Hominem simulare affectabat. Ibi stultus ille diues se gerebat, vt Angelus, dicens animæ suæ, vt quiesceret, genio indulgeret, epulis incubaret, vt quæ haberet, *multa bona posita in annos plurimos*, cui vita longæua reliqua esset, & deliciarum affluentia pluribus sæculis abundè sufficiens. Hic verò Angelus tam parum (quantum loquendi modus præsefert) fidit vitæ suæ, vt videatur homo, sic enim solent alternari vices, & confundi, vt qui virtutibus sunt Angeli, tanquàm peccatores sint, & in præsentaneis periculis degant, soliciti, & meticulosi peruigilent, & qui verè perditi, & flagitiosi peccatores sunt, tam intrepidè inter pericula quiescant, ac si virtutibus, & bonis actibus Angeli essent, *vt obliti omnium, quæ commiserunt, ex eo sese jam quasi Sanctos aspiciant*, venire contrà electis solet, vt cùm multarum virtutum gratiâ polleant, vnum eos vel tenuissimum vitium defatigans pulset.

Angelus de vitæ suæ, quanquàm perpetuæ, defectione velut timet.

Non ineptum erit dictis, quod Hebræis, & Ægyptijs accidit in mari rubro, in quo Dominus aperuit viam, vt populus illius transiret. De quo sic dicitur Exodi 14. v. 21. 22. *Diuisa est aqua: & ingressi sunt filij Israël per medium sicci*

maris

Aegyptij intrepidè ingressi mare, quod Hebræi cum tremore intrarunt.

maris. Intrârunt ergo Hebræi per aluenum nunquàm tritum, idque cum ignauo metu & timore. Viderunt Ægyptij mare in liquidos montes euectum, & diuisum, cæperuntque intrepido animo, & temerario ausu ingredi, præeuntesq; sequi, & persequi Hebræos. Insignis Abulensis de hoc Ægyptiorum facto ita loquitur: *Magna Ægyptiorum audacia, immò maxima dementia, tanto se periculo exponere, vt mare intrare non formidarent, quod ad eorum internecionem apertum fuerat, quod Hebræi ad suam euasionem paratum ingredi extimuerunt*; ac si alijs verbis dixisset: Videtis hîc turgentes Ægyptios tam præfidenter ingredi mare, in quo suffocabũtur, ac si ipsâ securitate stipati fuissent. Videtis Hebræos meticulosos, trementesq;, & pallidos miraculosam calcare semitam, quæ tamen illos ad portum salutis ducebat. Attendite quàm animosè illi introeant mare, in quo extinguentur, & quàm anxiè ineant viam hi, quæ illorum est aperta, & destinata securitati. Animaduertite quod Ægyptij inter pericula sibi promittant securitatem, & Hebræi in certitudine timeant incertitudinem. *Ægyptij mare intrare non formidarunt, quod ad eorum internecionem apertum fuerat, quod Hebræi ad suam euasionem paratum ingredi extimuerunt.* Nã sunt Ægyptij, qui videntur Israëlitę in securitatibus, & sunt Israëlitæ, qui videntur Ægyptij in periculis, hoc est, sunt peccatores, qui dormiunt tam securi, ac si essent iusti, & sunt iusti, qui tam solliciti, ac timidi viuant, ac si essent peccatores, sunt homines, qui sibi promittunt vitam, ac si essent Angeli, & sunt Angeli, qui loquuntur de suâ vitâ, quasi essent homines, sunt boni, qui de leui errato dolent, ac si grande flagitium perpetrassent, & sunt mali, qui de vno quodam exiguo opere gaudent, ac si magnum meritum ex illo haberent.

Angelus de vitæ suæ, quanquàm perpetuæ, defectione velut timet.

Peccatores inter pericula præfidunt, iustis sua certitudo incerta.

Iusti de leui errato grauiter dolent, mali ex paruo opere magnum meritum sperant.

Dicat hoc S. Basilius, & illius ciues, qui viui, sospitesque remanebunt in Patriâ, contesteturque Iulianus, qui in cõflictu occumbet. Hic irâ, & furore plenus Cæsareâ digrediabatur, stomachum autem illi mouerat Basilius, quod tres panes hordeaceos ei obtulit, & bestiæ instar (vt ille quidem sinistrè interpretabatur) habuit. Iurauit autem abiens, se, quando victor è bello reuerretur, ita vastaturum, & solo æquaturum ciuitatem vt deinceps nonnisi hordeum in pabulum iumentorum proferret, quæ ferre homines solita erat. Auxit stomachum, quod Basilius statuam deæ quam Iulianus adorabat, probrosè deijci curauerat. Subirati Imperatori verba talia erant: *Postquàm edomitis Persis huc rediero, euertam Vrbem hanc.* Refert S. Amphilochius. Videtis hîc superbum tyrannum, & velut fulmina intentantem, qui in bello interficietur, & tamen insolenter, ac præfidẽter vitam sibi promittit, quæ tam parùm duratura est. Loquebatur vt Angelus in securitate, qui perquàm homo erat in periculis. Quid fecit minis perculsus Basilius, cui vita sua salua futura erat? Conuocauit populum, persuasitque, vt scelerum suorum pœnitentes triduum jeiunarent ad placandum Deum, & euadendũ mala, quæ crudelis tyrannus minatus fuerat. Illi obsecuti, *triduanum exigentes ieiunium petierunt à Deo dissipari impij Iuliani propositum.* S. Amphilochius in vita Basilij, Basilium tam pœnitentem, opertum sacco, & flagris aduersùs se armatum, qui populum Cæsariensem tam abstinentem cibi, tam enixè orantem vidisset, propediem morituros putasset. Sed non ita contigit, Basilius enim, & ciuitas manserunt sospites, & Imperator extinctus fuit. Sed hæc neminem moueant, sic enim euenire plurimùm solet. Qui victuri sunt, habent se vt mortuos, & qui morituri, se vt viuos habent. Qui maximè securi sunt, soliciti, ac timidi per vigilant, qui summè periclitantur, omnia tuta putant, Peccatores viuunt curis tam vacui, ac si iusti essent, & iusti tam anxiè plorant, quàm peccatores deberent. Horum laudabilis est solicitudo, illorum damnabilis præfidentia, & securitas.

Peccatores morti vicini longam vitã sperant, iusti diu victuri mortem timent.

 CAPVT

CAPVT II.

In omnibus conflictationibus, & ærumnis tam solicite sunt conquirenda, tam diligenter adhibenda remedia, ac si non esset Deus, at verò Deus etiam tam enixè, & afflictim rogandus, ac si nullum esset remedium.

DVo ordinauit Basilius, vt iratus conciliaretur Imperator, si fortè victor, viuusque ex bello Persico reuerteretur. Primùm totam conuocauit ciuitatem, vt deuotis supplicationibus, & totâ precum contentione Deum rogarent, vt is omnipotente manu sua sacrilegi Imperatoris nefaria proposita dissiparet, & euerteret. Atque vt sancti viri pium desiderium feliciter suum sortiretur effectum, in montem omnes ascendere iussit, vbi suam habebat venerationem sacrum Reginæ Angelorum, & hominum Matris simulachrum. *Præcepit clero, & populo omni ciuitatis, vt cum fæminis, & paruulis ascenderent in montem Dydimi, in quo honoratur, & colitur Dei Genitricis venerabile templum.* S. Amphilochius vbi suprà. Ad hæc præsenti iam populo persuasit, vt quisque ex auro, argentoque suum, quantum posset, contribueret, vt blasphemum tyrannum, quando rediret, opulentis, copiosisque mitigare donis possent. *Argentum ducentes pro nihilo salutis vestræ consulite,* aiebat, *vt si tyrannus superuixerit, muneribus eum placemus.* S. Amphilochius ibidem. Insignis doctrina, & vtile monitum ad omnes conflictationes, & ærumnas curandas, vel auertendas, vt sic humana adhibeas remedia, tanquàm non esset Deus, sic Dei auxilium implores, ac si nulla humana reliqua essent remedia. Hæc enim duo non sibi aduersantur, sed vehementèr conspirant potiùs, nam genus temeritatis foret, vel totum humanis credere remedijs, vel Deo soli totum relinquere, quando homo suâ industriâ, ac solertiâ ad procuranda salutis remedia vti potest.

Inter ærumnas Deũ inuoca, & proprium adhibe studium, ac si in alterutro solo tota salus esset posita.

Illustre huius veritatis exemplum fuerit magnus Patriarcha Iacob. Sciebat quàm infensum haberet fratrem suum Esau, propter præceptam ipsi benedictionem. Miserat ad illum nuncios, qui veterem ipsius iram mitigarent, acceptoq; responso, quod Esau illi occurreret cum quadringentis viris, suspectum habens illum occursum perterritus *diuisit populum, qui secum erat, in duas turmas,* Gen. 32. v. 7. nec populum tantùm, sed & greges ita ordinauit. Postquàm prudens hoc studium adhibuisset, ad alia, orationis puta, arma se contulit, de quo hæc affirmat sacer Scriptor ibid. v. 9. *Dixitq; Iacob, Deus Patris mei Abraham, & Deus Patris mei Isaac, erue me de manu fratris mei Esau,* valde namque eum timeo, & vereor ne præteritorum memor, vitam, vxores, liberos, greges, facultates denique omnes mihi eripiat.

Obseruat hoc loco Oleaster prudentes sancti Patriarchæ actiones, quod primùm turmas instruxit, & ordinauit, dein ad Deum confugit: *Postquàm quod suum erat, fecerat, ad diuinum recurrit auxilium.* Inter illas suas angustias, & necessitates fuit Iacob vsus remedijs humanis, digerens populum suum, & greges per turmas, & quandam velut aciem instruens, tanquàm non esset aliquis auxiliator Deus, posthæc ardente oratione interpellauit Deum, petens ab illo inter pericula seruari, vel ab omni discrimine erui, tanquàm non haberet homines ad pugnandum aptos. Hic est rectè & cordatè agendi modus, quando media, & remedia adhibentur humana, quasi nullus esset auxiliator Deus, & sic Dei imploratur opitulatio, tanquàm alia nulla superessent remedia.

Iacob inter pericula primò quod suũ erat, fecit, deinde Deũ inuocauit.

Actuum Apostolicorum capite nono narrat Gentium Doctor, quo artificio vsus fuerit Paulus, vt euaderet Præpositum Regis Gentis Arotæ Damasci, cuius iussu fiebat, quod *custodiebant portas die, ac nocte, vt eum interficerent,* Act. 9. v. 24. Quid hac occasione fecerunt Paulus,

Paulus vt euaderet periculũ, ad orationem adhibuit suam industriã,

lus, & discipuli? Fortean solum inclamarunt Dominum, vt is illum à tam præsentaneo periculo eriperet, maximè cùm nullus videretur reliquus modus, quo posset truculentas crudelium Iudæorum manus euadere vita Pauli, quæ tam multis animabus vitam allatura erat? Nequaquàm. Quid ergo? *Accipientes eum discipuli nocte, per murum demiserunt eum, submittentes in Sporta*; ibid. v. 25. Solerte industriâ vsi sunt, sanctissimumque Apostolum canistro impositum per mœnia demiserunt; *& sic euasi manus eius*, inquit ipse 2. Cor. 11. v. 33.

In hæc verba sic dissecit S. Ioannes Chrysostomus: *Ac ne humanis quidem artibus, cùm tempus ita postularet, vti recusabat. Vsque adeò prudens, ac vigilans erat. Cum enim mediocris tentatio erat, multa quoq; suopte ingenio excogitabat.* Qui Paulum vidisset illo vtendum artificio, dixisset non inuocasse Deum; qui verò deuotè precantem, & Deo supplices manus tendentem conspexisset, cogitasset inopem consilij fuisse Paulum, omnique industriâ, arte, ingenio destitutum. Verùm vtrumque Paulus fecit, quia & Dei opitulatrices manus sic implorauit, tanquàm nullâ suâ industriâ effugere posset Iudæorum hostiliter infensorum manus, & sic suo artificio ad euadendum vsus est, ac Dei auxilium non expetijsset. *Vsque adeò prudens, ac vigilans erat Paulus*, inquit Chrysostomus, vt suum ingenium ad eam rem adhiberet, ac si nullus fuisset sospitator Deus, & sic Deum adiutorem inclamaret, velut nihil habuisset ingenij.

Angeli vinctos Apostolos non per fractas, sed per apertas portas eduxerunt. Cur?

S. Petri Damiani annotamentum est, quod quoties Angeli vinctos ex crudelibus custodijs exemerunt Apostolos, non per vim effregerunt, sed ingeniosè, atq; artificiosè aperuerunt fores ergastulorum, quibus inclusi erant. Cùm primùm Ierosolymis vincti fuerunt, veniens *Angelus Domini per noctem aperuit ianuas carceris*, inquit S. Lucas Act. 5. v. 19. Et quando S. Petrus liberatus fuit, *porta ferrea vltrò aperta est eis*, ibid. c. 12. v. 22. Tantundem euenit, quando Paulus degebat in carcere, tunc enim *aperta sunt omnia ostia*, Act. 16. v. 26.

Dicit nunc S Petrus Damianus Opus. 36. c. 17. *Beatos Apostolos etiam Angeli de custodijs non educerent, nisi prius ianuas aperirent.* Quamobrem valentissimi Spiritus tam solicitè aperuerunt custodiarum fores, quibus facillimum erat rumpere omnia, & dejicere? Id fecerunt, vt traderent nobis prudentem rectè faciendi modum, quo de hîc agimus. Poterantilli nullo labore effringere ianuas, sed aperiebant, ad nos instituendos, vt quemadmodùm Angeli suam industriam ad aperiendas portas adhibuerunt, quas nullo negotio demoliri, prorsumque amoliri poterant, sic & nos, cùm angustiarum, & ærumnarum occasio id exposcit, nostro ingenio vtamur, ac si non esset Deus, diuinum auxilium verò imploremus, ac si omnibus ingenij viribus orbati essemus.

Sit iteratò sanctus Patriarcha Iacob huius sacræ Politicæ fulcimentum. Insectabatur illum socer ipsius Laban, certum habens multis malis modis vexare, & exagitare sanctum generum. Iacob autem clandestini sui discessûs iustam causam socero his verbis humiliter exposuit: *Quod inscio te profectus sum, timui vt violenter auferres filias tuas*; Gen. 31. v. 31.

Expendit hîc Moguntinus quondam Ecclesiastes Ioannes Ferus prudentiam Iacob, & solertiam, qui tametsi non ignoraret, quod Deum sibi haberet impensè addictum, & ab eo se omni periculo indubitatè liberandum, socero nihilominùs cum omni demissione iustas furtiuæ suæ abitionis rationes exposuerit. *Quamuis sciret, se Deum propitium habere, vtitur tamen etiam humanis medijs ad leniendam iram Soceri, eiusque importunitatem euadendam.* At si persuasum sibi habebat, quod Deum haberet fautorem, & adiutorem, cur humana adhibet studia ad mitigandum Socerum immeritò offensum? Respondet Ferus, id fe-

Deo fidendum, sed ita vt humana non contemnantur media.

id fecisse, vt indicaret *non sic Deo fidendum, vt humana contemnamus media*, & intelligeremus, quomodo nos gerere in similibus occasionibus debeamus, quodque sic vtendum est medijs humanis, ac si non esset à partibus nostris Deus, & sic implorandum Dei auxilium, ac si nulla superessent humana media. Ita dicere amabat Excellentissimus Dux, & Illustrissimus heros S. Franciscus de Boria.

CAPVT III.

Tantum valet Oratio, vt petere, & impetrare videatur vna res, non duæ esse, prout sese consequuntur.

NOn poterat S. Basilius solertiore artificio, aut sagaciore vti industriâ ad obtinendum, quod tam cupidè optabat, quàm quod populum conuocauit, vt communibus precibus Deum ardenter obsecrarent, & solicitarent ad euertendum, dissipandumque nefarium propositum efferati tyranni, cui certum erat totam vastare Cæsariensem ciuitatem, & neque infantibus, neque decrepitis parcere, sed sanguinariam iram ex summorum æquè, ac infimorum cæde exsaturare, Ad templum ergo, & orationem ciues suos accersiit. *Præcepit clero, & populo omni ciuitatis, vt ascenderent in montem Dydimi, in quo honoratur, & colitur Dei Genitricis venerabile templum.* S. Amphilochius. Nam cùm diuinus Doctor ipse esset plurimùm deditus orationi, in quâ totas sæpe noctes transmittebat, & experimento didicisset, quantùm apud Deum illa valeat, oratione inter pericula, & timores vtendum putauit, vt quod cupiebat, obtineret. Quia vt à Deo quiduis impetres, nullum potentius oratione remedium adhibere potes. Nam consecutio illius, quod rectè petitur, tam est certa, & cita, vt oratio precantis, & Dei concessio non duæ res videantur, sed vna.

Orationis remedio nullum apud Deum efficacius.

Sacer propheta Daniel id nobis dicet. Nam cùm is humiles ad supremum conditorem preces funderet, eiusque misericordiam sibi, ac populo exposceret, mox dicebat: *Adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel citò volans, tetigit me in tempore sacrificij vespertini.* Dan. 9. v. 21. Nondum perorauerat Daniel, & Gabriel incitato volatu aduenit, exceptque ab ore precantis verba. & aperire cæpit arcana, quæ ille intelligere cupiebat.

S. Hieronymus in Danielem ait. *Grãdis effectus orationis!* major vix concipi animo posse videtur. Collineas Sclopum in auiculam, explodis, exurgit flammula, erumpit cum fragore glans plumbea, dejicitur, & occiditur auicula. Hæc res multæ videntur, sed pulueris nitrati ea est vis, & energia, vt explosio, & occisio res vna videantur. Vno pene momento & volat auis, & ad pedes ejaculantis accidit. Hæc videns dicere posset: *Grandis effectus pulueris*, qui tam exiguo tempore facit, vt ad pedes tuos ruat auis, quæ per liberum volatu circumferebatur aërem. Tale quid dicit B. Hieronymus. Dabat se Propheta orationi, explodebat glandẽ ardentium desideriorum, & tam repentinus sequebatur effectus, vt *adhuc illo loquente in oratione* aduolans Angelus non reciderit quidem aut dejectus fuerit; descenderit tamen, vt faceret omnia ex voto supplicis Prophetæ: *Citò volans tetigit me*, & erudijt de omnibus, quæ scire optabam. In horum consideratione defixus Hieronymus exclamabat: *Grandis effectus orationis!* admiranda operatio, & stupenda vis piarum precum, cujus primâ glande è corde per os explosâ impetitus ipse adeo Gabriel, *qui fortitudo Dei* dicitur, celerrimo volatu ad Prophetam descendit. Hinc arbitrari licet potentiam orationis, quæ tanta est, vt si non planè subijciat, tam faciliter tamen inclinet totam fortitudinem Dei, vt petere aliquid ab eo, & obtinere, rogare, & impetrare idem sint, cùm oratio vix aliquid obsecret, quin Deus statim concedat.

Orationis efficacitatẽ Daniel expertus.

Orationis vis pulchrâ similitudine declarata.

Oratio ipsam Dei fortitudinem in sua vota cogit.

Oratio bona simul ac petit, obtinet.

Adminiculabitur dictis quædàm mellistui Doctoris commentatio in illa passu,

ſim trita verba. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hareditatem, & poſſeſsionem tuam terminos terra*; Pſ. 2. v. 8. Hæc ſunt verba Patris æterni ad coæternum filium. *Tuam*, inquit, *hareditatem, tuamque poſſeſionem dabo tibi*. Sed his S. Bernardus Serm. 28. illud opponit. *Quomodo dabis ei, ſi ſua eſt? Aut quomodo ſua, ſi neceſſe habet, vt poſtulet?* Quomodo huic ſatisfiet difficultati? Reſpondet Bernardus. *Mihi poſtulat, qui meam ad hoc induit formam, vt ſuſcipiat cauſam.* Quod Filius Dei à Patre petit, id ex nomine hominis petit, & jis petit, quibus æternam hæreditatem, & gloriæ poſſeſſioné ſuo ſanguine coëmit. Benè habet iſtud. At ſi Dei Filius nomine hominis petit, quomodo dicit Pater, vt ſuam hæreditatem, ſuam poſſeſſionem, ſuam terram petat, cùm terra, & poſſeſſio non ſit hominis, ſed æterni Patris, hic enim rogatus, vt eam det homini? Reſpondeo. Cùm petere, & obtinere è veſtigio ſeſe conſequantur, & quodammodò vnum, idemq; ſint, etiam vnum, idemq; ſunt dicere, quod Filius pro homine petijt, & quod homo jam quaſi ſua habet, quæ ſunt pro illo petita.

Petere hominis, & cõcedere Dei conjunctiſſima.

Non aduertitis in verbis Domini iſta: *Poſtula, & dabo*; quaſi petere, & concedere tam ſint conjuncta, vt nullum inter ea tempus intercedat? *Grandis* (dicere poſſumus) *effectus orationis*! admiranda vis precationum! Tanta nempe, vt vix igniculos in corde excitârit, & per os flãma eruperit orationis, quin habeat ſubitò ſuam operationem, & in ſuam poteſtatem redigat non ſolùm terram, ſed & cælum totum.

Rachel nõ omninò ſtulte ſibi liberos à marito dari petijt.

Stultum, neq; importunum tantùm, & inconſultum videbitur, quod Rachel maritum ſuum rogauit, vt ipſi liberos daret, atq; ſterilitatis ignominioſam ægritudinem adimeret, quaſi prolem concedere, in ipſius arbitratu, & facultate poſitum fuiſſet. *Da mihi liberos, alioquin moriar*, ajebat illa Gen. 30. v. 1. ac ſi dixiſſet: Niſi mihi ſobolem, & poſteritatis dulcia pignora dederis, tantus me inuadet ex denegatâ gratiâ dolor, vt non minoris, quàm vitæ jacturam inde ſim paſſura. Vt ne formoſa Rachel communem mulierum venuſtarum notam fatuitatis, quę ſanè perquàm fæda eſt, incurrat, inuenire oportet modum, quo efficiamus, vt prudens, & cordata fuiſſe videatur illius petitio. Nam parum conſideratam fuiſſe illius querimoniam nemo non arbitrabitur, quæ impoſſibilia virum ſuum rogauit, cùm liberos ab illo expetijt, in cuius poteſtate non erat præſtare, quod rogabatur, nam fœcundare ſteriles eſt opus ſoli omnipotenti dexteræ reſeruatũ, quod Rachel ignorare non poterat. At ſi res ita habet, quid voluit, quando ſibi dari liberos obſecrauit?

Rachel à mariti orationibus prolé expectabat.

Reſpondet Abulenſis: *Non petebat Rachel à Iacob liberos, ſcilicet, quod ipſe daret ei, ſed petiuit ab eo, quod daret ei liberos, id eſt, cur non rogabat pro ipſâ.* Palam eſt quod Rachel non petebat abſolutè à marito ſuo liberos, quia facilè videbat, naturaliter ab illo pręſtari non poſſe, quod rogabatur. Quid ergo obſecrabat? *Cur non rogabat pro ipsâ.* Optabat, vt vir ipſi ſobolem à Deo obſecraret. At ſi hoc optabat Rachel, cur non apertè dicebat: Ora pro me Dominum, vt mihi liberorum gratiam faciat, ſed abſolutè ajebat: *Da mihi liberos*? Cauſa eſt, quod ſit tanta efficacitas precum, vt ſimul atq; aliquid petitur, etiam obtineatur. Itaq; prudens Rachel certum habens, quod Iacob mox vt peteret, eſſet obtenturus ſobolem, dari ſibi petijt, quod impetrari ſtatim, ac peteretur, poſſe non dubitauit. Apud Deum certè tantùm valent, & tam facilè quiduis obtinent preces, vt inter tempus, quo quid petitur, & quo obtinetur, nihil ſit medium.

Certũ habebat Rachel à marito obtineri poſſe ſobolem, mox vt peteret.

Eſt quoddam profundum Tertuliani dictum, quod intelligemus, ſi ad hunc ſenſum accipiamus, aut exponamus. Loquitur ille de incomparabili patientiâ Redemptoris noſtri, & poſtquàm multa illius exempla memorauit, demùm dicit: *Ingratos curauit, inſidiatoribus ceſſit, parum hoc, ſi non etiam prodito-*

Orationis vis à Tertulliano expreſſa.

ditorem secum suum habuit, nec constanter denotauit. Hæc ille lib. de Patient. c. 3. Parum sunt, quæ Dominus noster ab ingratis & insidiatoribus tulit, si cum eo componatur, quod etiam proditorem suum, hominem perfidiosissimum, & flagitiosissimũ sodalem in suo contubernio tolerauit, *nec constanter denotauit.* Quid est, non denotauit? Doctissimus Tertulliani interpres Cerda dicit: *Constanter se habuit in homine non denotando, non publicando; rogatus sæpe à Discipulis, vt proderet, constans in nolendo fuit.* Condonare noxas ingratis, eisq; beneficium impertiri sanitatis, & cedere his, qui struebant insidias, diuinæ fortitudinis erant notæ, sed *parum hoc*, sed exiguæ notæ, si cum eo conferas, quod orationum Sclopo restitit, neque precum deiectus glande fuit Magister cœlestis. Huic vni comparata superiora talia sunt, qualis musca exilis ad vastum elephantem, qualis tenuis arenula ad excelsum montem. Nocte Cœnæ, cùm audissent Discipuli, quod vnus ex illis esset proditurus Dominum, rogârunt illum, vt diceret, quis hoc tam inmane facinus editurus, & proditurus ipsum esset. S. Petrus innuit Joanni, vt pro gratiâ, quâ apud Christum valebat, peteret denotari proditorem. Ioannes Petro obtemperans interrogauit, dicens: *Domine quis est?* Ioan. 13. v. 25. quis ille tam consceleratus homo, qui tam fœdo sese contaminabit flagitio? Noluit detegere sacer Magister perfidiosum Discipulum. Cùm ergo Tertullianus secum reputaret, quantùm valeant preces, & obtineant apud Deum, & quod Dominus restitisset precum Sclopo, & negasset, quod rogatus fuerat, cùm hoc in vnâ bilancis parte reposuisset, in altera verò curatos ingratos, toleratos insidiatores, blasphemos, sacrilegos, hæc omnia parum arbitratus fuit, prout ex altera parte depressam lancem vidit. Quanquàm absolutè multum sit, ingratos curasse, & insidiatoribus cessisse, tamen *parum hoc*, si cum eo conferas, quod precibus non cessit, neque concessit. *Rogatus à Discipulis, vt proderet, constans in nolendo fuit, nec constanter denotauit.* Vt pectoris sui robur Deus ostentaret, precibus non cessit, vt quanta sit dexteræ illius fortitudo intelligas, satis est nosse, quod oratio brachium illius flectere, vel obtorquere non potuit, atque vt infinita potestatis eius magnitudo innotescat, illud facere potest, si intelligatur, quod preces, quantumcunque apud illum valeant, impetrare tamen quidquid volunt, non valent.

Christus orationi nõ cedens plus fecit quàm cum insidiatoribus cessit, & ingratos curauit.

Christus orationi non cessit, vt robur suum ostentaret.

Capvt IV.

Oratio sola est omnis armatura, gladius, qui cædit, & scutum, quod defendit.

HOc ita constituto, nihil mirum quod Basilius deliberauit conuocare clerum, & omnem populum ad augustissimæ Virginis matris templum, vt ibi ardentibus precibus supremum Conditorem pro auertendis impij tyranni minis obsecrarent. Nam ad cædendos, perdendos, & subigendos hostes nullus aptior, acutior, penetrantior gladius, quàm oratio. Illâ quippe solâ prostratos vidimus plurimos exercitus, dissipatos muros, deiecta valla, præfecta iugula. Hanc ob causam, Petrus Damianus dixit: *Semper victricia orationis arma.* Nunquàm illa pugnam adijt, nunquàm manus cum hoste conseruit, quin triumphatrix recesserit. Eximere gladium, & vincere adversarium, orationi idem est.

Orationi omnis armatura.

Orationis arma semper victricia.

Priusquàm animosa Iudith arduum illud, & masculum opus obtruncandi barbari Holofernis exequeretur, *stetit ante lectum*, in quo ille dux militiæ supremus vino sopitus iacebat, *orans cum lachrymis & labiorum motu in silentio*, Iudit. 13. v. 6. Quamobrem tot lachrymas effudit, vicinumque accendit ardentibus suspirijs aërem, quando barbarum tyranni caput ab humeris illius demetere voluit?

S. Augustinus Serm. 218. de Tempore ajt: *Orationis arte victricia arma fabricauit;*

Orationis arte victricia arma Iudith fabricauit.

cauit; ac si dixisset: Scire vos velim, quod sunt quidam gladij eâ industriâ cusi, talique artificio secundùm aciem herbis venenatis tincti, vt exeat è corpore vita, quodcunq; illi intrant, cùm illorum nihil possit resistere veneno. Ita sancta, & discreta Iudith, cùm sic imbuere, ac temperare suum gladium vellet, vt simul ac contingeret corpus Holofernis, lethaliter vulneraret, quid fecit? *Orationis arte arma victricia fabricauit.* In orationis officinâ, vbi carbones fuerunt ardentia suspiria, tinctura, seu temperatura lachrymæ, cudit gladium suum: Et cùm orationis gladius infallabiliter feriat, & insuperabiliter mactet, vix tyranni collum attigit, quando mortaliter vulnerauit. Fuit ergo sanctæ Iudith oratio pugio, quo hostes confecti, & consequenter scutum, quo populus Dei defensus fuit, quæ enim res aduersarium meum offendit, eadem me defendit. Itaq; vt Basilius nefarium apostatam subigeret, & ciuitatem suam defenderet, nec validiora arma, nec potentius scutum, nec gladium acutiorem, quàm sit oratio, inuenire potuit. Et hoc à sancta viragine Iudith doctus fuit, quæ *orationis arte arma victricia fabricauit.*

Orationi omnis armatura.

Et quis videns acutum orationis gladium non perdat animum, non remittat Spiritus? Nam si oratio Iudith imbecillem mulierem conuertit in animosum virum, potest eadem robustissimum, animosissimumque virum transformare in mollicellam, & ignauam mulierculam. Ad hoc probandum faciet quædam Rabbi Salomonis annotatio in illud Ionæ 2. v. *Præparauit Dominus piscem grandem, vt deglutiret Ionam*, qui in eius ventre suum haberet à fugâ diuersorium. Mox vt angustum noui hospitij cubile ingressus fuit, *orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis*, ibid. v. 2. Rabbi Salomon ait, cetum, seu grandem illum piscem, cùm primùm memoratur, vocari *Dag, quod est generis masculini*, deinde verò *Dagah, quod est generis fœminini, quando de ventre piscis orasse dicitur Deum.* Ergo priusquàm oraret Ionas, habebat piscis nomen masculinum, quod est fortitudinis, & robotis, cùm verò iam orauit, idem piscis donatur appellatione fœmineâ, quod est imbecillitatis, & pusillanimitatis. Hæc omnia magnum habent mysterium, indicantq; quantum valeat oratio, & quàm sint inuincibiles illius vires, quæ facere potuit, vt cetus, qui ante habebat masculum nomen, tanquàm masculæ fortitudinis notam, postea fœmineâ appellatione, tanquàm imbecillis, & ignauus designaretur, simul atque Ionas in eius ventre fundere orationem cæpit. Hinc æstimare licet, quid possit oratio, quæ voraces balænas, tam vastæ molis, & ingentis magnitudinis pisces, vt in amplissimo mari montes, quin & insulas mentiantur, mox vt gladium orationis sentiunt, viribus omnibus exhauriat, & metu impleat, atque ex masculis fœmineas reddat.

Oratio ex robusto viro imbecillem mulierculam facit.

Et videtur ipse sacer Textus hoc insinuare velle. Nam quando ab omnipotente Deo præparatus fuit, vt fugitiuo Prophetæ præberet hospitium, grandis vocatur: *Et præparauit Dominus piscem grandem*; posteà verò piscis tantùm dicitur, neque magnitudo eius commemoratur, cùm dicitur: *Et erat Ionas in ventre piscis* Et mox: *Et orauit de ventre piscis*; & iterùm: *Et dixit Dominus pisci.* Quod fortè factum, vt intelligeremus vires orationis, & potentiam ex eo, quod piscis, qui anteà grandis, ingens, immanis nominabatur, post orationem à Prophetâ fusam, simpliciter piscis appellatur, neque titulo magni ampliùs cohonestatur, quia dum Seruus quidam Dei splendentem orationis gladium sternit, non est piscis, quantumuis monstrosus, non leo, quantumuis ferox, & truculentus inuasor, qui nomen magnitudinis non perdat, qui non se timidè submittat, qui non se ignauiter prosternat. E contra quando catholicus miles destitutus est tam acuto gladio, tam validis armis, ille suam sibi ruinam præsagire, & denunciare exitium potest.

Ionæ oratio pisci hospiti ipsius suam magnitudinem detraxit.

Iudas Machabæus feliciter pugnauit, quoties ante orauit.

Commodè in rem præsentem notauit Ioannes Raulinus Cluniacensis, quod è quatuor prælijs, quibus insignis ille belli dux Iudas Machabæus cum hostibus conflixit, duo felicem habuerunt, cætera minus prosperum exitum. Primùm signa contulit cum Gorgia perinfenso Iudaici nominis hoste, & triumphauit. Deinde manus conseruit cum Nicanore truculento Israëlitici populi aduersario, & hunc cæcidit. Tertio cum Antiocho Eupatore pugnam inijt, & *diuertit* se, post leues aliquot velitationes, *à Rege, & exercitu eius*, 1. Mach. 6. v. 17. aliud memorabile vix aliquid tunc edidit. Demum cum Bacchide, & Alcimo congressus occubuit strenuus dux immortali vitâ dignus. Quare tam infortunatus his posterioribus pugnis fuit?

Respondet Cluniacensis Serm. 32. de Pœnit. *Orauit Iudas commissurus prælium contrà Gorgiam, & tunc vicit. Sic videns exercitum Nicanoris fortem, orauit & iterùm vicit. In alijs duobus prælijs præcipuus non legitur orâsse.* Cùm duobus primis prælijs decertauit, accinctus gladio orationis adijt conflictum, itaque dum vibraret, dum illum stringeret gladium, qui tam est acutus, & fulminis instar ferit, hostiles copias, non secus ac fumum ventus solet, fugauit, dissipauit, fudit, calcauit. In cæterarum pugnarum alterâ non vicit, alterâ victus cecidit, & expirauit. Quid enim causæ? *Non legitur* orasse, non eduxit, non adhibuit ad congressum sicam orationis, *& tunc in bello cecidit.* Hæc omnia ad nostram doctrinam scripta sunt, vt intelligamus, quàm valida & fortis armatura sit oratio ad vincendum, subijciendumq; hostes, quia dum illa pugnat, non est inimicus, qui non cedat, cadatque, qualiscunque ille sit, cùm verò illa à conflictu abest, infeliciter etiam maximè strenui, & animosi præliantur, celebratissimi Machabæi superantur, vulneratique, & mortui occumbunt.

Occubuit cùm orationem prætermisit?

CAPVT V.

Tametsi priuata vnius oratio tantæ sit potentiæ, publicæ tamen, ad quam plures concurrunt, talis est, vt & Deum videantur deficere vires, quibus illi obsistat.

NOn solus diuinus Basilius ascendit in montem, in quo templum erat augustissimæ cœlorum Principi Virgini Matri dedicatum, sed etiam eò conuocauit clerum, & populum, & vtriusque brachij, ecclesiastici, & sæcularis auxilium implorauit, fecitque vt omnes omnipotentis Dei pietatem ardentibus precationibus inclamarent. *Præcepit clero, & populo omni ciuitatis, vt ascenderent in montem*, & Dei opem communibus orationibus appellarent. Quanquàm enim vnius oratio multùm valeat, attamen cùm multi conspirant, & fœderantur ad precandum, tunc omnipotentia Dei videtur inermis, & velut impedita, & impotens ad negandum, quod rogatur, & non posse non concedere, quod petitur. Hanc doctrinam verbo, & opere tradidit S. Basilius, qui epist. 62. sic ait: *Deprecatio ipsa consonantes non habens, multò est inualidior*, non habet vires, quas illa, quæ à multis funditur. Quàm benè dixit Basilius: *Deprecatio, qua non habet consonantes!* Nam vt nulla verbalis construi oratio ex meris vocalibus potest, nisi interueniant consonantes: Ita oratio vocalis absque consonantibus, absque cōprecantibus socijs facta non admodùm magnas vires habet: *Deprecatio, qua non habet consonantes, multò inualidior est.*

Oratio cōmunis Deum tāquàm inermis sit superat.

Oratio sine consonantibus, inualidior.

Cùm Paulus Apostolus optaret Onesimum seruum fugitiuum à Domino suo Philemone in gratiam admitti, dedit ad illum literas, quarum hoc fuit exordium: *Paulus vinctus Christi Iesu, & Timotheus frater Philemoni dilecto.* Ad Philem. v. 1.

Quærunt hîc Chrysostomus, & Theophyla-

phylactus, vnaque Doctor Angelicus, quamobrem Paulus, cùm Onesimo Dominum suum reconciliare, & veterem gratiam exobsecrare voluit, in primo Epistolæ limine nomen Timothei suo adjunxerit. Nonne ad reconciliandum Philemonem, reducendumque in illius gratiam fugitiuum seruum, & quiduis aliud ab eo impetrandum satis erat, quòd solus id Paulus rogaret; Ex sententiâ Chrysostomi respondet Doctor Angelicus: *Ipsi autem Timotheum adjungit, vt faciliùs impetret, quia impossibile est preces multorum non exaudiri.* Autoritas quidem Pauli tanta erat, vt à Philemone non rem tantulam modò, verùm etiam alia magis ardua, & difficilia impetrare ipse solus posset, placuit tamen comprecatorem adhibere Timotheum, vt rogatui robur adderet, *quia impossibile est preces multorum non exaudiri*, neque pectus est, quod illis sese obijcere queat.

Orationes multorum non exaudiri impossibile.

Vehemens ira Domini, & ardentissima illius indignatio magis viuis coloribus exprimi non potuisse videtur, quàm sit à Regio Propheta depicta, & his verbis descripta: *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida?* Psal. 49. v. 3. Sed quod remedium ad opprimendum tantum ignem, ad delendum illam flammam, ad restinguendum illorum ardorem, ad serenandam illam tempestatem adhiberi poterit? Quis frementium, & supremum excidium intentantium procellarum stridorem sedabit? Propheta Regius dicit: *Congregate illi Sanctos eius*, ibid. v. 5. hoc est si vultis, vt ignis remittat, vt horribilis illa tempestas conquiescat, iustorum, & sanctorum Virorum exercitum colligite, & videbitis ignem subitò extingui, & turbulenti maris motus quàm primùm componi.

Orationis cõmunis efficacitas à Dauide indicata.

Audite Hugonem Cardinalem. *Congregate illi Sanctos eius, vt illi simul pro nobis intercedant. Quod enim Dominus vni Sancto forsitan negaret, omnibus congregatis & orantibus non negaret. Sicut in Claustris, quando Conuentus totus petit ab Abbate, non est consuetudinis, vt patiantur repulsam.* Efficacissimum ad serenandam tempestatem, & extinguendum ignem iræ Dei remedium est, educere in campum Orationis ingentem exercitum non saginatorum helluonum, sed ieiunijs extenuatorum, pœnitentium, iustorum seruorum Dei, qui illum precibus communibus inuadant, pio enim illi artificio, & cælesti stratagemati cedet ignis iræ diuinæ, & tempestas indignationis eius deferet, vt subsidat. Nam si fortè Dominus vnius obsecratione exorari non sinat, quando tamen multi ad comprecandum coëunt, & ad communem orationem concurrunt, videtur facere non posse Dominus, quin exaudiat, & in illorum vota omnia descendat: *Quod Dominus vni Sancto forsitan negaret, omnibus congregatis, & orantibus non negaret.* In Religiosorum Conuentibus accidere solet, vt omnes pariter à sua Superiore quidquam petant, quod cùm fit, vsus obtinuit, vt obtineat communis Oratio: Tantundem cum Domino euenit, inquit Hugo, quando plures ex seruis eius, quasi manu factâ ad precandum confluunt, *non est consuetudinis, vt patiantur repulsam*, vt vacuæ abeant manus, quæ ad orandum fuerunt elatæ, vt libelli multorum supplices spe sua frustrentur, & nihil impetrent.

Orantium iustorum exercitus potentissimus.

Dignum notatu est, quod de Archiapostolo Petro Lucas memorat. Euasit Petrus liber è carcere, inquem ab Herode conjectus, fuerat. Ab ergastulo petijt domum Mariæ, quæ mater Ioannis erat, pulsauitque fores, quas cùm aperire ancilla vellet, liberatum ex voce agnoscens Petrum, exultans gaudio introiuit, ut domesticis hæc suis tam læta nuncia perferret, euãgelia uerò insperata retulit, quia *dixerunt ad eam: Insanis*; Act. 12. v. 15. Et cum non crederent dictis famulæ, omnes in eam iuerunt sententiam, quod Angelus custos S. Petri esset, qui pulsaret fores: *Angelus eius est*, inquiebant, ibid. Hîc ego nunc sciscitor, quid moueret homi-

homines istos potuerit, ut putarent Angelum esse, qui fores vocibus, ac pulsu solicitaret?

Respondet Chrysostomus, & Oecumenius: *A tempore conjectabant.* Tempus, & occasio præsens talem illis ingerebant suspicionem. Nunc minùs assequor causam. Nam si arbitrabantur, eum, qui pulsabat, esse Angelum Petri, idque à tempore, quo pulsabat, hoc est eo, quo Petrus in carcere vinctus detinebatur, quomodo cogitare poterant, Angelum discessisse à Petro tunc, cùm illi vel maximè ad hærere, & præsidio esse debuit? Quando enim magis necessaria esse poterat Petro sui Angeli custodia, & opera, atque opitulatio, quàm cùm tam validis catenis adstrictus jacebat? Secundùm hæc quomodo existimare potuerunt, Angelum à Petro abijsse, quando illi maximè adesse debuit? *A tempore conjectabant.* Ad hujus dubitationis dilucidationem aduertite oculos ad illud, quod S. Lucas anotatum reliquit, quod cùm primi illi Christiani intellexissét, quod Petrus servaretur in carcere, *Oratio fi bat sine intermissione ab Ecclesiâ ad Deũ pro eo,* ibid. v. 5. Omnes justi congregati periculum Petri ut proprium susceperunt, & pro ejus depulsione pariter precati sunt. Qui hoc sciebant, dicebant: *Angelus ejus est,* & quod Angelus esset, *à tempore conjectabant;* nam tempus, quo Angelus custos potest destituere eum, qui suæ curæ est comendatus, videtur aliud nullum esse posse, quàm quando cliens inter angustias, & ærumnas positus habet multos, qui pro ipso orent. Nam ubi multi rogant, videtur fieri non posse, ut non obtineant, quod precantur, & optant. Quâ de re sic dicebat S. Ioannes Chrysostomus homil. 2. in 2. Cor. 1. *Persæpe Deus qu si pudore commouetur, cùm multitudinem adprecationem concordem, atque conspirantem cernit.* Premite illud: *Quasi pudore confunditur.* Efferamus illud alijs verbis: Videtur Deus non habere frontem, quæ ferre possit, ut quidquam neget ijs, qui ad comprecandum plures conueniunt.

Vbi multi orant Angelus custos interim abesse, & ab officio suo vacare potest.

Orationi multorum non concedere, Deus velut erubescit.

Propterea dicit Hugo Cardinalis, quod Ecclesia ad hanc doctrinam respiciens instituit Litanias, & publicas supplicationes, in quibus cõgregati fideles communibus precibus faciliùs obtineat, quæ optant, gratiarum beneficia. Nam ut Angelicus Doctor ait, *impossibile est, multorum orationes non exaudiri.*

CAPVT VI.

Præter aurum nihil est, quod sibi hactenus omni potentis titulum, & nomen in mundo promeruerit.

HUcusq; locuti sumus de medijs diuinis, quibus magnus Pater usus est, ut suum negotium apud cœlestem Imperatorem ex voto conficeret. Humana nunc media consideremus, quæ ad mitigandum terreni Imperatoris furorem adhibenda putauit, si is fortè victor ex bello Persico regrederetur. Conuocauit populum, & præsenti dixit, muneribus esse placandum tyranum. *Fratres mei,* ajebat, *argentum duc ntes pro nihilo saluti vestræ consulite, ut si tyrannus superuixerit, muneribus eum placemus,* ac si dixisset: Id unicum in terris habemus salutis nostræ curandæ remedium, ut auri copiam non contemnẽdam projiciamus in iræ Imperatoriæ ignem. Nam tametsi aurum ab igne non consumi dicant, hic tamen ignis ab auro cõsumitur. Nec enim est tyrannus, qui æquè subjuget, nec gigas, qui tam potenter dejiciat, quàm aurum.

Aurũ iræ ignem extinguit.

Cùm Dominus Apostolos suos, & Discipulos ad prædicandum emitteret, ajebat illis: *Estote prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ;* Matth. 10. v. 16. In his illud, quod prius est, excutiamus, quod proposito nostro nunc commodum venit. Quid voluit Dominus illis commendare, quando tam serió præcepit, ut Serpentium sagacitatem imitari studerent? Quid habent Serpentes, quod Apostolis doctrinæ Euangelicæ Ducibus, ac Doctoribus in se exprimere tam necessarium, & conducibile esse potuerit?

Abulen-

Serpentis prudentia est, nolle audire incantatorē

Abulensis q. 95. in c. 10. Matth. ait: *Serpentis prudentia est, nolle audire incantatorem, quia timet, quod verba illius sibi mala sint.* Psalmo 57. *Sicut aspidis surda, quæ non exaudiet vocem incantantium, nec venefici incantantis sapienter.* Astutia Serpentis in eo potissimùm posita est, quod opturat aures, ne illis hauriat fraudulenta incantatoris verba, utpote sciens, si ea admittat, se thesauri sui, quem unicum pro defensione suâ habet, jacturam facturum. Hoc ipsum prædicatoribus suis imitari Dominus consulit, nempe aures probè obstructas habere. Sed contra quænam incantamenta aures suas occlusas habere Euangelici Oratores debent? Contra promissiones, contra pollicitationes munerum, quæ illius oblaturi erant improbi homines, ut à verbi diuini prædicatione absisterent, *promittendo eis bona temporalia, ut cessarent à prædicatione verbi Christi*, inquit Abulensis ibidem. Ergone aduersùm talia promissa obturare auditum debeant sancti Apostoli, & tam diligenter, ac solicitè se obmunire. Quid enim talia promissa facere poterant? Respondet Abulensis: *Nihil istorum audiendum erat, quia talia verba incantant mentem.* Promissiones opum, argenti, auri auribus respuere oportebat, quę illius modi verba etiam Apostolicorū virorum perturbant, & fascinant animos. At si verba sola, si promissa nuda tam sunt potentia, ut mentem incantent, fascinent eripiant, quid facient aurum, argentum, uniones, adamantes, si coràm exhibeantur, & offerantur? Hinc accipitur, quàm sit tyrannica vis auri, cujus sola pollicitatio Apostolicam fortitudinem dejicere, & inuictissimos Ecclesiæ pugiles deturbare queat, nisi solerte Serpentum astu sese obmuniant.

Ad auri voces voluit Dominus surdos Apostolos,

Aurū aures si occupet, euertit mē tem.

Aurū iræ ignem extinguit.

Auri sola pollicitatio Apostolicam fortitudinem deijcere potest.

Nam ut S. Valerianus homil. 20. ait: *Quis dubitet quod secretum pectoris oblata pecunia pondus irruperit? Nihil clausum constat, quod auro, argentoque non pateat. Haberet profectò integritas totū secretū, si in alienâ domo proditrix pecunia nōhaberet ingressum.* Nulliū pyroclastrū tam facilè perfringit obstructas portas, quàm aurū. Nullus cuniculus puluere tormentario tam leuiter euertit, & disijcit valla, ac mœnia, quàm argentum. Omnia inuiolabili silentio tecta remanerent, nisi aurum in alienas se insinuaret ædes, quod ciaue suâ adulterinâ ad reconditissima quæque penetrat, adeoque conscium est omnium, quæcunque in abstrusissimis aguntur cubiculis, angulis, recessibus.

Auro nihil clausum nihil tectum.

Quàm benè dixit Valerianus: *Proditrix pecunia.* Nullus deterior proditor, nullus perfidiosior Iudas, quàm pecunia. Nam ubi pecunia in medio est, ibi nec à Filio Pater, nec uxor à marito, nec à milite centurio, neque charissimus rex ab intimo subdito tutus est, nam rex imperiosissimus, & qui plus omnibus apud animos hominum valeat, est aurum.

Pecunia Iudā perfidiosior.

Admirabilia sunt quædam, & perquàm apta præsenti causæ sacri Textus verba, quæ tametsi sint vulgò trita, prout tamen à Cardinali Cajetano sunt expensa, habebunt gratiam, quâ placeant. Verba ex c. 23. Exodi v. 8. *Non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba justorum.* Id Iudicibus commendatum, vt non admitterent dona, vt quæ visu orbare cordatissimos etiam, consultissimosque soleant. Ex origine hebræa quidam sic vertunt: *Quæ etiam excæcant apertos.* Nihil commodius in hanc rem dici potuit, quàm quod tanta est tyrannis auri, vt etiam vigilantissimos Argos consopiat, altoque somno obruat, quodque tantus est splendor, quam ejaculatur, vt & maximè lynceis oculorum heberet, obtundatque obtutus. Pretiosi huius Solis aspectum nulli Aquilarum ferunt oculi, quin palpitent, tremant, retrocedant.

Aurum etiam Argos cæcat

Aurei Solis aspectū nulli Aquilarū oculi ferunt.

Cajetani commentarius hoc loco sic habet: *Significatur ad literam, quod tanta est vis munerum, vt non solùm parum, aut mediocriter videntes ea, quæ sunt juris, sed etiam perfectè videntes, quæ sunt juris, excæcent intùs.* Non tyrones legum tantùm, sed diu versatos, & benè versutos, etiam Iurisperitos subuertere, & cor-

Aurum etiam benè versatos, & versutos Leguleios corrūpit.

& corrumpere aurum solet, qui tametsi speculatiuè assequantur veritatem, in praxi tamen violant jura, & pessumdant rationem. Omnipotenti auri tyrannidi & Bartoli se submittunt, & Baldi subijciunt, & Iasones hodierni ex illo vetere Iasone, præter nomen, vix aliud habent, nam ille quondam magno labore, & durâ, ancipitiq; certamine sibi conquisiuit vellus aureũ, nostros verò Iasones vellus aureũ plerosq; conquirit, sibiq; subijcit.

Aureum vellus Iasones hodiernos subigit.

Et quid adhæc? *Et subvertunt verba justorum.* Alij ex Hebræo: *Et torquebunt verba justorum.* Cajetanus exponit: *Non solum munus excæcat internos oculos, sed etiam torquet verba, flectendo illa hinc & inde*, faciuntque, vt judex nunc hoc modo loquatur, nunc illo, secundùm quod argentum dictat, vel aurumdisponit, ac suggerit.

Iudex sit prudens, & sanctus.

Nunc etiam damus Cardinalis Cajetani ponderationem. *Libra*, inquit, siue expende, *quod secundùm vtramque partem optimè dispositi, videlicet in parte intellectiua videntes apertis oculis, & in parte affectiua justi mutantur, suscipiendo munus.* Quid est, quod perfectum judicem constituat? Hæc duo, vt sit prudens, & justus, sciens, & sanctus. Parum refert esse prudentem, nisi simul sit justus, & parum facit, quod sit justus, nisi iustitia adjunctam habeat prudentiam. Dicit nunc Spiritus Sanctus, tantam inesse donis vim subigendi, perturbandi, præcipitandi, & cæcandi, vt perfectissimum, & sanctissimum, & doctissimum, & sapientissimum ad quæuis torquere, inclinare, inflectere queant. Aurum interpretatur leges, argentum detorquet jura, munera exponunt textus, dona proferunt sententiam, & omnia pro suâ libidine obtinent.

Aurum interpres legum tortor iurium.

Ad hæc respiciens Eminentissimus Cardinalis conclusionem infert, & adfert regulam, quæ nullam habet exceptionem, dicens: *Nullus igitur tutus est suscipiens munus judex*, certè nullus certus, quod non violabit leges, non torquebit jura, non vim adferet justitiæ, si admittat munera.

Iudex munera admittens, nullus tutus.

Hinc per opportunè accedet noua lux illi de Canticis textui, quem docto, & erudito suo commentario illustrauit Illustrissimus D. Fernandus de Salazar electus Archiepiscopus delas Charcas, & ex supremo S. Inquisitionis consilio. Textus sic habet: *Quid faciemus sorori nostræ in die, quo alloquẽda est?* Cant. 8. v. 8.

Cujus sunt hæc verba, & quem sensum habent: Insignis, quem dixi, & singularis interpres vult esse, quantum allegoria sonat, quorùndam verba, qui formosæ Sulamitis nuptias ambiuerint, tanquàm liberalis speciei illius dignitate capti ardentes riuales dixerint. Quid agemus, vt eam ad nostrum amorem inflammemus? *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*; ibid. v. 9. hoc est: Verùm si illa tanquàm murus æneus nostris restiterit rogatibus, si tanquàm scopulis non cesserit nostris beneuolentiæ, & amoris studijs, si domus suæ fores nobis ob oculos occluserit, quando illam tam amanter deposcimus, tam ardenter expetimus, quid faciemus, vt arcem pectoris expugnemus, & cordis illius ciuitatem occupemus? *Ædificemus super eum propugnacula argentea*, imponamus illi vallum argenteum, turrim auream, explodamus in illam sclopos adamantinos gemmis, vnionibus, margaritis, monilibus pretiosis oneratos, opum copiam illi offeramus. Nam vt robustissimi hominis pectus oppugnes, nullo tormento bellico, nullo pyroclastro id æquè facias, ac auro, & argento. *Si murus est munitus vndique*, dicit eruditissimus expositor, *si videlicet nullum admittit, omnes arcet, ædificemus super illum propugnacula argentea, id est, constituamus aduersus illum propugnacula ex auro, vel argento, eius nempe robur argenteis muneribus expugnemus, dejiciamus, perrumpamus, est enim mira vis argenti ad debellandam pudicitiam.*

Aureis glandib⁹, adamantibus, vnionibus onerati sclopi muros deijciunt.

Auro pudicitia facilè debellatur.

Validè hoc confirmabitur illo Spiritus Sancti effato: *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia*; Eccles. 7. v. 13.

Pecunia protegit vt sapientia.

Ego

Sapientiæ excusatio num prōpta inuentrix.

Ego hunc locum sic expono. Homo sapiens, & doctus, & magnus in suâ facultate metaphysicus, subtilis ingenio, & perspicax, ac versutus, quantumuis difficiles sustineat propositiones, quantumuis exoticas defendat conclusiones, semper inuenit effugia, quibus aduersariorum argumenta vel declinet, vel eludat. Si quis prudens, & discretus verbo labatur, vel inerrorem impingat, quàm speciosis pigmentis suum nouit fucare errorem, quàm eleganter excusationis auro tingere, quod minus ex vero dixit? Hoc ipsum est, quod Spiritus Sanctus, vt mihi quidem videtur. voluit, cùm ait: *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia.* Nam vt sapientia ad omnia inuenit effugium, sic euasionem reperit pecunia. Perpetret quis immanissimum scelus, committat indignissimum flagitium, dum pecuniam modò habeat, & aurum, mentior nisi culpæ illius, quantumuis enormes, & nefariæ, facile reperiant effugium. Hic aduocatos inueniet patrocinari promptos, & leges fauentes velut enim sapientia nunquàm destituitur rationibus, quibus se tueatur, ita qui scuta auri habet. habet & justitiæ scutum, quo se defendat. *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia.*

Pecuniosi faciles inuenit causæ etiam malæ patronos.

Nam vt ibi dixit Paulus Silentiarius poeta Græcus ap. Com. Mithol. lib. 7. c. 18.

Aurum omnes Vectes infregit, & arguit artem.

Clauis, & infregit omnia supercilia.

ac si alijs verbis dixisset: Aurum est pylocrastum violentissimum, quod portas obfirmatissimas, & validissimas perfringit, & clauis artem arguit, & tam potenter conjurat; vt omnes supercilij, tametsi Rhadamanti sit, nubes, quantumuis obscuras, & atras dissipet.

Aurum artem clauium, & ferarum omnem arguit. ridetque.

Quàm acutè dictum illud: *Arguit artem clauis!* quod est dicere: Nulla est tam industriè & artificiosè elaborata clauis, nulla tam affabrè, & scitè confecta sera, quam auri non arguat, non rideat solertia. Vel vt apertiùs dicam: Nullum est secretum reconditum, nullum pudicitiæ, & castitatis Propositum tam rectum, & obfirmatum, nulla justitia, constantia, fidelitas tam occulta, ad quam adulterina clauis violenti, & tyrannici auri non proueniat. Auro deoperta, & nuda, & subjecta sunt omnia. Vbi adulterina clauis auri in vsu est, nulli ampliùs alteri claui, quantumuis ingeniosè, & affabrè cusæ, fide, *Aurum arguit artem clauis*, plus ingenij habet aurum, quàm omnes claues, falsit enim earum custodias, & ridet seras. O vtinam nunquàm hujus tam exploratæ, & lamentabilis veritatis quotidiana experientia fletum, singultumque nobis eliceret.

Aurum adulterina claue ad omnia secreta penetrat.

Aurum falsat omnes claues

Cum his cohærebit, quod noster Hispanus philologus S. Isidorus lib. 14. Orig. c. 2. de Thessaliâ totidem verbis refert: *In Thessalia primum solidi aurei facti sunt, domandorum quoque equorum usus primùm repertus est.* Mira conjunctio rerum in Thessaliâ primùm inuentarum! Ibi, inquit, primùm aurea cusa est moneta, ibi primùm equorum pulli cicurati, domitâque feritate illorum natiuâ docti subdere se armentariorum disciplinæ, & passum moderari, & nunc gradario, nunc grallatorio gressu incedere. Quid arcani habere potest, quod ubi primùm auri sua moneta, ibi etiam ante, quàm alicubi, perdomiti, & frænum admittere, habenisque obtemperare condocce facti sunt equi? Eâ re dissimulãter, ac tectè indicatum fuit, ibi solùm inueniri potuisse cicurandæ arrogantiæ, & frangendæ ferociæ modum, ubi & cudendæ monetæ aureæ repertum est artificiũ. Quis enim æquè potest mansuefacere intractabiles pullos, quis æquè in omnem partẽ inflectere homines alioqui justitiæ famam affectantes, quis æquè rigorem ministrorum, etiam asperrimorum lenire, atque aurum, & argentum? *In Thessalia primùm solidi aurei facti sunt, domandorum quoque equorum usus primùm repertus est.*

Aurei solidi primũ in Thessalia facti.

Auri cudendi, & equorum domandorum ars simul in eodem loco inuẽta.

Aurum efferatissimos domat.

Non intempestiuè huc veniet, quod Artemidorus lib. 4. c. 23. his verbis affirmat;

firmat: *Rex, templum, & miles, & epistola Regis, & argentum se mutuò significant*, hoc est, ea, quæ iam enumerata sunt, tantam habent inter se similitudinis coniunctionem, vt idem sit nominare Regem, quod templum, quod militem, quod epistolam Regis, denique quod argentum. Ad declarandam auri, argentiue potentiam nihil dici potuit amplius, addam, vel aptius. Aurum & argentum rex sunt, nam vt Rex est dominus suorum subditorum, ita aurum monarcha absolutus totius Vniuersi. Est item templum, *templum, & argentum se mutuò significant*; Nam vt templum est commune asylum malefactorum à iudicibus se saluare volentium, atque vt Templo summam omnes deferunt venerationem, in eòque suarum quærunt leuamen necessitatum, afflicti solatium, inopes victum, ægroti sanitatem, captiui libertatem, peccatores veniæ gratiam, ærumnosi demùm suarum calamitatum depulsionem; sic aurum est templum hominum mundo, & seculo præsenti deditorum: *Templum, & argentum se mutuò significant.* In auro nimirùm inuenit omnis sacrilegus perfugij locum, omnis facinorosus murum, omnis flagitiosus defensionem contrà iustitiæ rigorem. Auro tanquàm templo omnes deferunt reuerentiæ cultum, & obseruantiæ tributum pendunt. Ad aurum, velut ad templum, omnes accurrunt pro miseriarum suarum curatione, & remedio. Nam qui dubiam, desperatamq; habet litem, qui scelere se obstrinxit, qui humanas, ac diuinas pariter violauit leges, dum aurum modò habeat, talique Deo se commendet, quem tam deuotè adorat mundus, facilem inuenit suorum negotiorum expeditionem, nec frustratur illum spes sua, sed quidquid, optat, obtinet. *Argentum, & templum se mutuò significant.* Sic & argentum, & miles. Nam velut ad occupandum regna, ad vindicandum iniurias, ad deijciendum muros, ad expugnandum castella, & arces semper consultum visum est vti militibus: Sic aurum est miles mundi, aurum quippe omnia vincit, omnia deijcit, omnia occupat, & inuadit, omnia consolidat, componit, conciliat, & æquat,

Aurum, & argentum rex sunt.

Aurum est templum.

Aurum omnium facinorosorum asylū.

Aurum miles mūdi expugnator.

Sic etiam *epistola Regis, & argentum se mutuò significant.* Quando iudici decretum aliquod regium offertur, vel insinuatur, quantam, Deus, tali edicto venerationem defert! Capiti suo adeò imponit, ad contestandam suam ergà illud obseruantiam, & reuerentiam. Aurum tantundem habet. Sciti, vel iussi regij simile est. Vbi præsens est, reuerentiam, adorationis etiam cultum ab omnibus habet, ita vt nemo sit, qui mandatis eius obedientiam neget, nemo qui non iussis illius hilariter obtemperet. Denique hæc omnia, & his plura est aurum, Imperator est, & Rex, & templum, & asylum, & scutum, & propugnaculum, & miles, & Chiliarchus, & supremus belli dux, & epistola regia, cui omnes obediunt, omnes primas deferunt, & tanquàm superiori morē gerunt. Hoc est, quod vulgò semper hactenùs factum, hodieque fieri, eheu, experimur. Nulla posthæc fides haberi Historicis potest, quia aurum, & assentatio etiam illos corrumpunt, vt veritatis iura detorqueant, Hodie vix vllum scelus est, vel flagitium, cuius pœnam vel non plurimùm imminuat, vel prorsùm obliteret aurum. Vt aureum illud sæculum, de quo fabulata diu fuit antiquitas, videatur esse hoc nostrum, in quo cùm tot committantur errata, vix est qui ea plectere sciat. Quanquàm & hoc præsumere possumus, esse nonnullos iudices, quos nec aurum inflectat, nec argentum subactos habeat.

Aurum & epistola Regis.

Aurum fidem Historicis detrahit.

Aureum, eheu, sæculum nostrum.

CAPVT VII.

Cùm vita sit bonorum, quæ homo habet, præstantissimum, ità nihil mirum, quod cætera omnia exponat, vt vnam illam sospitet.

CÆsarienses ciues regijs comminationibus perculsi cum intellexissent,

erogato auro posse suam de interitu redimere vitam, *singuli, quæ habebant, ad eum* (Basilium) *suis manibus alacriter apportabant, puta auri, argenti, lapidum pretiosorum immensam copiam*, vt habet S. Amphilochius. Quisque suas numorum, vasorumque thecas lætanter exinaniebat, & quidquid pretiosæ suppellectilis habebat, id promptè, gaudenterque ex abstrusioribus arculis expromebat, & offerebat, postquàm sciuit, talibus rebus eam, quæ omnium pretiosissima, vitam puta, saluare, & seruare posse. Nam vt vita bonis fortunæ omnibus incomparabiliter dignior est, sic vt eam sospites, omnes adamantes, & quidquid tale est, tanquàm scoriam, titiuillitium, sordes contemnere potes, ac debes.

Vitã quan tovis auro rectè redemeris.

Accipite in hanc rem nostri Hispani Salomonis Tostati quandam obseruationem, qui in promissis Salomoni à Deo factis aliquid annotauit suo ingenio dignum, & nostro instituto commodum. Promissa Dei fuerunt ista, sapientia, opum copiæ, & vita. *Ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens, & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam*, aiebat Dominus 3. Reg. 3. v. 12. 13 tum v. 14. hæc mox subijciebat: *Si autem ambulaueris in vijs meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos.*

In his insignis Abulensis illud animaduertit, quod Dominus Salomoni sapientiam, diuitias, gloriam absolutè policitus est, longæuam autem vitam cum onere, censu, conditione obseruandi diuina præcepta, & mandata. *Ecce quia Deus promisit Salomoni sapientiam, diuitias, & gloriam sine conditione aliqua, longitudinem tamen vitæ non promisit sine conditione, scilicet, si obseruaret præcepta Dei.* Quid est, quod sapientiam, opum affluentiam, gloriæ splendorem tam amplè, & absolutè Dominus promisit, diuturnam vitam verò tam restrictè, & nonnisi cum hac pensione, ut mandatorum diuinorum obseruatiõi studeret, si lõgæuº esse vellet?

Salomoni Deus gloriam & opes absolute longã vitã cum conditione promisit. Cur?

Huic interrogationi respondet magnus interpres ex opinione multorum: *Quia vita est majus bonum, quam cetera, ideo Deus confert alia sine conditione, vitæ autem longitudinem non.* Quando aliquid gratis, ac liberaliter datur absque onere, & gravamine, videtur non magni æstimari, quod datur, verùm quando cõditionibus, & velut censibus obstrictum conceditur, indicio est, pretiosum censeri, quod taliter offertur. Quod ergo Deus Salomoni sapientiam, diuitias, gloriam absolutè promisit, longam vitam autem non nisi cum debito accuratæ obseruantiæ diuinorum mandatorum, quæ homini secundùm carnem, & sanguinem grauis est, ac permolesta, docere nos voluit, vitam esse monilium nostrorum carissimum, & supellectilium omnium pretiosissimum, cùm cætera merè gratis data, vita verò quasi vendita pretio obseruationis legum Dei fuerit, quæ obseruatio imbecillos hominum humeros non parum grauat.

Vita majº bonum, quàm alia

Vita omnium supellectilium præstantissimum

Confirmantur hæc eo, quod Claudius Guilliaudius in cœlestis magistri Christi prædictionibus obseruare monuit. Præsagium Domini tale fuit: *Tradent vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos*; Matth. 10. v. 17. Præter hæc mala alia eisdem neque pauca, neque parua vaticinatus fuit, quæ pro doctrinæ catholicæ prædicatione toleraturi essent.

Dicit nunc Claudius: *Obserua, in tis enarrãdis periculis Christus tacet pericula mortis, ne infirmos absterreat.* Plurimas illis ærumnas, calumnias, oppressiones, ignominiosissimam adeò, acerbissimam que virgindemiam Dominus anunciauit, vitæ periculum, quod sæpe adituri erant, non commemorauit? Sed quare sacer Magister hoc tam cautè dissimulauit, & conticuit periculũ? *Tacet pericula mortis, ne infirmos absterreat.* Sciebat Dominus quàm vehementer metuerent mortẽ, idque propter vitæ nihilo remissiorem amorem, idcircò vitæ pericula silentio præterijt, ne hujus jacturâ imbecilles etiamnum perterrefaceret.

Apostolis periculũ mortis pro euangelio adeudũ cur non prædictum.

Hominis dolor maximus, qui ad mortem trahit.

Huc respiciens Charidemus apud Dionem Chrysostomum orat. 30. ajebat: *Manifestum est, quod homini nulla major agritudo, neque dolor accidere possit, quàm is, qui trahit ad mortem.* Patitur quis multis annis acutissimos, acerbissimosque calculi, podagrę, chiragrę, dentiũ aut alios similes dolores, & leui ictu, aut exiguo è vulnere demùm repentinè moritur. Quẽ grauiorem censes dolorem, eumne, qui de tam cruciabilibus malis per annos plures toleratis natus fuit, an illum, quem subitarius ictus, vel paruum vulnus adfert? Respondet promptè, atque expeditè Charidemus *Manifestum est, quod homini nulla major agritudo, neque dolor accidere potest, quàm is, qui trahit ad mortem.* Ille dolor absolutè grauior, intolerabiliorque vocari debet, qui fuit postremus, quantumuis alioqui tenuis, ac leuis, quia cum vitæ jacturâ nullum conferri malũ, nullus componi dolor potest.

Moyses quando maximè amarulentus, & indignatus fuit.

Sæpè angi Moyses, sæpè grauiter afflictari, sæpè indignari, & substomachari visus est. Hoc constituto quærit Abulensis, quâ occasione vehementissimè iratus quando maximè amarulentus, & intolerantissimè angustatus fuerit. Respondet autem, tunc fuisse, quando rusticus populus nauseâ laboravit cibi, quem cœlum è loco superiore tantâ suauitate conditum pluebat, & talia commurmurauit: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes*: Num. 11. v. 4. Tunc penè omnis illius patientia exhausta, & exinanita tolerantia fuit. A quo hoc arbitrari licet; Ab eo, quod dixit ibidem v. 15. *Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me?* hoc est, si non placet minuere onus, quo me gravat molesti, & agrestis hujus populi cura, saltem non displiceat adimere vitam, cui non vult partem adimere laboris. *In nullo loco inuenitur Moyses dixisse verba cum tanta amaritudine,* inquit Tostatus q. 51 c11 Num. Quare hæc verba plus habent amaritudinis, quàm alia ejusdem omnia? *Nam petiuit a Deo, quod occideret ipsum, si non auferebat curam populi,* Hìc verò Moyses apicem attigit iræ & indignationis. Nam cùm sua sit cuique carissima vita, & monile rebus omnibus dignius, & pretiosius, qui hoc à se impetrauit, ut eam perdere non timeat, illius dolore nihil acerbius, illius cruciatibus nihil pœnalius, illius calamitatibus nihil funestius cogitari potest, quæ faciunt, ut illius jacturam etiam expetat, cujus sospitatem curare, quibus quibus potest medijs, & remedijs solet.

Moysi mors leuior visa, quam cura populi.

CAPVT VIII.

Non placet Domino, ut quis splendeat cum aliorum obscuratione.

ACcuratiorem considerationem exposcit, quod S. Pater Basilius Clerum, populumque omnem conuocare voluit, ut conspirantibus vocibus, ac votis omnipotentis Dei auxilium contra Imperatorem atheum, conceptamque illius atrocitatem implorarent. *Præcepit Clerò, & populo omni ciuitatis ut ascenderent in montẽ in quo honoratur, & colitur Dei genitricis venerabile templũ,* inquit S. Amphilochius crebrò jam adductus. Optabat Basilius elucescere sua desideria, quæ huc ibant, ut misericorde Deo adjuvante blasphemi Iuliani tyrannica truculentia vel auerteretur, vel oprimeretur, atque vt felicem haberent vota euentum, status utriusque, hoc est, ecclesiastici, & sæcularis homines, viros, mulieres, pueros conuocabat, ut omnes communibus precibus communem mortalium patronam, communis Dei magnam Parentem in auxilium contrà desertorem, & immanẽ suæ Ciuitatis hostem aduocaret. Omnes voluit habere supplices comprecatores, ut si quid publica obtineret oratio, in omnes redundaret gloria. Noluit solus splendescere, adeò noluit etiam ceterorũm obsecrationes contemnere, ut hinc discamus lucere ad imitationem Basilij, & famam nobis bonam absque aliorum infamatione procurare, ornamenta honoris ita nobis comparare, ut ne alios suâ existimatione pudemus, non enim hoc pro-

Splendescere absque aliorum obscuratione, laudabile.

probat in seruis suis Dominus, si lucem sibi accersant, & alijs tenebras offundant.

Nouerat hoc illi, de quibus S. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 7. ait: *Apud nos sancti viri coronas suas ex alienis calamitatibus texere minimè volunt, verùm plerumque commoda sua negligunt, ut aliorũ errata corrigant, non enim ut majorem sibi gloriã comparent, alios in præceps agũt.* Non habet hoc usus virorum proborum, ut sibi ex alienarum vel miseriarum, vel ignominiarũ filis serta honoris cõtexant, nemo justus laudem sibi cum vituperio aliorum parare voluit, immò qui sancti sunt, suam obfuscare gloriam amant, ut alienam illustrent, certè neminem dejiciunt, ut ipsi sublimes evadant.

Iustus laudem sibi cum vituperio aliorum non parat.

Nostræ hujus doctrinæ patronum adscisco Magistrum cœlestem, sed prout eius factum quoddam S. Petrus Chrysologus interpretatur. Mascula mulier Chananæa filiæ suæ malè à dæmonio vexatæ salutem à Christo lachrymabiliter, & importunè cùm semel, iterumque petiisset, hoc retulit responsum: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*; Matth. 15. v. 26.

Expendit Chrysologus hanc responsionem Domini, quâ sacram piæ hujus mulieris pertinaciam excipit, inquiens: *Non dixit, non est bonum mittere canibus, sed non est bonum tollere filijs, & mittere canibus.* Sed quamobrem ita locutus est? Vt ostenderet quid habeat consuetudo domus Dei, quid usus aulæ illius, quæ non prohibet splendescere, nec vetat lucere, sed non vult gloriam uni ex ignominiâ alterius conflare, neque hunc laudibus ornare cum dehonestatione alterius: *Non dixit, non est bonum mittere canibus sed non est bonum tollere filiis.* Domus Dei non censet bonum, immò malum judicat, si quis suam famam famâ bonâ explere velit, & alijs præclaræ existimationis panem auferat. Quod aliquis celebritati suæ studeat, esto, quod quis nominis splendorem sibi procuret, tolerari potest, sed quod hoc cum aliorum probro, & dehonestatione fiat *non est bonum*, & consuetudini Domini aduersatur.

Panem filijs tollit, & mittit canibus, qui alijs famã adimit, vt sibi paret.

Comminabatur ardens propheta Elias idololatræ Regi Achab rigidum flagrum sterilitatis quadraginta; & duorum mensium, dicens: *Viuit Dominus Deus Israel, si erit annis his ros, & pluuia*; 3. Reg. 17. v. 1. Acerbum supplicium! Atrox pœna! Decreuit autem Dominus lenire animum irati prophetæ, & consopire illius indignationem, & bilem, atque ut felicem effectum sortiretur, quod misericordia, & pietas ipsius factum cupiebant, dixit Eliæ, qui absconsus latebat: *Vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ*; 3. Reg. 18. v. 1. nimirùm ut intelligant omnes, quod si pluviam tot suspirijs expetitam è regione superiore accipiant, id tuis acceptum referre Precibus, & orationibus debeant.

Quæri potest, quare voluerit Dominus, vt Rex Achab, & regnum eius per sancti prophetæ Eliæ denunciationem scirent, quod siccitatem depellere necessariâ pluuiâ, & diu arentes, ac prorsùm adustos solis ardore campos aquis rigare, & fœcundare vellet, qui vtique hoc facere, & sitientia rura copiosis perfundere imbribus poterat, tametsi per Eliam nihil tale indicasset.

Huic difficultati appositè in rem præsentem occurrit S. Ioannes Chrysostomus homil. in SS. Petrum, & Eliam, inquiens: *Poterat quidem Deus sine Elia hoc facere, sed nolebat tamen proprium famulum contemnere, ne malorum conciliatorem Eliam, bonorum autem Deum fuisse diceres.* Poterat vtique Dominus abique omni Eliæ operâ, irriguâ è cœlis, aquâ sterilitatem exaridæ curare terræ. Sed quoniam Elias ex Deo Regi Achab, & populo denunciauerat supplicium famis, & siccitatis, voluit etiam, vt idem grata compositi stomachi, & depositæ iræ suæ nuncia perferret. Nam si Deus fertilitatem reddidisset, neque id per Eliam ante significasset, Regi, populoq; exosus mansisset, & malorum, luctuosorumq; tantùm nouorum præco habitus fuisset, & si Dominus pluuiam, absq; Eliæ præsagitione, concessisset, eluxisset hinc

Cur per Eliam denunciare secuturam pluuiam Dominus voluit.

Eliæ honori consultum, cùm

proximæ pluuiæ nuncius missus fuit.

hinc Domini pietas, sed plurimùm obscurata Eliæ existimatio fuisset. Vt ergò doceret Dominus, quod nemo sibi splendorem excitare cum aliorum obfuscatione debeat, eundem prophetam voluit esse & amaræ famis denuntiatorem, & dulcis saturitatis præconem, vt hac ratione & Deus laudem haberet, & propheta suam conseruaret existimationis claritatem, gratiamque sibi & Regis, & subditorum illius sibi demereretur. Itaq; si vult Deus quenquam fieri illustrem, non vult per hoc alios fieri obscuros, quando nec ipse quidem voluit splendescere cum sui famuli obfuscatione.

Deus famam benignitatis sibi cum infamia Eliæ conflare noluit.

Quod mare miris modis, & magnis motibus concitatum fuit, quando Dei filius nostræ carnis vestitu tectus nauem inscendit, & illius possessionem velut vsurpare sibi voluit, huius causam non vulgarem S. Paschasius lib. 5. in c. 8. Matthæi apud magnum aliquem Doctorem legendo inuenisse affirmat. S. Matthæus c. 8. v. 23. 24. sic habet: *Ascendente eo in nauiculam, motus magnus factus est*: Dicit nunc Paschasius: *Legi quendam Doctorem dixisse, mare exiliens præ gaudio sui aduentum Creatoris vix ferre quiuisse, & hinc esse, quod non tempestas fuerit aurarum, sed lætitia motùs.* Addit autem statim vir sanctus: *Pia quidem intelligentia.*

Mare cō motū prę gaudio, quando Christus nauem inscendit,

Inhærentes piæ huic opinationi sciscitari possumus, cur Deus præceperit mari, ut cohiberet lætitiam, ventoque, & aquis, ut exultandi finem facerent, & gaudium suum moderarentur, prorsumque coërcerent. Sic enim dicit Matthæus ibid. v. 26. *Surgens imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* At cùm Dominus majestatis ibi tunc agnosceretur à suis creaturis, atque in hujus rei contestationem ventus illum, velut ad reuerentiam, vehementiùs adflaret, & mare suæ in illum obseruantiæ, quamcunque poterat, ostentationem faceret, assultibusque, & fluctuū crispatione illum lætanter exciperet, cur tam citò gaudiū eorū, festiuitatemq; compescuit.

Vt respondeam huic quæsito, audite, quid Euangelista dicat. *Motus magnus factus est in mari, ità vt nauicula operiretur fluctibus.* Quod undæ crispabantur, quod venti gaudio exultabant, erat quidem signum lætitiæ, quæ de aduentu, & præsentiâ Domini venerat, sed ijs motibus, & gestibus tamen in præsentaneum submersionis periculū adducebatur nauicula cum ijs, quos vehebat, Discipulis. Quid ergo tunc egit Dominus? Conquiescere lætitiæ signa, modumque, & finem imponi saltibus, & flatibus imperauit: Non enim vult Dominus, nec permittit laudari, & lætitiæ demonstrationibus honorari, vel celebrari quando hæc aliorum dispendium, pericula, jacturas, incommoda conjuncta habet: *Imperauit ventis, & mari*; ut moneret, non congruere cum suâ indole, & ingenio eos, qui alios obnubunt, ut ipsi splendeant, & præclaram sibi existimationem de aliorū ignominiâ adsciscant, & quod talia procul abeant à consuetudine domesticâ, quam Dei aula constanter obseruat.

Christus noluit honorari cū aliorum in commodo.

Ac ne quis miretur, quæ hanc in rem hactenùs diximus, audiat grauem Tullij lib. 2. Officiorum eadem de re sententiā. *Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contrà naturam, quàm mors, quā paupertas, quàm dolor, & cætera, quæ aut homini accidere solent, aut rebus externis.* At si Tullio tam enorme scelus, tam inmane flagitiū visū est, peritura bona sublegere, & fluxas opes, caducasq; facultates ferari, quàm ingens piaculū fuerit, si quis laudem, famam, nominis celebritatē depeculatur, ut in se sibi ornamenta honorum, dignitatum decora, illustris opinionis insignia conquirat.

Cōmoda sua incōmodis aliorum augere magis naturę repugnat, quam mors.

AVGVSTISSIMA COELORVM IMPERATRIX MARIA apparuit Magno Baſilio, præcepitq́; S. Mercurio martyri, vt Iuliano Imperatori apoſtatæ nefariam adimeret vitam, quod vt factum, liberata Eccleſia catholica à tam crudeli, & ſanguinario perſecutore fuit.

POſtquàm Clerus, populusq; omnis conueniſſet in ſacro templo Reginæ Angelorum, & patronæ hominum, pientiſſimamque illam Principem multis precibus ardenter obteſtati eſſent, vt eos ab atheo, ac deſertore tyranno liberaret, qui ciuitati Cæſarienſi extremam vaſtitatem, ſupremumque excidium abiens comminatus fuerat, accidit, vt diuinus Pater per viſum cerneret ingentem multitudinem cœleſtium militum certò ordine digeſtorum, & in medio eorum in excelſo ſolio formoſiſſimam quandam Dominam, quæ ſuaui vultûs ſui ſpecie magnam præſeferebat maieſtatis dignitatem, & dicebat: Accerſite huc ad me ſtrenuum martyrem Mercurium, vt abeat, & Imperatorem Iulianum, qui tam indignas impiè, ac temerariè in Filium meum iactat blaſphemias, ex animalem faciat, & contrucidet. Obtemperauit Mercurius tam iuſto potentiſſimæ Principis mandato, arripiensque lanceam, quæ in illius ſepulchro, tànquám inclytum trophæum vitæ, quàm profeſſus fuerat, ſeruabatur, Mars ex martyre factus, trans adegit blaſphemi Iuliani impium pectus, à cuius morte rediijt ſua Eccleſiæ catholicæ per id tempus ſerenitas, & omnis metus atrocis perſecutoris ademptus fuit, Cæſarienſes pro tam felici euentu læti triumphos egerunt, Magnus Baſilius gloriam maximam, & famam æternam conſecutus fuit, cuius meritis, pœnitentijs, & orationibus adſcriptum fuit, quod tam neceſſariâ acceleratione ille ſuperbus, contumax, & proteruus Imperator ſublatus è medio abijt quò tales ſolent. Hæc referunt magni autores S. Amphilochius, S. Ioannes Damaſcenus Orat. 1. de Imag. ex ſententiâ Helladij, quem S. Baſilius in Archiepiſcopatu Cæſarienſi habuit ſucceſſorem, Vincentius Beluacenſis lib. 14. hiſtor. c. 43. Nicolaus Lyranus in c. 2. Iud. in mor. expoſit, item in c. 7. Eſther, qui dicit: *Per merita B. Baſilij liberatus fuit populus Chriſtianus à perſecutore Iuliani apoſtatæ*: Hoc ipſum alij plures affirmant. Ex quo æſtimare licet excellentiam Baſilij, & gratiam, quâ apud Deum valuit, cuius orationibus, ieiunijs, pœnitentijs permotus Dominus à Iuliano impio, ſanguinario, conſceleratiſſimo, immaniſſimo Imperatore, & perſecutore, Catholicorum diro flagello liberauit. PHOE-

PHOENICIS GRÆCIÆ, S. Basilij Magni LIBER IX.

CAPVT I.

Vt quis omne suum negotium feliciter conficiat, id nullâ industriâ, studio nullo faciliùs obtinebit, quàm si augustissima Principe, Dei Parente MARIA *Duce, Stellâ, Sole vtatur.*

Magnæ Dei Matris patrocinio quãtum Basilius tribuit

CVm magnus Pater Basilius explorate notum haberet, quàm insuperabilis esset sacratissimæ Virginis Mariæ potentia, quàm valida triumphatrix illius dextra, ea propter vt sese obmuniret aduersùs furibundam iram, & atroces minas tyranni apostatæ, tantæ Imperatricis hanc ad rem vsus est auxilio. *Præcepit Clero, & populo omni ciuitatis, vt cum fœminis, & paruulis ascenderent in montem Didymi, in quo honoratur, & colitur Dei genitricis venerabile templum.* S. Amphilochius. Et cùm sanctus Pater experimento didicisset vim opitulationis MARIÆ, dicebat posteà in Liturgiâ, quam composuit: *Sanctissima & intemerata dominatricis nostra, & semper Virginis Mariæ memoriam celebrantes, nos ipsos inuicem, atque omnem vitam nostram Christo Deo commendemus.* Quos enim tam pia Mater, & potens Regina commendatos habet, ij studijs, actisque suis felicem euentum, & prosperum omnibus negotijs promittere successum possunt.

Quos Dei Mater tuendos suscepit, benè sperãt

Cùm sanctus Iob tot impugnaretur calamitatibus, tamque multis, & magnis affligeretur ærumnis, conuersus ad prouidum factorem, & supremum Patrem suum aiebat: *Pone me iuxta te, & cuius vis manus pugnet contrà me!* Iob. 17. 3. ac si dixisset. Da mihi, vt sim à latere tuo, & ego risu excipiam, lenique aspiritu difflabo omnes hostes meos, quantumuis atroces, quotquot ij contrà me coniurârunt.

Hæc patientissimi Prophetæ verba arripiens deuotus serenissimæ cœlorum Principis sacellanus Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laud. Virg. par. 1. sic ait: *Potens est Maria ad protegendum, vnde ipsi potest securè dicere seruus eius illud Iob. 17. Pone me iuxta te, & cuius vis manus pugnet contrà me.* Totus aduersùm me conspiret, armetur Infernus, dum tu modò potentissima Regina, mihi adsis, & tuæ protectionis scutum obtendas, attoniti pauebunt, & victi occumbent omnes hostes mei.

Maria potens ad protegẽdum.

Optimè expendit nobilis, & doctus diuinorum oraculorum interpres Mendoza præcipuam causam, ob quam illæ imparatæ Virgines fuerunt dictæ stultæ, & amentes: *Quinque autem ex eis erant fatuæ*; Matth. 25. v. 2. Quanam in re stultitia virginum illarum posita? Ingrediebatur Sponsus regiam aulam suã, cumque illæ tardiùs aduenientes rogarent aperiri sibi portam iam occlusam, vt ad festiua nuptiarum gaudia intrare possent, ita succlamabant: *Domine, Domine, aperi nobis*, (ibid v. 11.) ianuam, quam nostræ procrastinationis culpa nobis obserauit. Nonnè intrà imperiale palatium Sponsus, simulque Sponsa erant? Erant. *Exierunt* enim *obuiam Sponso & Sponsæ.* Sponsus Christus est, Sponsa Mater Virgo, & hac occasione diuinus Sponsus, depositis nuptialibus ornamentis, iudicis vestitum induerat. Hæc ergo fuit istarum stultitia virginum, quòd cùm ad Matrem misericordiæ tendere manus supplices possent, & voces dare, ac dicere: *Domina, Domina, aperi nobis*, iudicem appellarunt, qui iustitiam necessariò exequi, & castigare negligentiam, somnolentiamque socordiam virginum debebat. Audiamus eruditum istum Autorem, qui in 1. Reg. 4. v. 11. Sect. 1. Num. 16. ista habet: *Christus iustitiam, B. Virgo misericordiam exercet, vnde in hoc illæ virgines se fatuas præbuerunt. Nam si quem admodùm, Domine, Domine, inclamauerunt ita inclamarent Domina, Domina, illam fortas-*

Virgines quinque cur fatuæ dictæ.

Virginem Matrem virgines tardæ inuocassent, fatuæ non audijssent.

fortaßè repulsam non paterentur, quia Matris misericordia Filij iustitiam temperaret. Vbi Maria orat, vbi Maria obsecrat, vbi Maria patrocinatur, securus incedit alumnus, felix cliens progreditur, & obtinet supplex, quod optat.

Vbi Maria patrona orat, obtinet cliens supplex, quod optat.

Quis enim potentior ad quiduis impetrandum, quàm hæc cœlestis Domina? Quàm trita, & peruulgata, & accommodata ad hanc Dominam illa de Apocalypsi Ioannis c. 12, v. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim!*

Quod ex his ad præsentem nunc facit causam, est pallium, siue amictus, quo formosa, & diuina hæc Domina ornatur. Sole amictam vidisse dicit, quod exponens S. Bernardus ait: *Habes mediatricem euidenter expreßam, Mulier inquit, amicta Sole.* Quis ille Sol? Vtique Christus Dominus noster, id enim nominis illi sacræ literæ tribuunt, vt apud Malachiam cap. 4. v. 2. *Orietur vobis timentibus nomen Sol iustitiæ.* Petrus Antonius Spinellus in istis S. Ioannis verbis hoc peculiariter pensiculauit, quod dilectus Discipulus vidit Solem iustitiæ Virgini Matri suæ velut pro pallio fuisse. *Ex hac porrò visione*, inquit ille, *quâ Deipara amicta Sole apparuit, eius apud Filium intercedendi autoritas indicatur, pulchrè enim exprimitur ipsâ metaphorâ vestis.* Non potuit elegantiùs significari, quantùm autoritate & gratiâ Virgo Mater apud Filium valeat, quàm cùm dicitur pro pallio habuisse illum. *Amicta Sole.* Pallij à reliquo vestitu notorium est discrimen, hoc scilicet, quòd nullo alio indumento tam licenter vtimur, ac pallio. Quàm expeditè pallium & inijcitur humeris, & deijcitur! Quàm facilè vertitur ad omnem illius, qui gestat, lubidinem? Non ita habet res cum vestibus cæteris, difficile in illis quidquid libet, licet. Thorax, subucula, interula, femoralia, tibialia non sic obsequuntur omni voluntatis arbitratui, neq; vsum sui æquè permittunt, ac pallium.

Mariæ pallium Christus.

Pallio licentiùs vtimur, quam reliquis vestibus.

Hanc ob causam etiam Rex Propheta, ut indicaret, quàm celeriter omnipotens Deus, deficiente mundo, mutabit cœlos, aiebat: *Sicut opertorium mutabis eos;* Psal. 101. v. 17. quæ ex Hæbreo quidam, teste Folengio, sic vertunt: *Sicut pallium mutabis eos*, ad significandum Domini in cœlos imperium, quos nullo labore mutare possit, quantumuis videantur difficilè mutabiles. Quod ergo beatissima Dei Mater Sole iustitiæ Filio suo Christo tanquàm pallio amicta fertur, perinde est, ac si diceretur, neminem apud Christum valere, quantum illa valet, nec quemquam illum quouis vertere, & inclinare ad pietatem, ad deponendam iram, ad conferenda qualiacunque gratiarum beneficia posse, vt illa potest.

Maria apud Christum valet quantum alius nemo.

Id considerans B. Valentinorum Archiepiscopus Thomas de Villâ nouâ Conc. 1. de Annunciat. aiebat: *Tolle Solem, quid est in mundo, nisi tenebra? Tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat, nisi caligo?* Quando Sol lucis suæ radijs obnubit, & abscondit, quàm tristis, lugubris, & mœsta relinquitur terra! Quod autem Sol terræ, hoc mundo Maria, quem cùm radij patrocinij magnæ Dei Parentis, & lux præsidij illius destituunt, nihil reliquum habet, nisi tenebras miseriarum, & ærumnarum.

Maria Mundo, quod Sol Terræ.

Hinc factum, vt Bernardinus de Bustis Serm. 3 de Nominat. Mar. Excell. 3. diceret, in rem præsentem aptè referri posse, quod Zepherinus Papa *epist.* 1. *ad Gratian.* 2. *q.* 6. *c. Ad Romanam* dixit: *Ad eam ab omnibus, maximè tamen oppreßis appellandum est, & concurrendum quasi ad Matrem, vt eius vberibus nutriantur, autoritate defendantur, & à suis oppreßionibus releuentur, quia non potest mater obliuisci filium suum.* Ad hanc cœlestem Dominam, tanquàm communem generis nostri Parentem, perfugere omnes, sed in primis ærumnosi debent, vt ex vberibus illius hauriant patientiam in aduersis, & quarumcunque suarum calamitatum, ac necessitatum remedium, fieri

Maria hominum asylum.

fieri enim non poteſt, vt pientiſſima hæc Mater liberorum ſuorum memoriam abijciat, curam, ac patrocinium intermittat.

Hæc mouerunt Magnum Baſilium, vt opem piæ huius Matris, & generoſæ Principis imploraret, vt per eam tum ipſe, tum Cæſarienſes apoſtatæ Imperatoris Iuliani atroces minas euaderent. Cum S. Fulbertus ſecum raputaret, quàm hæc res Baſilio feliciter ſucceſſiſſet, & quàm ille tali auxilio munitus facilitet de Iuliano triumphaſſet, exhortabatur populum ſuum Serm. de Natiuit. B. Virginis, dicens: *Veniant igitur ad eam iuſti cum Baſilio laudantes, ac benedicentes, effectumque celerem ſuis ſanctis deſiderijs poſtulantes ſine dubio percepturi.* Veniant, veniant, magni Baſilij exemplo, ad hanc diuinam Dominam omnes ſerui Dei, benedictionibuſque, & laudibus illam efferant, quæ cùm ſanitatem in pennis ſuis ferat, & inuictam habeat quiduis obtinendi poteſtatem, quàm celerrimè opitulabitur ijs, à quibus inuocatur.

CAPVT II.

Sereniſſima cœlorum imperatrix Maria non ſolùm eſt ſapiens Minerua, verùm etiam bellicoſa Pallas.

Maria & ſapiens Minerua, & bellicoſa Pallas.

QVis hoc ſibi imaginari potuiſſet, quod in armipotentis Palladis titulum conceſſuri eramus, quam ſuperiori capite à pietate, magnificentiâ, & generoſâ liberalitate prædicauimus? Mineruæ nomen multam habet cum generoſæ, & clementis appellatione affinitatem, ſed bellatricis Palladis vocabulum videtur obſcurare laudem, & derogare dignitati tam ſuauis, & dulcis matris, quàm eſt Maria, Benè id habet, ſed ego hic recolo, quod Baſilio, quando eam inuocauit vt matrem, viſa eſt in ſublimi ſolio excelſis aulicis ſtipata ſedere, & hæc audita dicere. *Vocate ad me Mercurium, vt eat ad interficiendum Iulianum ſuperbe blaſphemantem Deum, & filium meum.* Ergone Maria, illa tam pia, tam indulgens Mater, etiam auſtera eſt bellatrix? Eſt. Nam vt miſericors eſt ad defendendum, ita & ſeuera ad feriendum, vt ſacra, & ſapiens Minerua eſt, & columba, quæ ramum oliuæ, pacis Symbolum, ore præfert, ſic & bellicoſa Pallas eſt, docta iuſtis pœnis eos plectere, qui ſacrilego auſu blaſphemas linguas aduersùs Filium eius exeruunt, & glorioſum nomen illius contumelijs dehoneſtare non pertimeſcunt.

Huc ſpectare videtur, quod ad tantæ Principis laudem Eccleſia vulgò accommodat, & ſapiens ex ipſius nomine affirmat, dicens: *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam;* Eccleſ. 24. v. 5 Natalis Comes, Lilius Gregorius Giraldus, Antonius Verderius ex Higino, alijſque vetuſtis Autoribus aiunt, Antiquos finxiſſe, quòd Pallas *armata è capite Iouis nata eſt, eandemque eſſe Mineruam dicunt.* Ita Natalis lib. 4. c. 5. Pallas, vt volunt, arma excogitauit, Minerua artem inuenit exprimendi ab oliuis olei, quod celebre, & peruulgatum eſt pacis, ac miſericordiæ Symbolum. Ergo ſi Pallas eadem, quæ Minerua, vni illi arma, oleumque ferre accepta debemus. Dicit nunc cœlorum Regina: *Ego ex ore Altiſſimi* velut Pallas quædam, & Minerua *prodiui.* Nam ſi Minerua inuenit oleum, quod ſignificat pacem, clementiam, miſericordiam, hæc ſacra Domina reperit pacem, benignitatem, & gratiam, quod cœleſtis paranymphus his verbis ad illam dixit: *Inueniſti gratiam apud Deum,* Luc. 1. v 33. Eadem hac Domina eſt etiam Pallas, quæ armata bellatrix naſcitur, vt omnes intelligant, quòd illa, velut habet viſcera Matris ad propugnandum ſuos, etiam bellatricis habet ardentes Spiritus, quibus ſubigat, & conficiat eos, qui catholicis aduerſantur partibus.

Pallas armata è Iouis capite nata. Pallas arma, olei exprimédi artem Minerua inuenit.

Non malè cohærebit cum his illud Prophetæ Ieremiæ, qui de populo Iſraëlitico loquens, ſic ait: *Dereliquit quaſi leo vmbraculum ſuum, quia facta eſt terra*

Columbæ iræ quænam,

eorum

eorum in desolationem à facies iræ columbæ; Ierem. 25. v. 38. Hæc postrema verba ingentem attulerunt Interpretibus laborem, & difficultatem constituendi, vel definiendi, quæ nam ea sit columbæ ira, dequa hic Propheta loquitur. Multi ajunt, hanc columbam fuisse Nabuchodonosorem. Ita S. Hieronymus, Nicolaus Lyranus, & alij plures. Alphonsus à Castro, Maldonatus, Mendoza. Hieronymus à Prato cum alijs asserunt, quod Chaldæi in suis vexillis pro insignibus habebant columbam, vt aquilam Romani. Et quoniam Nabuchodonosoris signa præferebant columbam, idcircò ille talis auis nomine donatus fuit. Iam hîc necessum est statuere, qualibus insignibus notata fuerint vexilla populi Israelitici. Abulensis in c. 2. Num. ait, quamlibet Tribum habuisse sua propria, & peculiaria insignia, quibus secerneretur ab alijs, Tribus Iuda pro insignibus habebat leonem, secundùm quod Iacob dicebat: *Catulus leonis Iuda*, Gen. 49. v. 9. Ex hâc doctrinâ transeamus ad expositionem superiorum verborum: *Dereliquit quasi leo Vmbraculum suum*, hoc est, populus Israel latibulum suum, & sylvestre hospitium suum deseruit eum, quando non voluit obedire Domino nec præcepta ejus obseruare. Tribus Iuda ea est, quæ superbi leonis instar ausa fuit aduersus Deum insurgere. Quid hinc consecutum? Vt illam vastaret, ac destrueret columba, à quâ id mali minimè expectabat. *Facta est terra ejus in desolationem à facie iræ columbæ*; quod ex commentatione Casparis Sanchez in hæc verba perinde est, ac si dictum fuisset: *Qui quasi leones sunt; aut quasi leones se insuperabiles esse sibi blandiuntur, à facie columbæ stupefacti, ac domiti proprias deserent sedes.* Nouit Dominus facere, vt columba transformetur in aquilam, in Palladem Mineruа conuertatur. Maria certè & Minerua est, & Pallas, neque columba solùm, verùm & aquila, quæ vt ramum oliuæ offert, ita etiam nouit micantem gladium stringere, & vltrici ferro blasphemos è medio tollere.

Chaldæorum insignia columba. Nabuchodonosor columba,

Leonem pro insignibus habuit Tribus Iuda.

Nonne hoc facet Sponsus affirmat, cùm ait: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Cant. 7. v. 1. Ea verba sic transferunt alij ex origine Græcâ: *Quid intuebimini in Sulamitide, quæ venit sicut chori castrorum?* In hæc Theodoretus ita disserit: *Ecce venit sicut castrorum chori, quæ quidem verba videntur inter se quodammodò pugnare, neq; enim castris conueniunt chori.* Nomen, actaq; omnia Sponsæ contradicere videntur ijs, quæ de illâ dicuntur, aut in illâ conspiciuntur. *Sulamitis* nomen est, quo appellatur: Sulamitis auram pacificam, quietam columbam significat. Ex aliâ parte dicitur, quod venit sicut chori castrorum, seu bellicosorum exercituum. Sed quid choris, & castris? Si choros Sponsa referebat, quomodo castra repræsentabat? *Neque enim castris conueniunt chori.* Chori, quod res ipsa loquitur, sunt Symbolum pacis, consensûs, quietis, castra verò & turbulenti, truculentique exercitus, tentoria, papiliones (quis enim dubitet?) sunt hieroglyphicum inquietis, confusionis, iræ, furoris. Dicit nunc Theodoretus: Si Sponsa est Sulamitis, siue pacifica, quomodo bellatrix? *Quid videbis in Sulamite, nisi cohors castrorum?* Si columba est, quomodo aquila? Si chorus pacis, quomodo ferox exercitus? Diuina hæc Domina Maria omnia illa est. Minerua, & oliua est Ecclesiæ, Pallas & gladius blasphemis: Mansueta columba est Christianis, bellatrix Aquila hæreticis: Chorus est humilibus, exercitus obstinatis apostatis: Vmbra derelictorum, terror insolentium. Hoc apostata Iulianus, vt nolit, testari debet, quem magnæ Matris Virginis jussu inclytus martyr Mercurius, tanquam validus miles, hastâ confodit, & secundùm pectus transverberans, funestâ clausulâ vitam illius blasphemam finiuit.

Maria & chorus est, & castra.

CAPVT III.

Ex famulorum probitate præclara dominorum fama maximè elucet.

APparuit augustissima cœlorum Regina clarissimis comitata, & stipata viris. *In medio residentem quandam in throno præclaro in habitu muliebri vidit Basilius, dicentemque viris eximiis, qui proximè illi adstabant &c.* S. Amphilochius. Quod tam illustribus viris septa visa fuit beatissima Dei Parens, id factum vt hinc acciperent Principes, & Magnates, quid facere debeant, vt verè Principes, & magni censeantur, & hominum proborum, virtutisque studiosorum famam in mundo obtineant. Est autem illud, vt attendant, quos ab officijs habeant, qualem familiam, quos domesticos, vel seruos, ex horum namque probitate, aut peruersitate plerumque æstimari dominorum integri, aut corrupti mores, vitia, seu virtutes solent.

Dominorum vita de famulorum moribus æstimatur.

Quando cœlestis Magister præcepit Discipulis suis, Matth. 5. v. 16. dicens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona;* fortean tunc voluit, vt futilem sibi, inanemq; apud homines gloriam conflare studerent? Quis sibi hoc de acerrimo humilitatis assertore persuadeat? Quo fine ergo voluit conspicua fieri vulgo hominum, bona opera Discipulorum? *Vt glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Sed quid gloriæ in Dominum ex operibus Discipulorum bonis redundare potest? Id S. Ioannes Chrysostomus dicet, qui homil 10. Operis imperfecti habet: *Disciplina Domini ex moribus familiæ demonstratur, nec potest Dominus bonam opinionem habere, qui malam familiam habet.* Quod ergo Dominus noster Discipulis suis bonorum operum vsum, exercitationemque tam vehementer commendauit, id non propter illorum vtilitatem tantùm, sed etiam ob suam existimationem fecit. Nã cùm sit more communi receptum, quod de familiæ, domesticorumque vitâ censeantur Domini, sicut probi nomen retinere non possit, qui improbos retinet seruos, id circò cælestis Magister tantoperè commendauit Discipulis, vt suorum operum spectatores admitterent, & conscios esse permitterent homines, vt illi sua inde gloria, fama, existimatio augesceret: *Vt videant, & glorificent.* Nisi enim ità res haberet, nunquàm Dominus, vt monet idem Chrysostomus, per ... vrbani Prophetæ diceret: *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes;* Isa. 52. v. 2. sic enim ille hæc verba legit. Scelerata peruersorum Iudæorum vita faciebat, vt Gentes nomen Dei blasphemarent, nam cùm ille talium hominum Dominus diceretur, horum contaminatis moribus nomen illius sacrosanctum, & famæ splendor obscurabatur, impossibile enim videtur, vt sit bonus Dominus, cuius sunt tam mali famuli: *Nec potest Dominus bonam opinionem habere, qui malam familiam habet.*

Dominus bonã opinionem habere nõ potest, qui malam familiã habet.

Etiã Deus de bonis suorũ Discipulorũ operibus vult glorificari.

Bonus Dominus esse non potest cujus sunt mali famuli.

In hanc rem non sine exiguâ elegantiâ ita cecinit S. Gregorius Nazianzenus Carm. 63:

Nũcius vt flos est fructus, vt veris hirũdo
Nuncia, sic famula judiciũ est Domina.

S. Hieronymus Nazianzeni Discipulus tantundem affirmat epist. 8. 9. & 10. his verbis: *Mores, & studia Dominarum plerumque ex ancillarum, & comitum moribus judicantur.* Quales quæque Domina habet famulas, talis ipsa plurimùm esse solet, vt facilè sit ex harum moribus vitam illius arbitrari.

Dominæ judicium famula, veris hirundo.

Admirabilis quædam Ezechielis visio validè nostram confirmabit assertionem. Vidit S. Propheta triumphalem currum, quem magno impetu quatuor trahebant animalia. Vix hos triumphalis currus ductores viderat Ezechiel, quãdo dicebat. *Hæc visio similitudinis gloriæ Domini;* Ezech. 2. v. 1. ac si dixisset: Si quæ haberi potest similitudo, aut imago gloriæ, & magnificentiæ Domini ea est, quam attonitus splendore perculsis nunc usurpaui oculis. Quanã de re potuit æstimare Propheta, quod ibi vidisset expressam,

vel

vel delineatam gloriam Domini? Quænam cospexit signa, vel inditia imperialis majestatis illius? Attendite, quæ dicam, inquit S. Macharius. Qui nam eum currum ducebant? *Facies hominis, & facies leonis, facies bouis, & facies aquilæ*, Ezech. 1. v. 10. Homo, leo, bos, aquila, trahebãt currum. *Aquila*, inquit S. Macharius homil. 1. *inter cæteras aues principatum obtinet, & leo inter feras, taurus autem inter animalia mansueta, & inter creaturas homo.* Cœlestium creaturarũ illustrissimæ hunc ducebãt currũ. Aquila in aëris liberâ regione suprà omnium auiũ sedes suum, habet collocatũ solium leo suo principatu in syluæ incultis recessibus gaudet, inter bruta, quæ nobiscum consueuerunt, laboriosus bos sceptrum tenet, homo sublunarium creaturarum rex est. Dicit nunc Macharius. Nonne hunc currum ducebant optimi famulorum, quotquot mundus habet, quique suo modo reges, & principes erant? Quomodo ergo dubius, aut ignotus esse potest, qui eo curru vehebatur? *Hæc visio similitudinis gloriæ Dei.* Domini gloria illo circumferebatur curru. Nam si de seruorum probitate, & qualitate censeri virtus, magnificentia, & conditio Domini solet, palam est Dominum Dominorum fuisse illum, quem tam illustres, & insignes famuli ducebant, colebant, stipabant.

Dominum Deum Ezechiel de seruorum illius qualitatibus agnouit,

Accommodatè ad hunc sensum intelligemus quędam difficilia Apostoli verba, qui inter varia, quibus ornatum Episcopum cupiebat, etiam hoc in illo desiderabat, ut *filios* haberet *subditos cum omni castitate*, 1. Timoth. 3. v. 4. De quibus filijs ibi loquebatur Apostolus? S. Hieronymus ait, hocloco intelligi posse vel legitimos filios, vel spirituales, quos per Euangelium genuerit, quales Paulus genuisse, 1. Cor. 4. v. 25. dicit. Sed quid sibi vult, quod Apostolus Episcoporum filios optabat subditos *cum omni castitate*? Respondet S. Hieronymus Paulum desiderasse in Episcoporum filijs subjectionem cum omni castitate, *non enim sufficit Episcopum propriam habere pudicitiam, nisi ea filiorum, & comitum, ac ministrorum pudore decoretur, dicente Dauid: Ambulans in viâ immaculatâ hic mihi ministrabat*; Psal. 100. Hæc ille lib. 1. aduersùs Pelag. c. 8. Non putabat Paulus satis pudicum Epispopum, nisi haberet filios, famulos, domesticos omnes, castissimos, quemadmodùm & Dauid nullum habebat ab officijs, qui non haberet præclaram ex vitæ integritate famam, nimirùm sapiens rex in eâ erat sententia, quod facilè Domino sua collabesceret existimatio, quam intaminati seruorũ mores non sustentarent.

Episcopus non satis castus, nisi castissi-

mam habeat familiam.

Dominorum ruit existimatio, nisi seruorum bonis moribus sustentetur.

Opportunè huc veniet, qvod idem Apostolus dicit, cùm de veteribus Patriarchis loquitur, qui tam affectuosè, & religiosè Deum tum adorarunt, tum coluerunt. *Non confunditur Deus*, inquit Heb. 11. v. 15. *vocari Deus eorum*, immò tantæ gloriæ ducit, quod sit talium famulorum Dominus, ut nihil sit in sacris literis magis vulgatum, quàm vocari Deũ Abraham, Isaac, & Iacob. Sed quid est, quod *non confunditur vocari eorum Deus?* Subdit mox Paulus: *Parauit enim illis ciuitatem.* Eane verò causa est? Bona, & mystica admodùm. Audite quid Ioannes de illâ ciuitate dicat: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*; Apocal. 21. v. 27. Contaminatis iterclusus est omnis in eã ciuitatem aditus. Hanc autem DEVS illis beatis Patriarchis paratam habebat ciuitatem, ergo puri erant, & vita illorum iṁaculata, & intaminati mores. Talium *non confunditur vocari Deus*, qui tam erant puri, & mundi, ut mererentur esse ciues cœlestis istius, Ierusalem, & tam non erubescit illius modi famulos, ut etiam plurimùm glorietur, quod sit eorum Dominus. Serui enim virtutum studiosi, & honestis, ac laude dignis moribus præditi gloriam, & præclaram existimationem pariunt suis Dominis, de quo ille tam discretus, quàm catholicus Politicus sic ajebat: *Adornatum palatij credimus aptas dignitatibus personas eligere, quia de claritate seruientium crescit fama dominantium.* Ita Cassiodorus lib. 4. epist. 3.

Deus sępe gloriatus seruis Abraham, Isaac, Iacob.

Adornatum Palatij spectat claritas seruiẽtiũ.

CAPVT IV.

In summo felicitatis monte ne auerte oculos a valle miseriæ, & in ima ærumnarum valle ne despera ascensum in altum.

EXcelsa cœlorum Imperatrix visa est Basilio in sublimi solio vestem induta muliebrē. *Vidit in medio residentē quandã in throno præclaro in habitu muliebri.* S. Amphilochius. Quod vestem fœmineam tam gloriosa Domina detulit, hoc tale fuit, ac si dictum, non nimis pretiosè ac sumptuosè vestiisse. Omninò tale fuit, quo & tacitè moniti sunt, qui editiora loca, & sublimes dignitatum sedes occupant, ut in superiore felicitatis cacumine vestitu utantur vulgari, tanquàm ij, qui è fastigio sublabi queant, atque è contrà, ut qui in humili jacent, non desperent posse in altum emergere. Nemo enim debet jactanter præfidere, in cacumine gratiæ, vel autoritatis positus, eò quod inde decidere possit, ex aduerso etiam nemo inualidus inter aduersa despondeat animum, eò quod demùm felicitari possit, nam ut in hac vitâ potest esse prosperitas constans, ita & calamitas non perdurabilis.

Felix nemo præfidat, miser nemo desperet.

Quàm benè hoc dixit Cordubensis philosophus Seneca in Præfat. lib. 3. qq. naturalium inquiens: *In secundis nemo confidet, in aduersis nemo deficiat, alternæ sunt vices rerum, Regna ex infimo coorta suprà imperantes jacuerunt, vetera imperia in ipso flore cecidere.*

Confirmatur hæc doctrina ijs, quæ rex Abimelech dixit sanctoPatriarchæ Isaac, quando illum, ut pro virtutum splendore venerabatur, ità fœderatum amicitiâ habere cupiens commonefaciebat rerum, & causarum, quæ ipsum ad fœdus sanciendum mouere poterant, in quibus hæc una erat: *Nec fecimus, quod te læderet, sed cum pace dimisimus auctũ benedictione Domini*; Gen. 26. v. 29.

Litera Hebræa commoda est nostro proposito, quæ sic habet: *Tu nunc es benedictus Domini*, hoc est, tu hoc tempore es gratiosus, & intimus Dei, & illum habes beneuolenter addictum. Antonius Honcala in ea verba sic differit: *Quanquàm nos tibi in præsenti nocere non possumus, tamen quia tempus est futurum, in quo forsan ut homo in pecatum cadas, prudentia tua circumspectissima erit, in die bonorum, meminisse malorum.* Quod te singulariter Domino gratum, & unicè dilectum cernimus, id facit, ut impensiùs colamus, & obseruemus, pacē offerentes perquàm honorificam, consultum tamen fuerit recordari, quod homo sis, qui in peccatum incidere, & excidere Dei gratiâ queat, adeò pro eximiæ tuæ prudentiæ magnitudine facilè dispicies, quàm tibi utile futurum, si amicitiam non asperneris, non refutes Regis, qui nunc se tibi tàm demissè inclinat, si fortè in eum aliquando statum delabaris, in quo nostri indignus erit auxilij, & præsidij. Magnæ, & variæ sunt rerum præsentium vicissitudines, & in horas permutantur sortes, ut qui hodie supplex obsecrat, cras felix dona concedat, qui heri cum supercilio subditũ morosus spectabat postridie subjectus humiliter, ac reuerenter suspiciat eum, quem despiciebat pridie, manusque illius imploret, cui suas negarat. Quare pulchrè, ac verè dictum à Chrysostomo Orat. de S. Eustac. to. 5. *Neque tuta celsitudo, neque stabilis est dejectio. Hic ob res secundas in altum euehitur, ille verò propter res aduersas profundè ad modùm deprimitur, verùm nec infletur ille, nec animum iste despõdeat, quippe celerrimam singuli mutationem sortiuntur,*

Felicitati non præfidere monitº Isaac.

Theodoretus obseruauit in cantico, quod tres illi strenui Pueri in medio ardentium flammarum Domino sciтè, suauiterque modulati, multa ad symphoniacum chorum, concelebrandumq; cantu Deum conuocarunt, quorum sunt præmodùm aduersæ, repugnantesque conditiones, dicentes: *Benedicite frigus, & æstus Domino, benedicite noctes, & dies Domino, benedicite lux, & tene-*

bra Domino; Dan. 3. v. 66. 67. 71.

In hanc rem sic dicit Theodoretus: *Tres illi pueri creaturam omnem prouocantes ad laudes diuinas, diei noctem coniunxerunt, & lumini tenebras addiderunt*. Sed quid mysterij habere potest, quod ad communes Deo laudes concinendas aduocatæ fuerunt res tam pugnantes, & mutuò infestæ, quàm sunt calor, frigus, nox, & dies, lumen, & tenebræ? Nam vt Apostolus ait: *Quæ conuentio lucis ad tenebras?* 2. Cor. 6. 15. Quid est, quod ad Deum benedicendum fœderantur, & concurrunt, quorum alioqui nulla est consensio, aut communicatio? Causa ea fuerit, quam Clemens Alexandrinus lib. 3. Strom. indicauit, dicens: *Sicut mundus componitur ex contrarijs, nempè ex calido, & frigido, ita etiam ex ijs, qui dant, & ex ijs qui accipiunt*. In mundo neq; frigus constans est, neque perdurabilis calor. Iam frigus superat, iam calor præualet, hyemi ver succedit, & vernum tempus hyemalis bruma subsequitur. Tale quidpiam videas etiam in vitæ statibus. Quidam nunc accipiunt, dant alij, quidam imperant, alij obtemperant, quidam beneuolentes, & addictos, alij offensos, & alienos à se habent Principes. Ex aduerso fit, vt qui heri valebant gratiâ, hodie minimè sint grati, atque vt nunc iussa capessant, qui nuper dabant, & vt serui euadant in dominos, dominique seruorum suorum fiant famuli. Cùm hæc secum reputarent famuli, pientes illi Pueri, ad diuinas laudes aduocabant res sibi aduersissimas, quales sunt frigus, & æstus, nox, & dies, lux, & tenebræ, tanquàm dixissent, & monuissent, vt se mutuò constanter aspicerent obscurus, & illustris, magnus, & paruus, seruus, & dominus, diues, & inops, gratiosus intimus, & inualidus mediastinus, vt neque hic desperet, neque ille præfidat, & neque opulentus immoderatè extollatur animo, neque suum despondeat inops. *Prouocantes ad laudes diuinas, diei noctem coniunxerunt, & lumini tenebras addiderunt*. Sic debent, quæ opposita sunt, iuxtà se poni, vt pauper videns diuitem confidat posse opulescere, & diues conspiciens tenuem non putet ad incitas redigi non posse, & deiectus non desperet resurrectionem, & lapsum timeat, qui locum sublimem tenet.

Lux tenebræ, frigus æstus cur ad laudes Dei conuocata

Felicitati non præfidere monit⁹ Isaac.

In Mundo nihil constans.

Diues, & inops, humilis, & celsus mutuo spectent, ut nemo vel desperet vel præfidat.

Quàm præclarè exemplo suo, & opere doctrinam hanc nostram cœlestis Magister tradidit, de quo Matthæus quidem ait, ascendisse in montem, & sedisse, Lucas verò descendisse de monte, & stetisse. *Ascendit in montem*, inquit Matth. 5. v. 1. *& cum sedisset* &c. Et Lucas 6. v. 17. *Descendens* cum Discipulis è monte *stetit in loco campestri*. Admirandæ actiones, quæ tametsi mutæ, nostram prædicant, & confirmant assertionem. In summo monte consedit Dominus: *Et cùm sedisset*. Quid est sedere? Submittere se, & humiliare. Sic affirmant Augustinus, Beda, Hugo Cardinalis: *Sedere*, inquiunt, *humilitatis est*. Et quid egit Dominus, postquàm in humilem campum descendit? *Stetit* in pedes erectus. Et quid *stare* significat? Firmitudinem, constantiam, idque tam in profanis, quàm in sacris literis. Videndi ex profanis Cicero, & Seneca. Sacris literis vsitatissimum illud significatum. Hoc loco vnum illud ex Paulo depromptum exemplum sit nobis plurium instar. *Qui se existimat stare, videat ne cadat*; aiebat ille 1. Cor. 10. v. 12. Qui stat, hoc est, qui floret, secundoque prosperitatis vento feliciter nauigans prouehitur, attendat, & solicitè curet, ne impactâ in scopulos naui iacturam felicitatis omnis faciat. Quod ergo Dominus in monte sedit, in valle stetit, id fecit, vt ijs mysticis actionibus doceret, eum, quem beneuolentior fortuna in prosperitatis montem eduxit, vt stet, meminisse debere, quod humiliari possit, ac deturbari, vt sedeat, eum verò, quem sua infelicitas in calamitatum vallem abiecit, in pedes se erigere, ac stare debere, non desperare neque deficere animo, cùm meliora

Christus cùm in montem ascendit sedit, cum descendit, stetit. Quo mysterio?

fieri possit, vt vnus quidam felicitatis fluctus ex ærumnarum valle in montem prosperitatis illum efferat, & exaltet. Audiendus Seneca epist. 106. cuius verba sunt quoddam quasi interpretamentum actionum Domini nostri. *Si sapis, alterum alteri misceas, nec speraueris sine desperatione, nec desperaueris sine spe.* Quod diceret voluit, tale est. Cùm in editiorem locum perueneris, sede, humilia, & submitte te, cogitans, quod cadere possis: Quando in aduersitatum valle ærumnis exagitaberis, sta fixo mentis vestigio, & spera posse in montem prosperitatis penetrare. *Ascendit in montem, & cùm sedisset* &c. *Descendens* de monte *stetit.*

Nec spes sine desperatione sit, nec sine spe desperatio.

Capvt V.

Quod semel factum corrigi non potest, id attentè ante considerandum, quàm fiat.

Decreta fuit mortis sententia in crudelem apostatam, & Imperatorem Iulianum, & supplicij executor nominatus inclytus martyr S. Mercurius. *Vocate ad me Mercurium*, aiebat generosa cœlorum Princeps, *vt eat ad interficiendum Iulianum superbè blasphemantem Deum, & filium meum.* Non statim atque descendit diuina Regina, necem iussit inferri blasphemo desertori Iuliano, sed fidum iustitiæ ministrum priùs ad se accersiri imperauit, vt velut deliberaret de sententiâ, quam aduersùs consceleratum Principem pronunciatura erat. Id nobis pro tacito hortatu fuit, vt si ad res alias quaslibet multâ discretione vtimur, & maturo consilio, ad eas quantam possumus maximam vertamus attentionem, & animi circumspectionem, quæ cùm semel perpetratæ fuerunt, nullo deinceps curari, aut emendari possunt remedio.

Maturo consilio pensa, quod sẽel factũ emẽdari nequit.

Hoc est, quod prudentissimus ille Senator Cassiodorus lib. 7. epist. 1. dixit: *Cunctator esse debet, qui iudicat de salute.* Causam dicti subijcit, dicens: *Alia sententia potest corrigi, de vita transactum non patitur immutari.* Atque vt sine remedio est, quod hac in parte semel actum, ità necessarium est, vt diligentissimè, & attentissimè consideretur, antequàm fiat.

Sit cunctator, qui de salute iudicat.

Dignum notatu est, quod cœlesti Magistro cum Scribis, & Pharisæis infensissimis hostibus suis accidit, quando illi sinistrâ intentione obtulerunt miseram mulierem in flagranti adulterio deprehensam. Damnaturus erat accusatores illos, à quibus cùm instigaretur, vt suam de perfidioso thori violati scelere proferret sententiam, *digito scribebat in terra*, Ioan. 8. v. 6. Cùm autem cœpto perseueranter insisterent, pertinaciterq; vrgerent, vt suum de interceptæ adulteræ flagitio, exprometet arbitrium, *iterùm se inclinans, scribebat in terra*, ibid. v. 8. Quare semel, iterumque scripsit in terra, plusquam contra hostes suos pronunciaret? Indignum certè videtur tam sapiente iudice bis scribere, antequàm semel proferat sententiam.

Per commodè in rem nostram satisfaciet quæsito venerabilis P. Simon de Cassia lib. 4. in euang. c. 11. vbi habet ista: *Quod bis scripsit, à præcipiti sententia cautos voluit esse rectores, ne citò proferant, quam reuocare non possunt.* Tum addit: *Quando lædit infamia, seu cruciat pœna sensibilis, ante discutiendâ sunt iura, quam sententia proferatur, prius ex certo possibili sciatur, quàm ex ore iudicium exeat, nam vita hominum per hominem non refunditur, cùm aufertur, nec sine stigmatibus resarcitur caro decisa, & abscissum membrum veram imaginem non resumit.* Quando infamia timetur, & honoris detractio, quando de capitis pœna, vel alteriùs membri demutilatione agitur, leges ante animo tranquillo, & omni maleuolentiâ vacuo quàm diligentissimè excutiantur, & consulantur, quàm ad sententiam procedatur, nam vitam semel perditam reparare non potest iudex, qui adimi iubet, deturpata fama diffi-

Christus bis scripsit in terra, ut doceret non præcipitare sententiam.

Iudex diu ante deliberet, quã de fama, vel capite pronunciet.

difficilè repurgatur, & emaculatur, & mutilata, siue decurtata caro rursum corpori reliquo adiungi sine toleratæ offensionis noticia, vix potest. Quare necessaria est iudici diligentissima attentio, & maturissima vigilantia, quando aliquid est ablaturus, quod restituere deinde non possit.

Verborum suorum attēti obseruatores viri iusti.

Cùm viri iusti conditiones nobis exponeret Propheta regius, illius, qui Deum timens ad amussim legum ipsius incedit, sic aiebat: *Disponet sermones suos in iudicio;* Ps. 111. v. 5. ac si dixisset. Inter cæteras virtutes, quæ virum iustum plurimùm ornant, & conuenustant, vna hæc magnam laudem promeretur, quod verba sua magno iudicio quàm attentissimè disponat. Antonius Flaminius, & alij legunt: *Disponet res suas in iudicio.* Quid est disponere res suas? Apud nos vsus obtinuit, vt ille dicatur res suas disponere, qui testamentum condit, in vitam suam, factaque, & infecta inquirit, conscientiam ad examen vocat, & in ordinem redigit, vt qui se ad mortem præparat, quàm nonnisi semel subire contingit. Secundùm hæc quid sibi vult, quod vir iustus, quando locuturus, quando verba ab ore emissurus est, ad ea pronuntianda non aliter se disponit, quàm si res suas ad mortem obeundam compararet? *Disponet sermones suos, disponet res suas.*

Iustus verba sua disponit, ut res suas omnes cū se ad mortem comparat.

Verbum temerè prolatum totas domos subuertit.

Huic dubitationi satisfaciet diuinus Chrysostomus, cuius sunt ista ex homil. de Silentio in Append to. 6. *Verbum temere prolatum integras sæpe domos subuertit, & quidem pecuniæ iacturam reparare licet, Verbum autem semel elapsum recuperare denuò nemo potest.* Conuenit verbo prolato cum proiecto lapide. Qui lapidem arripit, potest illum retinere, aut relinquere, at postquàm semel violenter proiecit, sistere illum, aut moderari ampliùs non potest. Ita verbum labiorum vallo contineri potest, at semel emissum reuocare intrò non licet. Vir ergo Deum timens dum considerat, irreuocabilem esse sermonem prolatum, priusquàm loquatur, examinat in suæ discretionis tribunali, & pensiculat sua verba antequàm ab ore dimittat, eaque tam solicitè trutinat, quàm solet alius, qui res suas ad mortem comparat. *Disponet sermones suos in iudicio. Disponet res suas. Verbum enim semel elapsum denuò recuperare nemo potest.*

Verbum prolatum, & lapis projectus reuocari, vel retineri nequeunt.

Illustrem confirmationem assertum nostrum ab eo accipiet, quod Angelorum Dominæ cum paranympho cœlesti accidit. Audiuit illa se tanquàm mulierum principem salutari, cùm Gabriel talia dixit: *Benedicta tu in mulieribus;* Luc. 1. v. 28. Tam insolenti salutationi non respondit verbis, sed verecundi vultus rubore, & turbatione: *Turbata est in sermone eius;* ibid. v. 29. Sed quando illud prætereà audiuit: *Ecce concipies in Vtero, & paries filium,* ibid. v. 31. à turbatione in verba erupit, & virgineâ cum admiratione dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam Virum non cognosco,* ibid. v. 34. & nuncupato voto perpetuæ integritati me obstrinxi? Hîc dubitatio exurgit, quamobrem sacratissima Regina non æquè in verba prorupit quando se benedictam in mulieribus salutari audiuit, ac cùm in vtero concepturam, & filium parituram intellexit, nam quando tam & honesta, & secreti recessus amans puella labra, alioqui plerumque clausa, in verba explicat, id animi vehementer concitati ingentes motus indicat.

Respondeat quæsito Richardus à S. Laurentio, qui lib. 4. de Laud. Virg. sic habet: *Quia benedicta dicebatur inter mulieres, quæ inter Virgines semper optabat benedici, ideò cogitabat qualis esset illa salutatio. At Vbi in promissione filij manifestum patuit Virginitatis periculum, non potuit dissimulare quin diceret, quomodo fiet istud, quia Virum non cognosco?* Quod honestissima, & pudicissima domicella solum turbata, sed nihil locuta fuit, quando benedicta in mulieribus salutabatur, & non in virginibus quarum tamē ordini, & statui, voto se perpetuo addixerat, id factum, quod eatenùs à pericu-

Maria cur nihil locuta, quando salutata.

Maria locuta, quādo concepturam

audiuit, quia virginitati timebat.

periculo aberat virginalis integritas: Verùm quando illi dictum fuit, quod conceptura in vtero, atque editura filium esset, iam continere sermonem non potuit, nec facere, quin silentium abrumperet, & attonitæ similis diceret: *Quomodo fiet istud?* Sed cur hac ex re tam vehementer concitata fuit? Quia virginalis integritatis iacturam, quæ resarciri nunquàm potest, ex ijs promissis diuina Domicella timebat, itaque dicebat: *Virum non cognosco.* Si cum virginitatis offensione filium conceptura sum, *Virum non cognosco.* Si mater futura sum, nec per mansura virgo, *Virum non cognosco*, nec vnquàm admisero. *Vbi in promissione filij manifestum patuit virginitatis periculum, non potuit dissimulare,* quin talia velut diceret: Quod me salutant benedictam in mulieribus, & non in virginibus, in quibus tamen esse, & perdurare in annos vitæ supremos desideranter cupio, id mihi turbationem adferre potuit: Verùm quod mihi conceptus denunciatur, qui fieri nequit sine manifesto periculo sigilli, quod semel violatum redintegrari nunquàm potest, res est, quæ attentam exposcit considerationem. Ita quantâ maximâ fieri potest, diligentiâ examinari debet, quidquid illud semel dictum, vel factum nullo studio emendari, nullo curari remedio potest.

Capvt VI.

Plus pietatis habet, quàm iustitiæ, cùm vita cuiquam adimitur, qui animæ mortem incurret, si corpore diutius viuat.

DEnique cœlorum Regina mortem perfidioso Imperatori, & ministrum, qui inferret, decreuit. At cùm illa sit, quod à nobis persæpe vocatur, mater pietatis, quomodo mortem decernere, & tam grauiter exasperare animum suum aduersus Iulianum potuit, vt diceret, *Vocate ad me Mercurium, vt eat ad interficiendum Iulianum superbè blasphemantem Deum, & Filium meum?* At si rem probè dispicias, comperies nunquàm magis piam, nunquàm magis indulgentem, & addictam fuisse Augustissimam Principem, quàm sub id tempus fuit. Quando enim magis pius est etiam Dominus noster, quam cùm vitam eripit peccatori, tyranno, blasphemo, qui nullâ vnquàm malefactorum suorum pœnitentiâ ducetur? Nam si quis flagitiosus, quò diutiùs viuit, eò plus delinquit, & acerbiorum pœnarum se reum facit, beneficium magis, quàm supplicium vocari debet, pietatemque magis, quàm austeritatem redolebit, si tali cuipiam vitæ stamen abrumpatur, aut præscindatur: Velut ingens, & singularis gratia est, si justus diu viuere sinatur, vt meritorum magnas copias comparare queat.

Maria etiam tunc pia mater, cum mortem Iuliano decreuit.

Mortem impio inscelerib? perseueraturo inferre, beneficium est.

Centum, ac viginti annorum spatium concessit Deus quibusdam contaminatissimis hominibus, vt intrà tam prolixum tempus dignas à seipsis scelerum suorum pœnas expeterent, seueriterque punirent, quod prælicenter egerant. *Erunt dies illius centumviginti annorum,* Gen. 6. v. 3. Sancti Patres Basilius, & Hieronymus ajunt, hoc tempus fuisse pœnitentiæ illorum concessum, non vitæ corporali præfinitum. scimus enim sanctos patriarchas Abraham, Isaac, & Iacob plures annos vixisse. At si benè Textum sacrum excutimus, inueniemus, quod ab illis constitutis annis Dominus viginti ademit.

S. Ioannes Chrysostomus hom. 25. in Gen.. sciscitatur illud: *Quare cùm Dominus dixerit, centum viginti anni erunt dies eorum, antequam implerentur anni promissi, introduxit vniuersale excidium?* Fortean austeritas, rigor, stomachus, seueritas fuit, quod Dominus concessi semel temporis limites contraxit, & promissa vitæ spatia decurtauit?

Respondet Chrysostomus ibidem. *Etiam hoc misericordiæ suæ est maximum argumen-*

Diluuiũ accelerat⁹, misericor-

gumentum. Nam quoniam vidit, quotidie illos incurabiliter peccare, & incrudescere vlcera, propterea succidit tempus, ne majori scilicet pœna se obnoxios facerent. Quod sordidis illis, & brutis hominibus vitæ spatia semel constituta limitibus angustioribus circumscripsit, & amputauit, nequaquam rigor, vel seueritas, sed paternæ, atque immensæ pietatis, ac beneuolentiæ luculentum indicium fuit. Nam cùm perditissimi illi peccatores quotidie deteriores euaderent, saniosaq; vulnera in horas innouarentur, & ad pristinam acerbitatem redirent, jamque vim omnem medicinæ superarent, misericordia, & perbenigna humanitas fuit, quod eos diluuij aquis extinxit, qui quò minùs vixerunt, eò minùs peccârunt, & quò minus peccârunt, eò minores cruciatus commeruerunt. *Etiam hoc misericordia sua est maximum argumentum.* Sic ergo beneuolentia est, non seueritas, si cui mors inferatur, vt malæ vitæ finem faciat, simul & spirare, & peccare desinat.

dicæ mag. num argumentum.

Peccatoribus impœnitentibus; vitam succidere, misericordia.

Reddere pro bonis mala, non est seruorum Dei. Ergo quod illi in Babylone captiui dicebant: *Filia Babylonis misera, beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram*; Ps. 136. v. 8. 9. non fuit malè, sed benè precari miseræ Babyloni. Quidnam illud est, quod Israëlitæ captiui calamitosæ, & luctuosæ illi ciuitati optabant? Vt lactentes illius pupulli ad saxum impacti citâ morte auferrentur è viuis, cùm vix in eis esse cœpissent. Et qui hoc faceret, eum beatum prædicabant. Beatum ne? *Beatus, qui allidet*, ajebant. At cùm beatus censeri is tantùm queat, qui opus pium, & laude dignum facit, quid tale agebant, qui tenellulos puellulos in saxa allisos reddebant exanimes?

Infantes qui nascũtur, & crescunt ad peccãdum allidere ad saxa, pietas.

S. Basilius in c. 13. Isaiæ de hac re sic disserit. *Huc animum aduerte. Psalmus beatum esse profitetur, qui quouis modo tandem Babyloniorum filios interemisset, sed id deposcit, vt ipsos recens genitos ad internecionem perducas, nec sinas ad incrementum maturæ ætatis pertingere, vt ne capaciores euadant cumulatioris malitiæ.* Ergone paruulos ad lapidem allisisse quousque animulas efflarent, pietas, ac humanitas fuit, eaque tanta, vt beatus censeretur, quisquis tale aliquid commisisset? Pietas, & humanitas fuit, inquit Basilius. Nam vitâ exuere tenerum infantem, qui tantùm nascitur, & crescit ad offensas Dei, & ad perpetranda scelera, magis pietatis nomen meretur, quàm austeritatis: *Ne capaciores euadant cumulatioris malitiæ.* Minus enim patietur in futurâ vitâ, qui minùs deliquerit in præsenti.

Notoria est gigantum fabula, eorum, qui montes montibus imponentes in cœlum ascendere, & deos bello lacessere, atque inde deturbare cogitabant. Pœnas temerarijs sui ausùs dederunt, quia deorum supremus fulmine arrogantiam illorum perculit, & stultos eorum conatus in flammis sepeliuit. Audiamus hac de re Boëtium lib. 3. de Consol. Prosâ 12. vbi sic habet: *Accepisti in fabulis lacessentes cœlum gigantes, sed illos quoque benigna fortitudo deposuit.* In his notate ista extrema: *Benigna fortitudo deposuit*, exanimalesque illos fecit. Hæccine verò benignitas! Hæccine comitas, & humanitas! Atrocitatis, & crudelitatis nomen potiùs mereri videtur. Quid ergo beneuolens ea fortitudo vocatur, quæ fulmine, ac flammis illa hominum flagitiosorum monstra consumpsit? Præclarè, & aptè in rem præsentem dixit inuictus martyr Seuerinus, quòd benigna fuit fortitudo, quæ illos perduelles deposuit, & amicum fulmen, quod exanimauit. Nam homini proteruo, & contumaci, & obstinato, qui quò diutiùs viuit, eò pejor euadit, vitæ tempus præscindere, non est seueritas, sed humanitas. Quo enim peccando longiùs procurrit, eò grauiora supplicia incurrit. Ergo tali homini gressum impedire, non rigor est, sed benignitas, & comitas.

Coronemus hoc capitulum profundo quadam Tertulliani dicto in illa Orationis dominicæ verba tam trita, quàm in rem præ-

rem præſentem nata, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, Luc. 11. 3. Nomine panis, ex recepto, & pervulgato Scripturæ loquendi more, omnia vitæ neceſſaria comprehenduntur. Poſtquàm verò à prouido, & pio Patre alimoniam, quam vita noſtra requirit, poſtulauimus quid poſt hæc obſecramus? *Et dimitte nobis debita noſtra*, Matth. 6. v. 12. Vt noxas nobis noſtras condonet, rogamus.

Chriſtum ſimul & panem quotidianum, & peccatorum remiſſionem petere cur iuſſit?

Notandum, quod cùm anteriores petitiones (*Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat voluntas tua*) ſint ſolutæ, inconnexæ, independentes, duas has poſteriores interjectiuâ copulâ Dominus conjunxit, & velut colligauit, cùm ſic precari iuſſit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Et dimitte nobis debita noſtra*; da victum, ſimulque condona delictum. Quid ſibi vult, quod hæ duæ res, vita ſcilicet, & ſcelerum condonatio, ita colligantur? Cùm hæc oratio ſit dictata à ſupremo, & præſtantiſſimo Aduocato Ieſu Chriſto, quod voluit vt ſimul vitæ alimoniam, & ſcelerum remiſſionem peteremus, id fecit, vt nos doceret conſequenter, & congruenter orare, & cùm vitæ in pane adumbratæ gratiâ indulgentiam debitorum, ſiue culparum vnà rogare. Nam poſtulare vitam, & victum ad peccandum, non eſt panem petere, ſed gladium, non vitam rogare, ſed mortem, nec enim eſt alia crudelior, miſerabiliorque vita, quàm quæ inter offenſas tam amabilis Domini tranſmittitur, & conſumitur.

Audiamus Tertullianum, cujus ſunt iſta ex lib. de Orat. c. 7. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita noſtra. Conſequens erat, vt obſeruata liberalitate Dei, etiam clementiam eius precaremur. Quid enim alimenta proderunt, ſi illis reputamur reuera quaſi taurus ad victimam?* Poſt panem in vitæ alimoniam petitum, ſtatim miſericordiam eius imploramus, quâ culpas noſtras condonet, debitaque obliteret. Nam petere panem, quo viuamus, & vitâ Deum offendere, quid aliud eſt, quàm taurorum inſtar ſaginari ad ſupplicij victimam? At ſi viuere ad offendendum Deum eſt impugnari ad lanienam, & plura ſibi accumulare ſupplicia, & diuinam magis ergà ſe excitare, & acuere ſeueritatem, ergo vitam, quæ plurium ſcelerum cauſa, vel occaſio eſt, alicui eripere, multa miſericordia eſt, & ineffabilis benignitas, & inexplicabilis humanitas.

Petere panem ad vitam, & vitâ Deum offendere, eſt ſaginari ad victimam.

CAPVT VII.

Superiores, qui ad omnia malè duri ſunt, nunquàm bene claudunt vitam, vel imperium.

Iulianus non diu imperauit quia nimis durus.

SEd quid mirum, quod Iulianus lanceâ confoſus occubuit, & quidem cùm vita ipſius maximos, ardentiſſimoſque aleret ſpiritus, ſi exiguo illo vitæ ſuæ tempore, quo imperavit, duriſſimus ſemper, & ferociſſimus fuit, & ſacrilego, temerarioque auſu tot ſtrenuorum Chriſti militum ſanguinem fudit? Prælatus, qui vult ſuum ſtabilire officium, Princeps, qui ſuo optat perenare in imperio, non debet imitari hunc perfidioſum apoſtatam, ſed æternitatis Principem Chriſtum, qui diſpoſuit omnia ſuauiter, & ſic attigit à fine ad finem feliciter.

Euangelicus, & urbanus propheta, cùm ſacrum Orbis Reparatorem ſuſpiraret, ita Patrem æternũ inclamabat: *Emitte agnũ, Domine, dominatorem terræ*; Iſa. 16. v. 1. At cùm is futurus eſſet dominator terræ, cur agni, animalis tam lenis, & manſueti vult ſimilem? Nonne conſultiùs feciſſet, ſi formidabilẽ petijſſet leonẽ, dixiſſetque *Emitte leonem, Domine, dominatorẽ terræ*? Nã totius terræ imperio aptior videtur leo, quàm agnus. Videtur quidem, ſed res aliter habet. Dixerat de Chriſto, quem Iſaias optabat, Archangelus: *Regni eius non erit finis*, Luc. 1. v. 33. Ad comparandam verò alicui regno perpetuitatem nihil opportunius, nihil efficaciùs, quàm Princeps facilis, tractabilis, manſuetus ut Agnus, qui leo fuerit, nec diutur-

Princeps leo diuturnum non habebit imperium

turnum Imperium obtinebit. Sit ergo miris agnus, cujus regni non erit finis.

Verùm si quis mihi fortè opponat, quod is, quem Isaias expetijt agnum, etiam, leo vocatus fuit, non solùm à dilecto Discipulo in Apocalypsi. c. 5. v. 5. ubi apertè dicitur *Vicit leo de tribu Iudâ*; verùm etiam à S. patriarchâ Iacob Gen. 49. v. 9. qui ait: *Requiescens accubuisti ut leo*? admitto objectionem. Et si hoc quoque in medium proferas, quod *leo inter feras*, ut suprà ex S. Machario memorauimus, *principatum obtinet*, neque hoc abnuo, sed lubens fateor, rem ita habere, nihilque tam receptum esse in utrisque literis, sacris, ac profanis, quàm quod leo sit Regum imago, & effigies. Otiosum fuerit, si rem triuialem, peruulgatam que accersitis procul testimonijs comprobare velim.

Sed quid illud singulare, atque eximium habet leo, propter quod cordatorū, & prudentium Regum possit esse prototypon, & institutor?

Leo inuolutis semper pedibus ambulat.

Plutarchus in lib. de solertiâ animalium eam tribuit coronato huic bruto proprietatem, *quod inuolutis semper pedibus ambulat, tanquàm vagina conditis intùs unguibus*: Vngues leoni pro pugionibus sunt, quib⁹ in palæstrâ se defendit, offendit aduersarium. Hæc ferociæ suæ arma, & potentiæ signa nūquam euoluta, nuda, patentia circumfert. Quod ergo Reges leonū esse similes cupimus, Christum Regem regum leonem fuisse affirmamus, perinde est, ac si diceremus, Reges, qui rectè, atque ut decet, administrare imperia sua volunt, illud sibi à leone sumere debere, ut potestatem suam dissimulent, & velut vaginâ tectam gerant, non semper autoritatem suam ostentent: *Tanquàm vaginâ conditis intùs unguibus*. Nam Principes, ac Dynarchæ, qui ferro, flammâque omnia moderari, & solâ vi administrare uolunt, ij suum sibi accersunt, & procurant exitium.

Reges à leonibus discant potestatem dissimulare.

Principes qui vi omnia facere volunt, exitiū sibi accersunt.

Vt in sacro Oraculo nulla est mysterio vacua litera, ita beatissimus Papa Gregorius in nomine Saulis inuenit, ex quo instabilitatē regni illius arbitrari potuit. *Erat vir de Benjamin, nomine Cis, & erat ei filius, vocabulo Saul*, inquit sacer Scriptor 1. Reg. 9. v. 1. 2.

Saul patre duro nat⁹ non diu imperauit

S. Gregorij commentarius lib. 4. c. 3. in 5. Reg. c. 9. in ea verba sic habet: *Quia Tribus Iuda ad Regni diuturnitatem prauisa extiterat, vt regia dignitas, quæ condebatur in filio; apertè sciretur esse dispensatoria, non mansura*, id circò de Saule dictum fuit, cuius filius esset. Pater Saulis Cis dictus fuit: *Cis durus nostro eloquio dicitur*, inquit rursùm Gregorius. Magno ergo mysterio dictum fuit, quod Saul esset filius Cis, hominis duri, intractabilis, feri, & ferrei, vt tacitè indicaretur, citò finem habiturum esse ipsius regnum, nempè dubium esse non poterat, perdurare diu non posse regnum hominis, qui ex duro, immani, feroce patre descenderet.

Princeps durus nunquam diuturnus.

Neque inanem hominis duro patre nati appellationem habuit, sed rem prætereà, & opere talis patris filium strenuè, multisque, ac malis modis præstitit. Vix enim sacer historicus factum illius aliquod narrat, quin lanceam habuisse commemoret.

Saul ex duro patre durus, lancea magis, quàm sceptro moderabatur omnia

Claudij Rangolij in 1. Reg. 19. obseruatio est, quod Saul sæpè quidem feratur tenuisse lanceam, *regni tamen illius nusquàm Scriptura meminit*. Si primi libri Regum capita 18. 19. 20. 22. deniq; 26. euoluas, semper cum lanceâ Saulem invenies, sed quod sceptrum Regis insigne prætulerit, nusquam reperies. *Omni tempore habebat lanceam apud se, siue cibum sumeret, siue dormiret, siue quiesceret, siue alicui colloqueretur. Omni igitur tempore lanceam tenebat* inquit Abulensis in 1. Reg. 25. q. 12. Domi, forisque, in omni otio, & negotio, colloquioque proximam lanceam habebat. Lancea Symbolum est ferociæ. Rex ergo, qui lanceâ vbique armatus erat, qui longioris hastæ terriculamentis omnia sua conficiebat, nil mirum, quod non diu imperauit, quod suæ Tribus Rex primus, & vltimus fuit, & quod Regni successorem habuit quendam

Saul comedens, dormiens, colloquēs semper lanceam penes se habebat.

Saul suæ Trib⁹ rex primus, & vltimus, quia semper lanceā armatus.

quendam de Tribu Iuda, cuius insigne fuit leo, animal nobile, generosum, magnificum, quod tametsi certis horis nonnunquàm excandescat, (velut & Principibus quando necessum est irasci) frequenter tamen, & plerumque involutas, rectasque gerit suas sicas, *tanquàm vaginâ conditis intùs vnguibus*. Qui se Regem hastatum, aut lancearium, & iudiciariâ virgâ ad vindictam armatum delineari permittit, si hoc est viuus, quod pictus, ego illi funestum finem prognostico, & calamitosam vitæ clausulam de vulgari experientiâ vaticinor.

Videre hoc licet in illo immani, & portentoso tyranno Mario. Hic ex humili ferrariâ ad Imperij solium euectus, his ad milites sermonibus suum exorsus est principatum: *Vos tamen cogitetis velim fecisse vos Principẽ, quicquam qui nunquàm scierit tractare, nisi ferrum.* Refert Trebellius Pollion. lib. de XXX. Tyrannis in Mario. Qui autem in omni vitâ nihil aliud egerat, quàm vt rigidam ferri duritiem subigeret, is, ne ab ingenio, & more suo discederet, quamdiu imperauit, in eo semper fuit, vt domaret ceruices, sanguinem funderet, perpetuoq; ferociret, & durè omnes haberet. Quamdiu putatis, durauit imperium Principis, qui primulis statim horis tam truculentus & intractabilis fuit? Audite Trebellium. *Vna die factus est Imperator, aliâ die visus est imperare, tertiâ die interemptus est* ab ijs, qui dignitatem in illum contulerant imperatoriam. Hunc solum sibi promittere finem possunt, qui in suis regnis flammâ, & fuso sanguine conficere omnia volunt.

Marius vnâ die factus Imperator, aliâ visus imperare, tertiâ occisus, quia durus.

Abulensis quærit, cur Princeps æternitatis Christus, cùm se in monte Thabor transfigurauit, adstantibus apparuit splendidus vt Sol, non vt ignis? *Et resplenduit facies eius sicut Sol*, inquit S. Matth. 17. v. 2.

Respondet quæsito magnus Doctor: *Quia in igne splendor potius inducit tremorem, quendam, & horrorem, ideò non debuit dici de igne, lux autem Solis non habet horrorem, sed delectationem*, iuxtà illud Ecclesiastæ 11. v. 7. *Dulce lumen, & delectabile est oculis hominum, videre Solem.* Eâ occasione Pater æternus declarabat Filium suum Principem æternitatis, & vnicum fœcundi intellectûs sui pignus, dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*; Matth. 17. v. 5. Neque solùm Principem, & Filium suum proclamabat, sed etiam audiri, & obedientiam illi deferri iubebat, tanquàm Principi, & Superiori. Quo tempore autem populus illi obedientiam, & debitum obseruantiæ cultum delaturus erat, eo se exhibuit amabili Solis luce splendidum, non voracis ignis horrido fulgore terribilem: Nam Principi, qui merus ignis est, omniaque depascitur, vt nemo illum tangere possit, quin vratur, quis lubens obtemperabit: quis volens seruiet? quis verum deferre amorem queat? vt quomodo Princeps stabile sibi imperium, & perdurabile regnum promittere potest, nisi Solis instar sit, qui fouet, illuminat, fœcundat, cuius pulchrâ, & benigna luce nihil suauius, quàm & ardenter suspirat ægrotus, & vehementer expetit viator, & omnes homines amabili plausu, cùm mane exoritur, lætanter excipiunt.

Solis lux oblectat, ignis splẽdor terret

Christus, quo die Princeps declaratus, resplenduit vt Sol, non vt ignis.

CAPVT VIII.

In officinâ diuinæ iustitiæ solet ex ferro culpæ cudi gladius pœnæ.

Illa tam peruulgata ex c. 11. Sapientiæ verba: *Per qua quis peccat, per hæc, & torquetur*, tam crebro experimento vera probantur, quàm frequenter omnipotentis Dei aliqua supplicia cernuntur.

Primum asserti nostri fulcimentum sit quædam Abulensis annotatio in eam plagam, quâ Deus iratus cæcidit populum Hebræum, quo tempore illi Dauid Rex imperabat. *Misit ergò Dominus pestilentiam in Israël, & ceciderunt de Israël septuaginta millia virorum*; 1. Paralip. 21. v. 14. Magnus mortuorum numerus!

merui! Ingens hominum pestis, contagio infectorum, & interfectorum cædes! Quare septuaginta millia virorum fuerunt, quos ex subditis Prophetæ regis Dominus morti tradidit? Respondet Abulensis q. 12. in 1. Paral. 21. *Puniuit Deus ipsum Dauid in eo, in quo peccauerat. Ipse verò peccauerat in quadam elatione de multitudine populi, & propter hoc numerabat illum, vt gloriaretur considerata tanta summa.* Aduertite hic, quod Rex Dauid præcepit numerari populum, dicens: *Ite & numerate Israël, & afferte mihi numerum, vt sciam*; ibid. v. 2. Quod populum suum recenseri voluit, quædam iactantia fuit, capitalisque humani generis hostis, vt id faceret, magno studio inspirauit, quod sacra Scriptura his verbis affirmat: *Consurrexit Satan contra Israël, & concitauit Dauid, vt numeraret Israël*; ibid. v. 1. At si Dauid hac re peccauit, quod vana illum gloria titillauit nata de subditorum multitudine, à quibus colebatur, tributaque illi non obseruantiæ tantùm, & honoris, sed fortunarum etiam, facultatumque pendebantur, luat etiam illud crimen suum, suorum luctuosâ iacturâ subditorum, ineuitabili pestis acie occisorum, vt hinc innotescat, quod Deus in iustæ suæ vindictæ officinâ ex ferro culpæ fabricari soleat gladium pœnæ.

Dauid peccauit recensendo suum populum, idem punitus occidione populi,

Ex ferro peccati cuditur gladius supplicij,

Non intempestiuè huc veniet quædam Moysis Bar-Cephæ obseruatio, qui sciscitatur, quid mysterij subesse possit supplicio quo Deus versutum Serpentem Protoparentum nostrorum seductorem castigauit. Illud his verbis expressit Dominus: *Quia fecisti hoc super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*; Gen. 3. v. 14. Sed quare hunc primi sceleris solicitatorem, qui blandiloquentiæ suæ lenocinijs primos peccatores in culpam impulit, tali pœnâ mulctauit, vt per terram secundùm pectus reptaret, & solum pro victu tenuem puluerem haberet? Et cùm in uictu decernendum eius supplicium esset, cur magis ad terram, quàm aliam quandam rem vilem comedendam damnatus fuit?

Serpens ad puluerem edendum damnatus. Cur?

Ad hoc respondet Autor, quem dixi, libri de Parad. part. 1. *Puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ, nempè in puluerem redegisti primos parentes, puluere igitur vesceris totâ vitâ.* Pœna, quam primis Parentibus pro suæ præuaricationis meritò Dominus inflixit sic habebat. *Puluis es, & in puluerem reuerteris* ibid. v. 19. Hæc pœna suam originem duxit ex transgressione, in quam veterator serpens Euam, Eua coniugem suum Adam pertraxit, de vetitæ autem arboris fructibus comedere sub certa ineuitabilis mortis mulctâ interdictum erat, idque his verbis: *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*; Gen. 2. v. 17. sed accedamus ad rem, vt videamus, quàm congruat conceptus cum argumento huius capitis. Euam per serpentem, tanquàm instrumentum induxit dæmon, vt ambitiosâ cupiditate consequendæ Deitatis vetitum comederet fructum. Malè circumscripta mulier recens nupto marito persuasit, vt eundem degustaret fructum, qui postquàm illius precibus cessisset, solam ex conuiuio mortem cùm ipse, tum vxor reportauit, ex quâ in puluerem ambo indeclinabiliter conuertendi erant. Omnem hanc illis tragœdiam dolosus serpens suis offucijs adornauit. Dicit nunc Dominus: Cùm serpens eo deliquerit, quod fuit solicitus incitator, vt homines verterentur in puluerem, sit etiam deinceps tam venenosæ bestiæ cibus non alius, quàm puluis, vt palam fiat, quod Deus parem sceleribus inferre pœnam sciat, & ad eum modum punire hominem, quo ab illo offenditur. *In puluerem redegisti primos Parētes, puluere igitur vesceris totâ vitâ.*

Serpens in puluerē Protoparentes redegit, merito ad pulueris esum damnatus,

Admiranda fuit olim diuitis epulonis obsecratio, quâ ex ardenti pœnæ suæ stagno Abrahamum interpellauit. Guttulam aquæ nonnisi unicum ad inflammatæ linguæ refrigerium supplex deposcebat. Oratio ejus talis erat: *Pater*

Abraham miserere mei, & mitte Lazarū, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam; Luc. 16. v. 24. O in quantam miseriam, & penuriam redactus fuit homo, paulò autem tam splendidè, & lautè viuere, atque epulari solitus! Extremum Lazari digitum implorat, deciduamque ab illo stillulam aquæ petijt, quâ linguæ ardorem vel non nihil mitigaret, quo intolerabiliter affligebatur. O quam subtile, & commodū est themati nostro, quod inhanc rem beatissimus Papa Gregorius excogitauit! Is lib. 18. Moralium c. 12. sic ait: *Videmus in verbis diuitis exsubtilissimo Dei judicio quàm digna tali culpa pœna responderit. Agente namque inopiâ illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hic agente tenaciâ usque ad minima neganda peruenit. Quid retribui subtilius, quid districtius potest?* Diligenter considerandum secretum Dei judicium, quo in diuitem illum epulonem animaduertit, quando tam inopem fecit, ut inter ultrices flammas unicam solam, nec aliam, quàm aquæ guttulam postularet. Quamobrem verò tali supplicio addictus fuit, ut unam aquæ guttulam anhelus peteret, & consequi non posset. Attentis oculis legite, quæ apud S. Lucam diues, & auarus epulo pauper Lazaro faciebat, cùm ad ejus foras fame tantum non enectus jaceret. *Iacebat ad januam ejus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensâ diuitis, & nemo illi dabat.* ibid. v. 20. 21. Tam importuna, & molesta esuries vlcerosum infestabat Lazarum, ut latratus & exactiones immanes inanis ventriculi, solis micis fortuitò relictis, aut è mensâ auari diuitis delapsis compescere vellet, & neque tam facile, tenueque, & parabile famis leuamen illi quisquam ferret. Dicit nunc Gregorius. Notate mihi hîc magnitudinem sapientiæ omipotentis Domini, & justi judicis, quomodo diuitem epulonem eo torqueat, quo pecauit. ille nolebat occurrere naturali desiderio, quo miser Lazarus suam diræ famis duram necessitatem micis decidui panis depulsam optabat: Luit ergo tantam inhumanitatem suam expectatione, & expetitione stillulæ aquæ, & nunquàm eam obtineat; ut vel hinc liqueat, quàm sapienter supremus Iudex nouerit disponere, ut ex ferro culpæ conffetur gladius pœnæ, hoc est, ut affligatu guttâ aque petitæ, neque impetratæ, qui deliquit micâ panis postulati, & nou concessi. *Quàm digna tali culpa pœna respondit! namque illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hucusque ad minima neganda peruenit. Quid retribui subtilius quid districtius potest?*

Deus dignâ pœnâ culpam subtiliter plectit.

Diuiti epuloni gutta negata quia micam nō dedit.

In ipsis adeò brutis animalibus reperiemus, quo thema nostrum constabiliamus, de quibus patientiæ Sponsus Iob dixit, ut ijs nonnunquàm pro Magistris, & vitæ moderatoribus utamur, inquiens: *Interroga jumenta, & docebūt te*; Iob. 12. v. 7. Videamus ergo, quid Phœnix noster Basilius dicat de ijs animalibus, quæ de morte viuunt animalium aliorum. *Animalia quæ sanguine gaudent, & quæ aliis exitium adferunt, certum est longè minus fœtunda esse, quapropter leonis vix leæna mater evadit.* Hæc ille homil. 9. in Hexam. At quid latentis mysterij habere potest, quod animalia, quæ venatu, & cæde viuunt aliorum, animalium, & vitali sanguinis alieni pascuntur liquore, eo plectuntur supplicio, ut rarum habeant propagationis suæ speciei fructum, quem natura tam ardenter desiderat? In promptu causa est ea, de quâ hîc agimus, quod videlicet Dominus eâ re nos vult docere, quod eo soleat ille uti ad vindictam, quo peccans utitur ad culpam, idque in ipsis adeò brutis animantibus, ut propterea illis non permittat longam posteritatis successionem, quæ alijs abbreviant vitam, ut producant suam. *Animalia, quæ alijs exitium adferunt, certum est longè minus fœcunda esse*, scilicet, ut ne diu in sobole viuant, quæ viuere diu alia non sinunt.

Animalia, quæ sanguinæ gaudent min⁹ fœcunda.

Nec producunt vitam, quæ alijs eripiunt suam.

Ex his jam conjectauerimus, quænam præcipua causa sit, ob quam Dominus disposuerit, ut atheo desertori Iuliano sacrilegam vitam martyr quidam eripe-

ret. S.

ret. S. Amphilochius, & alij jam laudati Autores ajunt, quod augustissima cœlorum Imperatrix MARIA dixerit: *Vocate ad me Mercurium, ut eat ad interficiendũ Iulianum &c.* Dici non potest, quàm multum sanguinem perfidiosus Imperator fuderit eorum, qui catholicas Christi Redemptoris nostri partes sectabantur. Plenæ sunt historiæ lanienarum, quibus sanguinarius hic lupus innoxium Christi gregem truculentissimè concerpsit. Ut ergo documento esset; quod per ea quisque plectitur, perquæ peccat, idcircò voluit rectus, & supremus Iudex, ut martyr illi necem consciseret, cujus jussu, innumeri Catholici facti fuêre martyres. Ut hinc quisque animaduertat, quomodo omnipotens Iudex in sacrâ vindictæ suæ officinâ ex culpæ, quâ offenditur, ferro cudere soleat gladium pœnæ, quâ plectat. *Vt sciant, quia per quæ quis pecat, per hæc & torquetur.*

Iulianus à martyre occisus, quia multorũ martyrum occisor.

POTENTISSIMA COELORVM REGINA MARIA obtulit Magno Basilio librum, iussitque edere commentarios in sex opera primorum dierum Mundi.

SErenissima Angelorum, hominumque Regina non solùm internecionem apostatæ Imperatoris, ex omnipotentis Filij sui voluntate, decreuit, sed etiam blandæ columbæ instar suauiter appellando sacrum Phœnicem Basilium, librum illi formosâ, & diuite manu obtulit, in cuius vnâ parte historica series, & genesis mundi descripta erat, altera, quæ dextera erat, hominis admirandam formationem complectebatur. Frons libri hanc literis aureis insculptam præferebat epigraphen: *Dic in finem.* Ad pedem hominis è terræ puluere ab omnipotente creatore excitati hæc erat expressa inscriptio: *Parce*, subaudi, Domine, culpæ huius tam malè decepti peccatoris. Hac tam admirabili visione exterritus, & attonito similis factus Basilius, alium, quorum de tam eximio cœlorum beneficio, & insignita magnæ Dei Matris beneficentiâ communicaret, præter Ebulum neminem habebat, qui intimus, & charissimus ante ista Magister, nunc discipulus erat, vt quem per Euangelium in Christo genuerat, & euangelicæ perfectionis studia sectari docuerat. Verùm quoniam deinceps experientiâ cognitum est, omnia exactè perfecta fuisse, quæcunque diuinus Basilius peruisum cognouerat, placuit illi rem euulgare, & deuotis Cæsariensibus palam facere, vt enixiore posthæc pietate MARIAM colerent, atq; ardentiore studio ad officia concurrerent tam generosæ Ptincipis, quæ perquàm auidis semper auribus exciperet supplicum preces, susciperetque patrocinium, & defensionem omnium, quicunque sub alas illius se reciperent, ipsamque tutelarem implorarent.

Basilius librum à B. Virgine accipit.

PHÆ-

PHÆNICIS GRÆCIÆ. S. Basilij Magni,

LIBER X.

CAPVT I.

Nulla maior felicitas, quàm supremo Regi seruire, qui prolixà manu ingentibus præmijs exigua remunerat officia.

QVod sapientissimus Idiota in Prologo Contemplat. de B. Virgine, de potentissima cœlorum Principe affirmat, *Seruientibus sibi ipsa seruit*; & mutuis officijs certat cum his, à quibus colitur, id quanquàm creberrimo sit experimento comprobatum, abundè tamen testatum etiam facit, quod Magno Basilio cum hac Augustissimâ Dominâ euenit, de quo S. Amphilochius in vita Basilij sic habet: *Acciuit ad se eadem ipsa Basilium Magnum, deditque ei librum continentem historiam creationis totius mundi*, iussitque tum sermone, tum scriptis dilucidare opera dierum, quibus Deus architectatus est orbem terrarum. Quod huic par beneficium! Quis vel cogitando maiorem fingere beneuolentiam, ac humanitatem possit? si omni pretio superius est à Reginæ cuiuscunque manibus veniens donum, quo loco reponemus librum, quem dedit venusta manus Virginis omnium creaturarum tum pulcherrimæ, tum potentissimæ? Hinc accipiamus, quàm felices, fortunatique sint, qui huic tam nobili, & generosæ Principi humiliter, reuerenterque obseruiunt. Conuocauit Basilius Clerum, vnaque omnem populum ad Ædem magnæ Matri Virgini sacram, & *ascenderunt in montem, in quo honoratur, & colitur Dei genitricis venerabile templum.* Vt humili isti, ac religioso officio vices rependeret suprema Imperatrix, postquàm supplices suos à crudeli desertoris Principis tyrannide liberos reddidisset, librum etiam, magno ac singulari munere, Basilio donauit, quem suis commendationibus, & docti calami radijs illustraret. Denique cœlorum Regina est, quæ tam liberali, ac diuite manu deuota suorum nouit remunerare officia, compensare obsequia. Et hæc comitas non aliunde, quàm ex Dei scholâ, cælestisque illius Filij, Domini nostri consuetudine descendere potuit, qui humilem cultum qualemcunque prolixioris gratiæ beneficijs explere solet.

Maria seruit his, à quibus colitur.

Suorum officia diuite manu cōpensat.

Ordiamur hunc discursum ab exitu filiorum Israël à permolestâ illorum, & barbarâ captiuitate. Sacer Mediolanensium, Archiepiscopus Ambrosius obseruauit aliquid in primo illorum itinere, de quo liber Exodi c. 12. v. v. 37. & 39 sic habet: *Profecti sunt Filij Israel de Ramesse in Socoth, coxeruntque farinam, & fecerunt subcineritios panes azymos.* Dicit nunc Ambrosius lib. de 12. Mansionibus, Mansione 1. *In hac mansione farina, argentum, & aurum cumulatur.* Quanta fuit opulentia filiorum Israël, quo die primùm suam inchoarunt profectionē! Farinâ, auro, argento, monilibus, rebus pretiosissimis affluebant. Vnde verò tam subitò copiosi, ac prædiuites qui paulò ante infrà seruos misera, & vilia fuerunt mancipia? Respondet Ambrosius: *Filij Israel dederunt paleas, & receperunt farinam, dederunt lutum, & receperunt argentum, dederunt lateres & receperunt aurum.* Miseri Israelitæ dura, & intolerabili pressi seruitute jacebant in Ægypto, laboriosisque prægrauabantur luti, ac laterum coquendorum operibus. *Ad amaritudinem perducebant* immites & agrestes Ægyptij *vitam eorum operibus duris luti & lateris*, inquit diuinus Scriptor Exod. 1. v. 14. Neque contenti his barbari Domini, id etiam tyrannicæ seruituti, & superioribus laboribus addiderunt, vt ipsi etiam paleas ad fouendum ignem vndequaque conueherent, quibus ad coquendos solos lateres nec temporis, nec virium satis erat. Sic enim operarum

Israelitæ in exitu ab Aegypto abundarunt farina, auro, argento.

peraram

perarum præfectis immanis, & ſaxeus Pharao ajebat. *Nequaquàm vltrà dabitis paleas ad conficiendos lateres, ſicut prius, ſed ipſi vadant, & colligant ſtipulas*, Exod, 5. v. 7. Audiamus nunc iterum Ambroſium. *Interim pretioſam commutationem conſideremus*, inquit ille. *Tria ergo in Rameſſe coaceruantur, farina, argentum, & aurum*, Dignum certè diligenti conſideratione, quàm opulentis præmijs ſoleat largiſſimus Deus remunerare, quidquid pro illo vel facimus, vel toleramus. Tulerant Iſraëlitæ ingentes in luto, & lateribus labores. Quid autem fecit Dominus? Pro toleratis ærumnis aurum, argentum, farinam in vicem dedit. Hinc arbitrari licet generoſum illius in retribuendo pectus, & prolixam in remunerando manum. Quantum à tritico ſtipula, ab argento lateres, ab auro lutum diſtat, tantum abeſt merces, quâ homines ſibi exhibitos labores compenſant, à beneficijs quibus Deus illos cumulat, à quibus qualiacunque habuit officia Tam prolixus eſt ad remunerandum Deus noſter, tam munificus ad referendas gratias.

Deus perliberalis remunerator.

Deus, æs, auro, argento ferrum compenſat.

Hoc videtur affirmare Propheta Evangelicus, cùm ait: *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum*; Iſa. 60. v. 17. ac ſi dixiſſet Dominus: ſi qui mihi æs obtulerint, luam auro, ſi ferrum miniſtrauerint, referent prouentus ex ferro argenteos, ſi mihi arida exhibuerint ligna multo ære tenue munuſculum compenſabo, ſi qui religioſo affectu ad me rudia de compitis attulerint ſaxa, ego in vicem divites ferri, quod intrà viſcera ſua reconditum terra habet, venas reddam.

Benè cum his congruet, quod in Actuum Apoſtolicorum libro Hiſtorico medicus Lucas memorat, nempe, quod cùm inter primordia promulgatæ legis Evangelicæ recens conuerſi ſuis ſe nudabant facultatibus, eas ad Apoſtolorum pedes abijciebant: *Et ponebant ante pedes Apoſtolorum*. Act. 4. v. 35.

Ad Apoſtolorum pedes cur depoſitæ facultates primorum Fidelium.

Quæri hic poteſt, quam ob cauſam voluerit Dominus, vt primi Fideles potiùs ad Apoſtolorum pedes jactarent, quàm alibi deponerent ſuas fortunas, & opum facultates.

S. Ioannes Chryſoſtomus hom. 53. ad Populum vult, Deo inſpirante factum eſſe, quod primi Chriſtiani pecuniam ex venditis agris, cæteriſque poſſeſſionibus contractam depoſuerunt ad pedes Apoſtolorum, vt per hoc Apoſtolis mutuum honorem redderet, & compenſaret, remuneraretque humilis obſeruantiæ officium, quod ab illis acceperat. *Pretia deferentes ad pedes Apoſtolorum, largitate tribuebant honorem*, inquit ille. Sed quænam illa remuneratio? Dicat id eruditus iſtius libri interpres Lorinus. Ad pedes Apoſtolorum voluit Dominus deponi pretia ex venditis facultatibus comparata, *vt compenſaret quodammodò Chriſtus honorem, quo fuerat affectus ab Apoſtolis, quando veſtimenta impoſuerunt ſuper aſinam, & pullum, & illum deſuper ſedere fecerunt. Nam voluit, vt primi Chriſtiani facultates pedibus ipſis illorum ſupponerent, quod Chriſto fecerat turba, ſternens illi veſtimenta in viâ, quod & Apoſtolos feciſſe Lucas indicat.* Benè cito voluit Dominus oſtendere, quàm generosè nouerit præſtita ſibi remunerare officia. Sub initium namque promulgatæ nouæ legis inſpirauit illos, qui militiæ Euangelicæ vexillo ſua nomina primi dederant, vt quidquid pretioſum haberent, id pedibus Apoſtolorum calcandum ſubijcerent, eaque re compenſauit obſequium, quo illum honorârant, quando humile jumentum quo in vrbem Hieroſolymitanam invehebatur, pallijs ſuis, tanquàm phaleris ornârunt, & veſtibus, quibus circà honeſtatis offenſionem carere poterant, viam, per quam iturus erat, velut quibuſdam aulæis, ac periſtromatis, ad luculentam obſeruantiæ conteſtationem, excoluerunt: *Iactantes veſtimenta ſua ſuprà pullum impoſuerunt Ieſum, Eunte autem illo, ſubſternebant veſtimenta ſua in viâ*, inquit B. Lucas c. 19. v. 35. 36. Dixerit ergo cœleſtis Magiſter: Diſci-

Chriſtus Apoſtolorum officia prolixè remunerauit.

Apoſtoli ſuas veſtes pedi-

bus Christi substrauerunt, Christus vices amplas reddidit.

Discipuli mei tenuia vestimenta sua meis pedibus substernunt, ego faciam, vt illorum pedibus vicissim subijciantur pretiosissima supellectilia & opulentissima metalla, qualia sunt aurum, & argentum. *Pretia deferentes, ad pedes Apostolorum, largitate tribuebant honorem.* Chrysostomus. *Et ponebant ante pedes Apostolorum.* Lucas. Hinc æstimare licet, quàm liberali, & nobili Domino seruiamus, qui pro vulgaribus vestimentis, quę illi Apostoli calcanda subjecerunt, curauit, vt opulentiores noui Christiani ad Apostolorum pedes deponerent aurum, argentum, & quidquid in suis facultatibus pretiosum habuerunt.

Consideratione dignum est promissum, quod domui Dauidis Deus fecit, & Zacharias c. 13. v. 1 his verbis vaticinatus fuit: *In die illâ erit fons patens domus Dauid.*

Dauidi pro contemptâ aquâ fons patens aquæ promissus.

Quæri potest, quid causæ sit, quod domui Dauid tam singulariter Dominus patentem, exundantemque fontem pollicitus fuit. Et cùm Dominus circumfluat bonis, quibus compensare queat obsequia, si quæ illi exhibita, cur Dauidem vnius peculiariter aquæ affluentiâ remunerare voluit? *Et erit fons patens domus Dauid.*

Ioannes Cluniacensis jubet recurrere animo ad illam heroicam actionem, quâ inclytus rex Dauid obtulit Domino vas aquæ, quam ex cisternâ Bethlehemiticâ attulerunt tres strenui, & magnanimi duces, per medium hostilem exercitum intrepidè euntes, redeuntesque, vt siticulosi Principis sui desiderio satisfacerent. Cum illam tam inhianter expetitæ aquæ lagenam in manibus siti ardens Dauid haberet, *noluit bibere sed libauit eam Domino,* inquit sacer Scriptor 2. Reg. 23. v. 16. Non fuit ea exigua sitibundo Regi mortificatio, quod lagenam frigidæ in manibus, & labijs proximam habuit, neque tamen vel delibauit, sed generosè contemnens, in terram effudit, & Domino sacrificauit. Postquàm Dominus vidit tam religiosum Dauidis ergà se,

Deus lagenam aquæ toto fonte cōpensat.

obsequiosumque animum, quo suam appetentiam mactans victimam illi obtulit, & sacrauit aquam, quam ori suo subtrahens in terram effudit, quâ gratiâ istum tam deuotum affectum remunerauit? Perennem aquæ gelidæ fontem illi vicissim dedit: *Et erit fons patens domus Dauid.*

Dicit nunc Ioannes Cluniacensis Ser: 65. to. 4. Attende Domini liberalitatem. *Pro aqua vase ipsi libata fontem domus Dauid rependit.* Si eam Domini pollicitationem altiori indagine perscrutati fuerimus inueniemus, quod remuneratio Dominica obsequium Dauidis multis, & magnis modis superat. Nam cùm Dauid Domino nonnisi pauxillulum materialis aquæ libauerit. Dominus in vicem illi perpetuum fontem copiosarum aquarum, hoc est, variarum gratiarum promisit, quibus animarum sordes diluuntur, *in ablutionem peccatoris & menstruatæ,* vt ait Zacharias ibidem. Quantum aurum luto, quantum anima corpori, quantum Spiritus carni, quantum terræ cœlum excellit, tantum diuinæ remunerationes officijs, & obsequijs humanis præstant.

CAPVT II.

Quanquam beneficia omnia obligent, nulla tamen validius obstringunt, quàm quæ singulariter, ac seorsim alicui obueniunt.

S. Amphilochius ait, solum Basilium Magnum fuisse tam felicem, vt meruerit videre cœlorum Reginam in sublimi solio multâ cum majestate se illi offerentem. *Cum illi precarentur, & in precibus corde contrito vigilarent, Basilius vidit residentem quandam in throno præclaro,* inquit ille. Si Basilius communiter cum omnibus, quibus cum peruigil communem Dominum pro salute publicâ obsecrabat, admirabili illo magnæ Dei Parentis visu gauisus fuisset, nihilominùs

omni

omni sermone superior fuisset gratia: Verùm vt insignitius, præstantiusque esset beneficium, voluit diuina Princeps, vt Basilius esset vnicus Phœnix, qui solus eo frueretur intuitu, & tantæ bearetur visionis munere. Tametsi enim beneficia semper suam debeant habere æstimationem, nunquàm tamen obtinent pretium publica, quod inueniunt priuata, neque illa tam validè obligant, quàm fortiter hæc obstringunt.

Beneficia priuata validius obligant.

Cùm Saulem Regem Dominus deuincere vellet, ut rigido cuidam mandato suo morem gereret, Amalecitasque omnes contrucidaret, nec rei cuiquam parceret, quam non vastaret, ac perderet, animaduertens ingentem talis præcepti explendi difficultatem, ut illum ad strenuam, exactamque tam operosæ rei executionem permoueret, hæc illi ex Deo venerabilis propheta Samuel renunciavit: *Me misit Dominus, ut ungerem te in Regem super populum eius Israel. Nunc ergo audi vocem Domini.* 1. Reg. 15. v. 1.

ClaudiusRangolius in hujus cap. commentario notat, singulariter à Samuele expressum beneficium, quod Sauli unicè, ac seorsim præstitum, cujus commemoratione illum obstringeret, ut seuerè, accuratè que perficeret, quæ ex Deo habiturus mandata erat. Dicebat enim Samuel à Deo se delegatum, ut ipsum gentis Israëliticæ Regem initiaret. Et quid sibi talibus verbis volebat? Ex Claudio, quem præfatus sum, hoc dicere volebat. *Tu ex infimo loco Rex à solo Deo delectus es, alij tametsi diuino munere regnum capessunt, attamen hæreditario jure plerumque, aut rebus preclarè gestis illud adipiscuntur.* Quanquàm Apostolus Rom. 13. v. 1. dicat, quod *non est potestas nisi à Deo,* neque diadema, quod ille non decernat, neque Imperium, quod è superiore prouidentiâ non descendat, nihilominùs propheta Samuel ajebat, quod Saul Deo arctiùs deuinctus esset ob regiam purpuram, & potestatem, quâ ab illo nobilitatus, & ad tantum Imperij fastigium euectus erat. Tametsi enim multi fuerint Reges, sed

Saul ex humili familia rex à Deo fact⁹, arctius illi obstrictus fuit,

eam illi dignitatem vel præclaris facinoribus pepererunt, vel à majoribus hæreditariò acceptam sibi usurparunt. Verùm Saul nec hæreditariò, nec operibus strenuis gloriosè perpetratis purpuram, vel coronam regiam promeruerat, immò ab eâ promerendâ tam procul aberat, ut Imperium fortuitò repererit, cùm quæreret sui patris asinas. Samuel ergo Sauli memorauit, non quod homo à Deo conditus, non quod in cathalogo Israëlis viridario plantatus fuerat, tametsi enim quodlibet horum esset inæstimabile beneficium, qui tamen hoc cum multis commune habeat, non nimis validè obstringi illo videbatur. Vt ergo illum fortiùs obligaret, acriùsque extimularet ad suæ jussionis accuratam obseruantiam, & strenuā demandatæ necis, vastationisque executionem, hoc illi considerandum dedit, nimirùm præstitisse illi, quod in eum diem alteri nemini concesserit, ut regiam dignitaem consequeretur, quam nec hæreditariò à parentibus, nec jure pro meritis acceperit, deinde etiam ex infimo loco in tam sublimis solij cacumen extulisse, id que per manum Prophetæ Samuelis, qui venerabilis autoritatis homo, & stupendum quoddam virtutis fuerit simulachrum. *Me misit Dominus, ut ungerē te in Regem super populum eius Israel.* Quia priuata beneficia unicè collata, & singularia donauni soli concessa stringunt validiùs, & fortiùs, innectunt animorum voluntates,

Saul quærens asinas reperit regnum. Benè fortuito rex.

Beneficia singularia vnicè collata fortiꝰ innectunt volūtatē.

Veniat huc sufragatum nostro themati præclara quædam Eminentissimi Cardinalis Cajetani commentatio. Narrat Propheta regius psalmo 138. illustriora quædam diuinæ omnipotentiæ ergà se opera, & sic ad illum ait: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* v. 5. *Tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ*; v. 13. Tu me Domine, finxisti, & ex alui maternæ tenebricoso ergastulo ad communis lucis usuram extraxisti. Pro eo beneficio mox gratias agens addit: *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es,* v. 14. Hæc postrema

ex ori-

ex origine Hebræa quidā sic transferunt: *Confiteor te propterea quod à terribilibus separatus sum.* Et quid adhæc? *Et anima mea cognoscet nimis*; ac si apertiùs dixisset: Quantâ maximâ possum humilitate, & religiosissimo affectu confitebor te omnipotentem dominum, & patrem, pro eo, quod me secreuisti à terribilibus, & animâ rationis compote donasti.

Dauid pro singularibus beneficijs magis grat⁹.

Audiamus Cajetanum. *Tu possedisti renes meos, suscepisti me de utero matris meæ. Hæc duo, quæ Deus in materno utero homini dat, Propheta non explicat, sicut reliqua antecedentia, scilicet apponendo officium laudandi Deum.* Meritò notes, quod Propheta, cùm memorat beneficiū formationis in utero, & animationis ad vitam, non id facit per modum laudis, quanquàm pro tali dono laudem Dominus non qualemcunque mereatur: sed quando dicendo peruenit ad priuata (*separata opera tua*) ad singularia, quæ homini specialiter, & præ alijs collata, in quibus sunt, quod est ornatus intellectu, & quibusdam alis spiritualibus animæ facultatibus, quod staturâ concinnâ donatus, & sic natus, ut rectus incedat, quo à brutis animalibus differt, secundùm illud ingeniosi Ouidij 1. Metamorph.

Pronaque cùm spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit &c.

quando hæc tam singularia beneficia cōmemorare cœpit, quibus segregatur, & secernitur ab alijs animalibus, quorum est princeps, tunc non referentis tantùm personam gerit, sed etiam laudantis, & gratias agentis dicens: *Confitebor tibi.* Sed quare pro his tam peculiares reddit gratias? Respondet Cajetanus: *Ad denotandum, reliquas enumeratas conditiones in utero materno factas, communes esse nobis, & alijs animalibus, has autem duas proprias esse hominis, & prærogatiuas singulares, & propterea dicit: Confitebor te confessione laudis.* Cùm Propheta de beneficijs, quæ homines cum brutis habent communia, loquitur, id simplici, ac nudo relatu facit: Verùm cùm eorum meminit, quæ homini unicè sunt concessa, & paulò ante dicta, non solùm vulgariter narrat, sed etiam laudibus celebrat: *Confitebor te confessione laudis*; tametsi enim quodlibet beneficiū deuinciat, habent tamen gratiæ priuatæ uni separatim collatæ, nescio quid exemptionis à regulis generalibus, & illud proprium, ut suauius stringant, & vinciant arctiùs, ut proinde tantundem sit hæc narrare, ac laudare, enumerare, & prædicare.

Beneficia singularia singularē expofcunt gratitudinem.

Coronet hanc dissertationem Princeps Angelorum coronata, sed ad lucem, quam nobis quædam Titi Bostrensis obseruatio ministrabit. Salutabat augustissimam Imperatricem suam Legatus Seraphicus, & post exhibitam reuerentiam, quā debuit hæc pari sub missione dicebat: *Inuenisti gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries Filium*; Luc. 1. v. 30. 31. Duo Principi suæ cœlo submissus paranymphus annunciabat, primum quod gratiam apud Deum inuenisset, alterum, quod purissimo utero suo, saluâ, intemeratâ, integerrimâque virginitate suâ conceptura esset, & editura in lucem eum qui veniret, ut culpæ horridas tenebras luce suæ gratiæ fugaret. Sed hic illud attentè pensiculandum, quod Angelus magnæ Dei Matri non dicit: *Ecce inuenisti gratiam*; sed tantùm: *Inuenisti gratiam apud Deum.* Quamobrem verò supernus nuncius non designauit speciali illâ notulâ, *Ecce*, quod Maria inuenit gratiam, sicut designauit, quod conceptura esset Filium, & paritura? *Ecce*, inquit, *concipies, & paries Filium*, & integritatis tuæ, quam meritò monilibus omnibus cariorem habes, pretiosioremque existimas, non patieris detrimentum Cur hic adiungendum putauit illud demonstrandi aduerbium, *ecce*, & non æquè adiunxit ad gratiæ inuentæ denunciationem, ut diceret: *Ecce inuenisti gratiam*; cùm gratiæ inuentio sit beneficium, non qualecunque, sed tantum, quantum nullus hominum promereri unquàm possit? Respondeo. Tametsi gratiam apud Deum, quantam Maria, nemo repererit,

Mariæ cur dictum: Ecce concipies; & non, Ecce inuenisti gratiam?

inue-

inueniſſe tamen gratiam ſuæ conditioni parem apud Deum, commune eſt illi cum pluribus. De Noë namque, & Moyſe, & aliis innumeris dicitur, quod inuenerunt gratiam apud Deum, vel coram Domino. At concepiſſe in utero, & peperiſſe ſalvâ uirginitate, Mariæ proprium eſt, & unicè conceſſum priuilegium, cuius prærogatiuæ nec illa conſortem habuit, nequæ ſecula omnia vel unum aliud producere poſſunt exemplum, ſoli Virgini Matri hoc fuit ſeruatum beneficium. Quod ergo Maria gratiam inuenit, id noluit Archangelus demonſtrandi notulâ, *ecce*, appoſitâ deſignare, quamuis enim illa etiam ſit ingens beneficium, non ſingulare tamen, neque uni illi tantùm, ſed multis prætereà conceſſum: Verùm quando unicum illud puriſſimi conceptus, & intemerati partus donum, quod præter Mariam nemini obtigit, denunciauit, tunc demonſtrandi aduerbium adiecit, & dixit: *Ecce concipies, & paries*; quia licet beneficia omnia certam ſecum adferant obligationem, ſed cùm ſunt unica, & ſingulariter cuiquam præſtita, habent, neſcio quid illud, dulciſſimæ violentiæ, quâ ſic deuinciunt, ut hæc ſola videantur numerari in beneficijs. Audiamus Titum Boſtrenſem ex to. 1. Biblioth. Patrum: *Quod Angelus ait*, Inueniſti gratiam apud Deum, *hoc illi cum alijs multis commune erat ſiquidem multi alij ante ipſam gratiã inuenerunt. At verò quod ſubiungit, nempè* Ecce concipies, & paries Filium, *facta promiſſionis eſt proprium.* Ex hac doctrinâ quiſque arbitrari poteſt magnitudinem ſuorum debitorum, quibus Deo obſtringitur, pro beneficijs, quæ ab ipſius liberali manu accepit, ut pro ſingularibus gratiarum donis etiam ſingulariter illi ſeruiat, ſingulariterque ſe illi obſtrictum agnoſcat, id que ſedulis officijs teſtatum faciat. Communia beneficia minorem habent obligandi vim, & energiam, verùm propria, & ſingularia dulci quadam tyrannide vinciunt corda, & obſtringunt, ſubiguntque animos.

Beneficia ſingulariter præſtita vim obligandi habent ſingularé.

Mariæ cur dictum: Ecce concipies; & non, Ecce inueniſti gratiam?

Capvt III.

Deus, tanquàm rectus, & æquus iudex, ergà eos prolixior eſt ad remunerandum, quos habet ad ſua officia magis ſtrenuos, & cùm impigros, tum aſſiduos.

Omnes peruigilabant in orationibus, & humilibus precibus Deum interpellabant, quando Baſilius vidit Angelorum Reginam excelſo in ſolio poſitam, de quo S. Amphilochius ſic ait: *Cùm illi precarentur, & in precibus corde contrito vigilarent, Baſilius vidit reſidentem quandam in throno præclaro.* At cùm omnes pariter & vigilarent, & orarent, cur ſolus Baſilius tam ſingulare emeruit beneficium? Cauſa eſt, quod Baſilius erat Phœnix, qui plus cæteris inardeſcebat igne meditationis, qui alios conuocârat, & adduxerat in venerabile Dominæ noſtræ templum. Cùm ergò vnius Baſilij flagrantior eſſet zelus, & ardentior pietas, & feruentior deuotio, meritò etiam fauentiorem expertus eſt Dei Matrem, & enixiore, amplioreque illius beneuolentiâ vnicè gauiſus. Nam in optimè inſtitutâ ſupremi Monarchæ Aulâ, vt quiſq; eſt ad obſeruiendum promptior, expeditior, incitatior, itâ & in referendâ copioſiore remuneratione prior, quemadmodùm & in palæſtrâ opulentiora præmia referunt, qui magis ſtrenuè decertant.

Deus prolixior erga ſeruos diligentiores.

Solicitis, & vigilantibus ſeruis, qui domino ſuo à feſtiuis nuptiarum gaudijs redeunti cum accenſis tædis occurrunt, hoc præmium cœleſtis Magiſter promittit, quod *faciet illos diſcumbere, & cinctus tranſiens miniſtrabit illis*; Lucæ 12. v. 37. Et hoc quidem illis. Fideli verò regiarum facultatum ſuarum diſpenſatori amplius aliquid pollicetur, nempè, *quod ſuper omnia, quæ poſſidet, conſtituet illum* (ibid. v. 44.) quem fidum comperit æconomum.

Hîc iubet Cardinalis Caietanus figere pedem, & notare differentem mercedem vi-

Deus imparia officia mer-

cede impare remunerat; dem vigilantium seruorum, & fidelium dispensatorum. *Vide disparitatem præmij præparati ad confestim aperiendum*, inquit ille. Quænam ergo vtrorumque, hoc est, vigilantium seruorum, & fidelis dispensatoris præmia: Vigilantes serui *discumbunt, & super intendente Domino præcincto ministratur illis, fidelis autem, & prudens dispensator constituitur super omnia, quæ Dominus possidet.* Strabo Fuldensis confirmans hanc Caietani expositionem sic ait: *Quanta inter bonos auditores, & bonos doctores est distantia meritorum, tanta & præmiorum. Auditores bonos facit discumbere, & transiens ministrat, dispensatores constituit super omnia, quæ possidet.* Sed cur huic tam diues præmium datur, alteri solùm cibus pro mercede conceditur? Remuneratio vtriusque impar est, quia & studium, labor, solicitudo sunt diuersa. Plus molestiæ patitur fidelis bonorum Domini sui dispensator, qui noctu, atq; interdiu perpetuis curis angitur, & cum multis varij tum status, tum ingenij hominibus agere debet, quam qui cum accensâ faculâ reuersurum à nuptijs dominum suum præstolatur. Maius ergo præmium designetur ei, cuius maior est labor, & cuius minus operosa est administratio, eius sit quoque tenuior merces, & remuneratio. *Vide disparitatem præmij.* Domus Dei non est qualis aliquorum terrenorum Regum, in quorum Aulis quidam feriati sæpè bibunt sudorem, quem alij in castris fuderunt, & alienorum meritorum accipiunt præmia.

Præmiorū distantia tanta, quāta meritorum.

Aulis Regum absimilis domus Dei;

Non erit his dissentaneum, quod Euthymius obseruauit in leproso miraculosè curato, & Centurione, qui prodigiosum opificem Christum adijt, & pro ægroti serui incolumitate obsecrauit. Vterque horum confessus fuit omnipotentiam Christi. Leprosus viuâ fide aiebat. *Domine, si vis, potes me mundare*, Matth. 8. v. 2. si vis, faceræ potes, vt à fœdâ hac infirmitate consanescam. Amplius se extendere confessio non potest, quàm vt Dei potestatem voluntati illius exequet, & in hac illam collocet. *Omnia, quæcunque voluit, fecit*, inquit Propheta Ps. 113. Centurio quoque agnoscebat, quod Christus solo verbulo affixum lecto seruum leuare morbo posset. *Tantum dic verbo, aiebat, & sanabitur puer meus*; Matth. 8. v. 8 Ambo ergo prædicàrunt, & extulerunt potentiam Domini. Sed confessio leprosi (annotante id Euthymio) ex maiore fide descendit, quàm agnitio Centurionis; Nam ille in solâ Christi voluntate reponit omnem eius potestatem, *Si vis*, hic verò saltem verbum aliquod requirit, *Dic verbo.* Audite nunc Euthymium in c. 8. Matth. *Considera, quod Centurio verbum exposcit, leprosus autem solam voluntatem, quod maioris est fidei.* Secundùm hæc ergo videbimus etiam leprosum magis commendatum ore dominico, quàm Centurionem. Sed res aliter habet, nam iustus, & rectus Dominus de Centurione dixit: *Non inueni tantam fidem in Israel*; ibid. v. 10 Sed quomodo non inuenit? Nonne iam probatum dedimus, quod Leprosus maiorem fidem ostendit, quàm Centurio? Ita est. Quomodo ergo Dominus extollit fidem Centurionis non solùm suprà leprosi, verùm etiam suprà totius Israëlis fidem? Videtur ergo non satis iustè distribuisse præmia, dum fidem inferiorem superioribus encomijs ornat. *Quare ergo magis admirationi habitus est Centurio?* inquit Euthymius.

Leprosi euangelici fides maior quàm Centurionis.

Centurionis fides magis cōmendata, quàm Leprosi. Cur?

Et respondet: *Quia leprosus, cùm esset Iudæus, nouerat libros, qui de Christo testificabantur, Centurio verò, cùm ethnicus esset, à nullo aliunde ad fidem ducebatur, quàm à solâ rectâ mente, ideò etiam præpositus est credentibus ex Israel.* Quanquàm confessio Leprosi præstantior fuit confessione Centurionis, plus tamen præstitit suâ confessione Centurio, quàm leprosus. Hic enim cùm Hebræus esset, habebat libros legis, qui de Christo loquuntur, eumque venisse in mundum testantur, quare & faciliùs peruenire potuit in cognitionem veritatis,

quam

quam confitebatur: At Centurio, vtpote ethnicus, neque libros habebat, neque magistros, à quibus eam haurire notitiam posset. Ergo gloriosior fuit confessio Gentilis, quam Iudæi, Hispani Centurionis, quàm Hebræi leprosi. At si Hispanus, ex circumstantijs dictis, excellit Hebræo confessione potentiæ Christi, ergo iustum est, vt triumphet de Iudæo, atque vt Dominus palmam concedat ethnico, dicens, & exclamans: *Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel.* Hinc arbitrari licet, quàm iustum iudicem habeamus, & æquum, veracemque Deum, ac Dominum, qui circumstantias operum nostrorum tam probè expendere nouit, & verborum qualitates trutinare, vt eorum ponderibus, & meritis parem decernat, & impertiat remunerationem.

Deus operum nostrorum exactus pensator.

Admirationem, stuporem adeò generare cuiuis potest Domini nostri ergà Moysen parcitas & indignatio, quâ illum à terræ promissæ ingressu prohibuit, dicens: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*; Num. 20. v. 12. Nec minorem admirationem mouebit eiusdem Domini nostri in cruce patientis magnifica ergà bonum Latronem liberalitas, quem amœnæ, & delitiosæ Paradisi promissione felicitauit, cùm ait: *Hodie mecum eris in paradiso*; Luc. 22. v. 43. Quid sibi vult illa tanta ergà latronem obsessorem viarum prolixitas, & erga magni populi ducem tam mira parsimonia? Hic certè hîc vacillare iustitia, & æquitatis obliquari virga videtur. Sed cùm fateri debeamus, iniustitiam in Deo nullam esse posse, quare populi ductori negatus ingressus in terram promissionis, & viarum latroni paradisi, ac gloriæ felicitas promissa?

Deus ergà latronem prolixior, quàm Moysen.

Huic dubitationi occurrit catholicus Demosthenes, S. Ioannes Chrysostomus homil. 3. de Cruce, & latrone, to. 3. dicens: *Moyses de medio ignis credidit loquenti, & in tonitru, quæ & infidelem poterant prouocare, iste,* latro, *vidit Saluatorem non super throno regali, non adorari in templo, sed in pœna sociatum latroni, vidit in tormentis, & tanquàm in gloria adorat. Videt in cruce, & rogat quasi in cœlis sedentem, dicens. Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Cum aquam è silice Moyses elicuisset, vacillauit fides eius, idque postquàm omnipotentiæ diuinæ plurima opera & manibus suis fecisset, & oculis vidisset, & miracula, prodigiaque tanta, ac talia expertus esset, quæ ethnico etiam ad fidem adducendo, & permouendo gentili ad credendum verbis Dei satis fuissent. Dimas autem latro vidit omnipotentem Dominum pendulum ex infamis crucis probroso ligno, medium duorum facinorosorum hominum, & Regem illum cœlorum cognoscit, nec aliter implorat, quàm si vidisset stipatum Angelis, sacrificijs honoratum in templis, laudibus celebratum in cælis, humiliterque eum obsecrat, meminisse sui vt dignanter velit, quando è patibulo in gloriæ thronum transeat. Cùm ergo Moyses post tot miracula diffiderit, & Dimas inter tam multa non credendi argumenta fidem adhibuerit, cùm illius virga miraculorum operatrix curuata fuerit, hic recto, & erecto in spem animo crediderit, etiam cùm in ignominioso loco videret Dominum, cùm ille ad desperandum excitauerit populum, quem ad benè sperandum cohortari ex officio debuerat, & hic intrepidè confessus fuerit Dominum, quem alij blasphemabant, quid mirum, quod illi introitus in terram promissionis fuerit negatus, & huic ingressus in cœlorum paradisum promissus? Proprium enim Dei est, quod erga eum sit ad remunerandum prolixior, qui est ad seruiendum alacrior, ad obtemperandum expeditior.

Latronis fides maior quàm Moysis.

CAPVT

CAPVT IV.

Deus ab aliquibus procul abest, qui proximum illum habere putant, aliis verò prope adest, qui longè abesse existimant.

SAcratissima cœlorum Regina supremis stipata palatinis adstitit in templo, vbi eius implorabatur auxiliare brachium quando humiles, & contriti supplices minimè expectabant tam honorificam visitationem, & gloriosam præsentiam. Quando illam procul abesse putabant, tunc admodùm vicinam habebant, quam nimirum *Basilius Vidit residentem in throno præclaro*, & præsidium, subsidiumque præsens velut promittentem. Id creberrimè accidit quorundam humilitati, & aliorum præfidentiæ, siue præsumptioni. Sunt quidam Christiani tam humiles, & suâ opinione tam viles, & abiecti, vt Deum procul à se abesse existiment, quando illum animabus suis intimè præsentem habent: Alij ex aduerso tam superbi, & arrogantes, vt longissimè absentem Deum habeant, cùm præsentissimum putant.

Deus aliquib⁹ præsens, qui procul absentem putant. Ab alijs procul ob est, qui proximũ putant.

Quod Leprosus, cuius mentionem paulò ante faciebamus, sit symbolum impuri præsumptuosi, id mysticorum Interpretum communis sententia habet. Venit is ad Christum, vt curaretur, & Dominus *extendens manũ suam tetigit eum, dicens, Volo mundare*. Ita Matth. c. 8. v. 3.

S. Paschasius sciscitatur, quomodo Matthæus potuerit dicere, quod Christus extenderit manum ad mundandum leprosum, qui adgeniculatus proximè pedes illius iacebat.

Respondet autem. *Extendit manum, quoniam ille longè recesserat*. Magnum mysterium habet, quod Dominus fertur, extendisse manum in Leprosum, qui proximus illius pedibus erat. Quia tametsi Leprosus prope Christum esse videbatur, Christus tamen procul ab illo aberat. *Extendit manum, quoniam ille longè recesserat*. Ita sunt homines, qui dum se Deo admodùm vicinos putant, Deum procul absentem habent. Et sunt alij, qui cùm Deum longè abesse existimant, illum coniunctissimum, & intimum habent.

Leprosus Christo proximus sed ab illo procul aberat Christus.

Quam insigne huius rei exemplum habemus in superbo Pharisæo, & humili Publicano! Pharisæus proximè altare adiens cæpit gratias agere, arbitratus se gratiâ plus alijs valere apud Dominum, & ait: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum*; Luc. 18. v. 11. Publicanus erubescens malè actæ vitæ contaminatos mores, cœlum liberis spectare oculis non audebat. *Publicanus à longè stans nolebat nec oculos ad cælum leuare*, ibid. v. 3. Pharisæus prope altare accessit, Publicanus procul inde in abstruso angulo latebat. Vter horum propinquior fuerit? Magister cælestis arbiter causæ occurrit quæstioni, dicens: *Amen dico Vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo*, ibid. v. 14. Publicanus, qui magis recedebat, propinquior alteri erat, & Pharisœus, qui tantùm non affixus hærebat aræ, publicanus in recessu erat & longiùs aberat, vt de illo dicere possis: *Pharisæus à longe stans*. Multi namque sunt Pharisæi, qui cùm altare quotidie adeant, quò propiùs accedunt, eò recedunt longiùs, & cùm in singulos dies Deum male parati accipiant, magis ab illo elongantur, & quò magis illum manibus tractant, eò magis de manibus illorum elabitur. & cùm Dominus sit ignis, quanto sunt illi viciniores, tanto magis frigescunt, & congelascunt, & licet quotidie illum supersubstantialem panem comedant, miseram nihilominùs, & deplorandam patiuntur famem. Alij è contrâ, qui tanquam pænitentes publicani ex humilitate ab altari abstinent, ij sunt propinquiores altari, & domos suas repetunt magis pleni Deo, magisque saturati, quàm alij in ipsâ suâ saturitate famelici.

Publicanus propinquior Christo, quam Pharisæus.

S. Augustinus pressit verbum quoddam Ioannis Euangelistæ, quo vsus fuit,

cùm

cùm descripsit modum, quo Satanæ ministri, & auernales lupi Agnum innoxium Christum inuaserunt. *Cohors ergo,* inquit ille, *& tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum*; Ioan. 18. v. 12.

Verbum, quod pressit, & penficulauit Augustinus, est illud: *Comprehenderunt.* Videtur dicere potuisse, & quidem aptè in rem ipsam, *apprehenderunt*, vel *prendiderunt*, vel *tenuerunt*, quemadmodùm & Matthæus dicit, cùm ait: *Manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum*; Matth. 26. v. 50. quod totidem verbis habet Marcus. Quare ergo Ioannes dicit, quod *comprehenderunt* Iesum? Nam qui illud comprehensionis verbum suis ponderibus rectè expenderit, videbit quanta sit illius sublimitas, amplitudo, & magnitudo. Ex sanâ enim theologiâ nouimus, quod ij, quos Deus in gloriâ intimè coniunctos habet, illum quidem vident, sed minimè comprehendunt, ut est apud Doctorem Angelicum in primâ illius Summæ theologiæ p. q. 12. Quid ergo de perfidis illis satellitibus euangelista dicit, comprehendisse Iesum? S. Augustinus Tract. 110. in Ioan. de hâc re sic ait: *Comprehenderunt, ad quem non accesserunt. Quando eum comprehenderunt, tunc ab illo longius recesserunt.* Nequis vanè præsumat, neue de nihilo sibi persuadeat, se benè propinquū Deo esse, de Iudæorū satellitibus ait Ioannes, comprehendisse Iesum, quod est verbum intimæ coniunctionis cum Deo, idque tunc, cùm longissimè ab illo abessent, quando enim illum comprehenderunt, non obtinuerunt, & quando illum validissimè alligârunt, ut teneret, tunc magis fugit eos, longiusque abscessit. Illiusmodi sunt nonnulli Christiani, qui cùm putant comprehendere Iesum, tunc minùs illum assequuntur, & quando vicinum habere arbitrantur, tunc longiùs ab illo recedunt. *Comprehenderunt, ad quem non accesserūt. Quando eum comprehenderunt, tunc ab illo longiùs recesserūt.* Ita sunt alij, qui cùm procul absse Dominum à se existimant, tunc illum magis addictum, familiarem, & coniunctum habent.

Iudæi comprehendebant Iesū, & longissimè ab illo aberant.

Christiani multi putant comprehendisse Iesū, & procul ab illo absunt.

Obsignauit hanc nostram dissertationē religiosus Hispanus noster Cornelius Centurio, de quo pugnantia dicere videntur Euangelistæ. Matthæus de illo ait, adijsse Christum, & pro incolumitate serui obsecrasse: *Accessit ad eum Centurio rogans eum*; inquit ille c. 8. v. 5. Lucas huic contrarium sentire videtur, cum ait: *Misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eū*; Luc. 7. v. 3. Qui utramque hanc narrationem legerit, ei videbuntur Matthæi relata pugnare cum his, quæ Lucas memorat. Qui Matthæum legerit, putabit procul abfuisse à Christo eos, quos à Centurione ad illum missos Lucas scribit. Et qui Lucam legerit, existimabit Centurionem valde dissitum fuisse à Christo, & Seniores illi admodùm vicinos. Sed quo modo hanc putatitiam pugnam componemus? S. Paschasius ait, hoc dissidium facilè conciliari posse, si utriusque euangelistæ propositum, siue intentio consideretur. S. Lucas voluit rem, ut accidit, describere, S. Matthæo autem visum fuit, Spiritum facti, & mysterium indicare. Sanctus Paschasius lib. 4. in c. 8. Matthæi sic ait: *Quia fidem Centurionis, quâ verè ad Deum quisque accedit, itá ipse laudauit, ut diceret*; Non inueni tantam fidem in Israël, *Euangelista* Matthæus *potiùs accessisse ad Christum dicere voluit, quam illos, per quos verba sua miserat.* Quos ad Christum accessisse Lucas scribit, ij sine fide venerunt, ut volunt S. Augustinus, venerabilis Beda, & plures alij. Centurio tametsi domi suæ hæsit, magnâ fide tamē misit legatos, qui à cælesti Medico salutem ægroto seruo exobsecrarent. Cùm ergo S. Matthæus videret, sine fide accessisse, qui ad Christum ablegati fuerant, & Centurionem intra domesticos parietes, sed viuâ, & magnâ cum fide, sese abdidisse, hunc dicit accessisse, qui domi remanserat, & latere cupiebat, & propiore aditu indignum se reputabat: *Accessit Centurio*; illorum verò, qui accesserunt, ne mentionem quidem facit, ac si nunquàm ac-

Publicanus propinquior Christo, quàm Pharisæus.

Centurio domi manens accessit Christum propius ijs, quos ad illum misit.

quàm accessissent. Et Centurio *eò magis accessit, quò magis credidit*, inquit Paschasius. Hinc illud documentum accipimus, quod multi, cùm proximè adire Christũ putant, tunc longissimè ab illo distant, & fugiunt, & multi cum amabili, & dulci domino intimè coniuncti sunt, qui recedere ab illo videntur.

CAPVT V.

Cùm ad supplicia inferenda venit Dominus, plumbeos pedes hebet, sed manus aureas, cùm ad conferenda beneficia accedit.

ANimaduersione, & expensione dignum est in admirabili, & cælesti visione istud, quod cœlorum Regina, ut ad sumendum de Iuliano apostatâ pœnas mitteret, præcepit suis stipatoribus, ut Mercurium martyrem accesserent, inquiens: *Vocate adme Mercurium, ut eat ad interficiendum Iulianum.* Verum ut pretiosi libri munus Basilio offerret, *acciuit ad se eadem ipsa Basilium Magnum, deditque ei librum.* Vbi quid seuerius decernendum fuit, non per seipsam ministrum pientissima Princeps aduocauit, at ubi munificẽtia exercenda, per seipsam hoc fecit, & suâ manu librum tradidit. Res ipsa loquebatur, quod pietatis, & liberalitatis opera per seipsam factura erat, cùm esset mater gratiæ, & misericordiæ, quodque ad inferenda supplicia manus adhibitura esset alienas. Indolem habebat similem ingenio Filij, qui impeditis semper fuit ad puniendum manibus, ac pedibus, sed ad benefaciendum habuit manus promptissimas, pedes celerrimos.

Deus impeditos pedes habet, cùm ad puniendum vadit.

Abierat cœlestis Sponsus, cùmque absentiæ illius amaram pœnam Sponsa intolerantissimè ferret, succlamabat: *Reuertere, dilecte mi, similis esto capreæ, hinnuloq; ceruorum super montes Bethel;* Cant 2. v. 17.

Antiquus pater Apponius quærit, quid mouere potuerit Christum, vt longiùs à Sponsâ suâ, hoc est, Ecclesiâ recederet, & quisnam sit ille discessus.

Respondet verò lib. 5. in c. 2. Cant. *Prolongatio Christi ab Ecclesia tunc est, quando negligentia eorum, qui præsunt populo Christiano, ad castigandam plebem tribulatio inducitur, cum siccitas, vel nimius imber, aut gladius, vel fames, seu pestilentia vindex grassatur.* Quid verò est illius reditus? Respondet iterùm Apponius: *Reuersio eius est, dum precibus, ieiunijs, lachrymisque ad misericordiam inclinatur.* Redit ergo, cùm ieiunijs placatus, precibusque, & alijs pijs operibus mitigatus condonat noxas, deponit iram, remittit supercilium, & ad benefaciendum conuertitur. Verùm notandum, quod Sponsa dicit: *Similis esto capreæ, hinnuloque ceruorum*, rogatq; Vt tam celeriter adueniat, quàm perniciter currere caprea, & ceruorum hinnulus soleat. Sed quare tam festinum, incitatumque illum optat? Quia ad faciendum misericordiam, ad exercendum pietatem, & clementiam venturus erat. Meritò ergo voluit, vt agilitate capream, velocitate hinnulum ceruorum exæquaret, quia cùm ad gratiæ beneficia præstanda Dominus venit, ceruinis, celerrimisque pedibus fertur, at cùm vindicta sumenda, graues, plumbeos, impeditos habet pedes. Quàm in rem sic rursùm disserit Apponius: *Ad vestigia pietatis suæ velociùs recurrit, quàm prosilit vindicando, similis factus cursu capreæ, hinnuloque ceruorum, quorum natura est voce ante se resonante, dum obuiam sibi opinantur occurrere quidpiam, ad locum, vnde recesserant, velociori cursu reuerti.* Habet hoc natiua ceruorum, caprearumque conditio, vt si quam vocem, etiam lenem, auribus hauriant, mox concitis pedibus ad sua se latibula recipiant. Quænam est sedes Dei? Misericordia, nam vt Richardus à S. Laurentio lib. 10. de Laudib. Virginis verbo *Arca* inquit, *Christus extrà se oritur, quando punit, quia extrà se est punire, cuius proprium est misereri, & parcere*

Christus quando prope, quando procul ab est ab Ecclesia.

Deus ad benefaciendum festinus venit.

parcere. Domicilium suum deserit, & à seipso velut desciscit, quoties ad infligendum pœnas prodit, cuius natura bonitas, cui misereri,& condonare peccata tam familiare, vt cum flagrum in manus sumit, & in sontes animaduertit, quietis suæ locum derelinquere videatur. Dicit itaque nunc Sponsa: *Reuertere, similis esto, dilecte mi, capreæ, hinnuloque ceruorum super montes Bethel.* Flagrum manu præferebat Dominus, & inferebat plagas meritis, hoc erat à se exisse, & quietis suæ locum deseruisse, & extrà se obambulare. Sed quo remedio, inquit Sponsa, ille ad se intrò reuocabitur? Eo, quo cerui, & capreæ incitari solent, vt antra, vel diuerticula sua cursu repetant. Voce appellandus est, quam si vel lenem audierit, faciei suæ copiam statim reddet,quàm ad pœnas infligendas auerteret. Solo suspirio permouebitur, vt citiùs ad pietatis suæ sedem redeat,quàm cerui, & capreæ ad sua latibula, cùm voce exterrentur, reuerti soleant. *Voce ante se in montibus resonante post tergum emissa, ad locum, vnde abscesserant, velociori cursu reuertuntur.* Nam vt Dominus à naturâ propendet ad pietatem, misericordiam, clementiam, benignitatem, ita quidam velut ceruus est, qui ad voculam secreti suspirij, & lachrymulæ vnius extemplò mitescit, & misericordiâ mouetur, & ad veterem pietatis suæ sedem celerrimè reuertitur.

Deus à se velut desciscit, cù ad vindicandum pergit.

Deus solo suspirio ad pietatem permouetur.

Commodè huc venient Ieremiæ quædam verba, quibus ea videtur diuinæ clementiæ inesse exaggeratio, quâ vix esse maior alia possit: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio,* aiebat ille Thren. 3. v. 44. Paraphrastus Chaldæus hæc pluribus verbis sic reddidit: *Operuisti cælos nubibus gloriæ tuæ, ne transirent ad te orationes nostræ.* Pradus autor grauis, & doctus in c. 4 Ezech. num 4. hæc verba sic illustrat. *Obserua Dei viscera tam esse blanda, & ad misericordiam prona, vt quo iustitia seueritatem exerceat, opus fuerit vel ferreo muro, vel atris nubibus interpositis inter gloriæ suæ tribunal, & sontium ergastulum.* Sed quid opus fuit vel ferrei muri, vel densæ, caliginosæque nubis interiectus, vt iusta sumere de peccatoribus supplicia Deus possit? *Ne scilicet audiret miserorum gemitus, videret ve planctus, Nam si talia rescisset, dolore cordis tangeretur vehementi. protinusque exclamasset Pater clementissimus, conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciam furorem iræ meæ.* Metaphora dictis subest sumpta à patre, qui vnicum habet filium, eumque vnicè dilectum. Cùm hunc necessum est castigari, procurat pater non esse præsens, quando infligitur pœna, nam si vel eiulantem audiret, vel illachrymantem videret tam charum filium, non posset sibi moderari tam effilictim amans pater, quin abstinere à castigando imperaret. Quomodo enim posset non toto animo commoueri, quomodo non iubere verberandi finem facere, qui filium sub virgindemiâ inter sæuos flagrorum ictus miserabiliter plorantem, & cœlum vocibus implentem audiret? Si nunc dicit Propheta: *Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio.* Cùm sciret Dominus paternorum viscerum suorum teneritudinem, & pœnas à contumacibus illis Iudæis expetere necessum esset, quid fecit? Densam nubem in medio statuit, vastumque, & excelsum murum se inter, & sontes merita supplicia luentes ponit, vt ne illorum carnificinam oculis, neque lachrymosas voces auribus vsurpet. Nam vt est pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, blanda, & mollia habens viscera, vix vnum audiret suspirium, vix lachrymulam videret, quando abstinere à flagellando manum, & puniendi finem facere præciperet. *Videlicet, quoniam tanta est eius pietas, vt auditis gemitibus miserorum non possit non misereri, & parcere, oculos auertit, clauditque aures, ferreo interstitio interiecto, vt flecti cogatur ad miserendum, cùm plectere oporteat.* Ita rursum Hieronymus Pradus, vbi suprà. Adhunc modùm benè amplificatum e-

Deus audire miserorum gemitus, quin misereatur, nô potest.

Deus nube sibi opponit, vt ne audiat orantes sontes, & punire non posset.

Deus audire filios plorantes, quin a verberando cesset, nequit.

linquimus teneritudinem viſcerum ſupremi benefactoris, illiuſque paternam clementiam, pietatem, & benignitatem.

Opportunè in hanc rem locutus eſt inclytus noſterHiſpaniarum patronus S. Iacobus epiſtolæ ſuæ canonicæ c. 5. v. 17. 18. ubi ſic ait: *Elias oratione orauit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſùm orauit, & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum.* Nonne animaduertitis in his verbis, quod ait: *Oratione orauit* Quid eſt, quo dicit? Magno conatu, enixè, vehementer, totâ contentione animi, & affectus orauit. Hebræus idiotiſmus eſt, quo intentus rei alicuius conficiendę conatus indicari ſolet. Exépla ſimilia paſſim ſunt obuia. Apud Iſaiam iſtud: *Diſsipatione diſsipabitur terra.* Et apud Ieremiam hæc: *Peccatum peccauit Ieruſalem. Plorans plorabo. Memoria memor ero* Iam ad rem. Vt Dominus populum Hebræum per trienium, & ſemeſtre plecteret ſterilitate, Elias, ut Iacobus ait, *oratione orauit*, hoc eſt, impensè, nimio opere etiam atq; etiã obſecrauit, & reſecrauit. Verùm ut admiſericordiam Dominũ ėxcitaret, neceſſariamque ab illo pluuiam impetraret, ſolùm dicitur oraſſe: *Orauit*, quod ex Angelici Doctoris interpretatione perinde eſt, ac ſi dixiſſet: *Vna oratione orauit*, & mox apertiſunt cœli. Vt pluuiæ beneficiũ obtineret, non dicitur *oratione oraſſe*, ſed *oráſſe* ſolùm, quia hanc ad rem non fuit neceſſarium tantum ſtudium, tanta virium contentio, tam enixus precandi conatus. A medio verbulo, & breui oratiunculâ ſtatim excitantur paterna Domini viſcera, permouentur que, ut ſupplicibus quiduis concedant. *Vna oratione orauit* Elias, & exorauit gratiam, quam volebat.

Vt Deus impios ſic citate puniret, oratione orate debuit Elias.

Vt pluuiæ beneficiũ obtineret, ſat fuit ſimpliciter oraſſe.

De ſicca exhalatione, quam Græci *hypercauma* vocant, dicit Hiſpanorum Galenus Franc. Fernand. Beiar. in libr. 2. meteor. Ariſtotelis q. 4. art. 2. n. 377. quod eo nomine donatur, quia *eſt materia facilis incendi*, vt pote plurimùm diſpoſita ad excipiendum calorem. Hoc ipſum affirmare poſſumus in rem præſentem de miti in dole Domini, quæ vt propendet ad benefaciendum, & præſtandum miſericodiam, ita facilè ſinit inflecti ad miſerandum, ad exhibendam benignitatem, ad ſuccurrendum neceſſitatibus ſupplicum. *Eſt natura facilis exorari.* Quod Elias expertus fuit qui tantùm *orauit*, & *pluit*, *Vna oratione orauit*, & ſtatim obtinuit.

Cùm ſacer Moyſes recenſeret annos, quibus populus Hebræus per incultam eremum diuagatus fuit, ſic ait: *Tempus, quo ambulauimus de Cadesbarne Vſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit, donec conſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris, Vt interirent de caſtrorum medio.* Deut. 2. v. 14. 15.

In his Moſaicis verbis notauit Oleaſter, quod Dominus triginta & octo annis circumduxit per ſolitudinem contumaces illos homines, quorum iurauerat mortem, ne in terram promiſſionis inferrent pedem, & illius fertilitatem deguſtarent.

Dicit nunc Oleaſter. *Expende Dei clementiam.* Triginta & octo annis illos per deſertum, tanquàm errantes oues, duxit. Sed quo ſpectarunt illi tot ambitus, tamque longi, & diuturni circuitus per inhoſpita illa, & auia loca? *Ad quid putas populum ſuum ad quadraginta annos in deſerto Velut oues errare fecit?* Sic iterùm Oleaſter, & reſpondet: Duobus de quadraginta annis circumduxit per deſertum eos, quos iuratus noluit admittere in terram promiſſam, *quia durum illi erat, eos Vita tam breui tempore ſpoliare.* Proteruis, & peruicacibus, quos ille populus habebat, inexpugnabiliter præcluſus erat introitus in terram promiſſionis, & neceſſum erat hos ante perire, quàm ingrederentur alij innoxij. Itaque vt terræ illi tardè appropinquarent, longos viarum circuitus quæſiuit Dominus: Nam cùm intrare probi abſque interfectis, ante improbis non poſſent, tam ægrè ſibi imperare potuit

Deus 38. annis circumduxit populum per deſertum, ne citò interimeret.

Quàm tardus adpuniendum Dominus, quamque cunctabundus.

tuit Dominus, vt flagellum ad mulctandum arriperet, vt mille viarum ambitus priùs quæreret, quam id faceret, velut iter, quod ad pœnas infligendas ducebat, inuenire non posset. Quare istæ per viam cunctationes, tametsi quibusdam molestæ, & pœnales erant, alijs tamen ingentis beneficij loco, erant vt quo fiebat, vt diutiùs viuerent, & ab illorum nece Dominus perdiu abstineret. Per longos circuitus pedetentim vadit Dominus ad sumenda supplicia, vt ad rem, à quâ ingenium ipsius plurimùm abhorreat.

Per longos circuit⁹ pedetentim vadit ad supplicia, Deus.

Deus longus irarum

In eá sententiâ est propheta regius, cuius sunt ista Ps. 144. v. 8. *Miserator, & misericors Dominus, patiens, & multùm misericors.* Ex fonte Hebræo quidam sic transferunt: *Longus irarum, & magnus gratia.* Sed quo sensu dicitur Dominus. *Longus irarum?*

Id exponit Cardinalis Caietanus in istius psalmi commentario, dicens: *Longus à similitudine hominum, qui dicuntur longi in expeditione negotiorum (quia scilicet protrahunt negotia in longum) descri bitur, significans, quod Deus protrahit, vindictas in longum, hoc est, non citò punit, sed differt punire, & vindicare.* Metaphoricum est, quod Deus dicitur longus ad iram, sumptaque fuit similitudo ab aliquibus, qui in conficiendis negotijs sunt valde cunctabundi, & tardi, quod videre licet in huius temporis Aduocatis, Procuratoribus, talibusque ministris, qui rerum in finem adducendarum exemplum, & magisterium à quibusdam Medicis accipientes, negotiorum exitum tam malè expedire sciunt, vt viuorum hominum numerum maiorem, minorem litigiorum breui sperare, & porrò videre possemus, si de Medicis Aduocati, de Aduocatis Medici fierent, & Medici quidem pro more Aduocatorum cunctarentur, longulasque mores ex moris necterent, & Aduocati causas clientum, vt ægrotorum vitam Medici solent, expeditè conficerent. Quot procrastinationes, quot impedimenta inueniunt Causidici, ne litigantium negotia absoluant! Quoties abire, ac redire miseros cogunt! Quot difficultates comminiscuntur, & obiectant, per quas citam pronunciare sententiam non liceat! Sed non miror, quod hi tam cunctanter negotia conficiant aliena, quia solùm emolumenta spectant, & curant propria. Hoc est, quod Deus apud Prophetam dicitur, *longus irarum*, quia *non citò punit, sed differt punire, & vindicare.* In negotio infligendarum pœnarum Deus cunctator est, nec miranda eius hâc in re tarditas, quia cùm naturali illius inclinationi repugnet sumere de reis supplicia, idcircò tam ægrè manum ad flagra extendit, tamque impeditis pedibus ad puniendum vadit.

Si de Medicis Aduocati fierent, plures homines, lites pauciores haberet, Mundus,

Aduocati negotia protrahunt aliena. vt current sua.

CAPVT VI.

Comitas, blanda lenitas; & facilitas supremi Patris, & Domini non debet nostram ergà ipsum obseruantiam, & reuerentiam minuere.

NOn est prætereunda silentio quædam S. Amphilochij obseruatio, quæ hoc habet, quod Basilius, tametsi sapientissima, & generosissima cœlorum Regina blandam, ac perbeneuolentem se illi exhibuisset, singularique beneficio videndam præbuisset, perquam reuerenter, & verecundè, submisso ad venerationem capite, ac poplite, suo loco hæsit, quousque propiùs accedere ab ipsâ iussus fuit. *Acciuit autem ad se eadem ipsa Basilium Magnum.* Hinc illud accipimus, quod beatissimæ Virginis tam materna pietas, & liberalitas, & Filij illius tam paterna ergà nos prolixitas, munificentia, comitas, & suauitas non debent illos nobis contemptibiles reddere, neque nostram ergà ipsos obseruantiam, & reuerentiam minuere; sed potiùs augere, & inflammare.

Basilij ergà Virginem Matrem obseruantia,

Dei beneuolentia non debet nostram ergà ipsũ obseruantiam minuere,

Dicant id duo illi cœlorum palatini, qui supremi Regis intimâ gaudent gratiâ, & ardent charitate. Vidit Propheta

euangelicus Dominum in solio excelso, & eleuato, iuxtaque illum hos, quos dixi, aulicos, qui sanctitatem eius alternis vocibus decantabant. *Sex alæ vni erant, & sex alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant*, Isa 6. v. 2. Non conuenit inter Expositores, de quibus manibus, ac pedibus loquatur hic propheta, & suamne, an Domini faciem alis suis velauerint. LXX. Interpretes videntur sentire, quod suam faciem texerint, non Domini. Sed quare tunc facies suas obtegebant, quando tantâ fruebantur Dei gratiâ, & familiaritate, vt tanquam intimi proximè ad eius thronum admitterentur? Iourbanitas videtur, quod eâ occasione vultus suos, velut iniectâ larua, occultarunt. Sed cùm supernis illis palatinis ciuilitatis laudem negare non possimus, causam indagare debemus, ob quam tunc velauerint facies suas, quando Dominus se illis tam comem, ac familiarem exhibuit, vt eos ad regij solij sui consortium, peristromatisque communionem admiserit.

Angeli ad reuerentiam velaruntfacies suas? coram Deo. Ioachim abbas dicet, obseruantiæ fuisse, non inurbanitatis, quod eo tempore fecerunt Seraphim. Verba illius in c. I. Apocalypsios ità habent: *Nunquàm mens meliùs tenebras suas dijudicat, quàm cùm diuinæ sapientiæ lucem, & summæ iustitiæ veritatem agnoscit.* Quanquàm ardentes spiritus singulari illâ familiaritatis gratiâ fruerentur, pro reuerentiâ nihilominùs & obseruantiâ texerunt facies suas, nam quò plus beneuolentiæ percipieban , eò manifestiùs suam indignitatem agnoscebant, itaque moderatè, vt decebat, vtentes eo beneficio obnubebant vultus suos, tanquàm non meriti illum honorem, neque tamen discedebant à solio, ne inurbanè aspernari gratiam viderentur, sed reuerenter, humiliter, ac verecundè adstabant, prudente istâ suâ actione nos docentes, quod tametsi Dominus, tanquàm pater, familiarem, & facilem se nobis exhibeat, non propterea illum despicari sed venerari ampliùs, & colere enixiùs, & religiosiùs precari, & adorare deuotiùs debemus.

Confirmabit hanc veritatem magna Dei Parens, & domina nostra, quæ in suo cantico de Filij sui misericordiâ loquens sic ait: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.*

Annotamentum Simonis de Cassia in hæc verba tale est: *Cantat Virgo adesse Dei misericordiam omni progeniei, sed timentibus eum* Hæc ille lib c. 14. in Euan. Quanquam diuina pietas omnibus, cuiuscunque sexûs, statûs, conditionis hominibus communiter se offerat, animaduertendum tamen, quod non timeri non debeat, quià amari sinit. *Timentibus eum* occurrit misericordia Christi. Familiaris enim, & blanda consuetudo Domini non debet nobis illius parere contemptum, sed magis nos ad illum timendū excitare. *Cantat Virgo adesse Dei misericordiam, sed timentibus eum*; beneficium enim familiaris Dei consuetudinis confertur cum pensione timendi illum, & colendi. Dei blanda consuetudo non debet illum nobis despicabilem reddere.

Dum sacer Scriptor beneficia singularis gratiæ, & beneuolentiæ, quâ Deus Moysen populi sui ducem prosequebatur, memorat, sic ait *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*; Exod 33 v. 11. Tam familiariter cum Moyse Dominus consuescebat, quàm amanter alius cum intimo, & coniunctissimo soleat.

Notat hîc acutè Cardinalis Caietanus, non dictum à sacro Scriptore, quod Moyses familiariter Deo locutus sit, sed quod Deus Moysi tanquàm intimum amicum se exhibuerit. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie adfaciem. Nec dicitur* (inquit eminentissimus interpres) *quod Moyses loquebatur Deo, sicut vir socio suo* Quare non dicitur, quod Moyses familiares cum Deo miscuerit sermones? *Quia licet Deus familiarem se exhibeat colloquendo Moyses tamen cum omni humilitate, & reuerentia locuturus erat, & auditurus*, respondet Cardinalis S. Sixti. Quanquàm Dominus cum seruo blandè, & amicè Moysis humilitas cū Dei familiaritate certabat.

agerer

ageret, non inde fiebat. quod servus pari libertate loqui cum Domino posset: Immò verò Moyses eò ampliùs se demittebat, quò illũ Deus ad familiaria colloquia propiùs admittebat, & cùm Domini familiaritate humilitas serui certabat. *Licet Deus familiarem se exhibeat colloquendo, Moyses tamen cum omni humilitate, & reuerentia locuturus erat, & auditurus.* Qui se dat in consuetudinem Dei, illud curare, & obseruare debet, ne illum, propter suam familiarem consuetudinem, remissiùs colat, vel minùs reuertatur, sed potius eò vehementiùs timeat, quò magis amicum, & intimum ille se exibet.

Si non est ita, ut dixi, videamus quid de cælesti Magistro sacer illius Præcursor dicat. *Qui habet sponsam Sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum,* inquit ille Ioan. 3. v. 29. ac si dixisset verbis alijs. Qui Sponsam habet, verus Messias est, non ego, qui sum humilis servus, & quoniam illius amicus sum, animadvertite, eum, qui illius amicus est, stare erectum in pedes, atque ita auscultare illius dicta.

In his verbis, *Amicus Sponsi est, qui stat* notat ingeniosè Guerricus abbas, quod *stare*, attentionem, & reuerentiam significat, inquiens: *Amicus Sponsi stat, non vagans animo, aut prostratus somno.* Sic illa serm. de exercit. ad vocation. Non sedet, sed *stat*, quod est inditium reuerentiæ, & obseruantiæ, quanto enim quis magis amicum, addictum, & benevolentem habet Dominum, tanto attentiùs illum audire, & vigilantius auscultare, & obedientiùs sequi debet. Ob hoc ipsum enim, quod ad familiarem Dei consuetudinem admittitur, debet cum tremore ante diuinum illius conspectum stare, & tanquàm Dominum timere, quem ut patrem amat.

CAPVT VII.

Nobilis, & solertis ambitionis genus est, in domo Dei prensare aliis beneficia, qui enim hoc facit, sibi obtinet.

EST aliud prætereà in hac mysticâ Virginis actione notatu dignum, quod ad se acciuisse Basilium fertur. Sed quomodo ad se, vel sibi acciuit illum? Nonnè ipsum vocauit, vt donaret libro, ex quo alij plurimam erant hausturi vtilitatem? Quomodo ergo dicitur, quod ad se illum acciuit, quem pro aliorum commodo, & emolumento solùm aduocauit? Ad se vel sibi acciuisse illum dicitur, vt nobis sit documento, quod in domo Filij eius domini nostri piâ fraude negotiari possimus, hoc est, gratiæ beneficia quærere alijs, & sic nobis reperire. Nam vt dixit beatissimæ Virginis intimus gratiosus S. Basilius homil. in martyr. Iullittam, *qui pro peccato proximi lachrymis stillat praferuidis, hoc ipso quod lapsum deflet fratris, suummet à se profligauit morbum.* In domo quippe Dei nemo rem suam faciliùs, & felicius agit, quàm qui curat alienam. Commodis proximi qui studet, suamet curat.

Cùm Saul prophetam Samuelem de perditis asinis consulere vellet, dixit illi famulus ejus: *Ecce vir Dei est in ciuitate hac, vir nobilis, omne quod loquitur, absq; ambiguitate venit*; Reg. 9. v. 6. Quod seruus dixit, tale fuit. Priusquàm ad patris tui domum reuertamur, transeamus ciuitatem hanc, in quâ vir degit & sanguinis nobilitate, & integerrimæ vitæ moribus illustris, qui nihil prænunciat, quod non indubitatus euentus comprobet.

S. Gregorius Magnus in eo hæsit, quod de Samuele seruo Dei, & populi iudice dictum est, fuisse in ciuitate, non in castris, in quiete, & securitate (hoc enim sacris literis est esse in ciuitate) non inter pericula, & discrimina. At cùm Samuel esset iudex, verus autem iudex, qualis ipse certè erat, debeat inuigilare subditorum saluti, eorumque in columitatem,

tatem, & emolumenta ſolicitè curare, & pericula omnia omni ſtudio auertere, quomodo dicitur vixiſſe in ciuitate? *Eſt Vir Dei in ciuitate.* Melius dixiſſe videri poſſet, ſi in exercitu, in prælio, inter pericula vixiſſe memoraſſet. Quid ergo in ciuitate. hoc eſt, ſecuritate fuiſſe perhibetur iudex, qui inter pericula pro ſubditis perferenda, vel ab illis auertenda verſari debuiſſe videtur? Reſpondet S. Gregorius lib. 4. c. 4. in 1 Reg. 9. *In ciuitate eſt Paſtor, quia cùm cuſtodit alios, in ſe munitus eſt.* Magno ergo myſterio dictum, quod paſtor vigilans, qui tot ſe periculis objicit, vt ſoſpitet oues, & ab infeſtis lupis ſeruet, in ciuitate fuit, hoc eſt, in tuto ſecurè vixit, nam vt paſtor ſecurus degat, id re aliâ nulla fieri meliùs poteſt, quam vt ſecuritatem omnibus procuret, aliosque à periculis tueatur, vt à periculis ipſe liber eſſe queat. *In ciuitate eſt paſtor; quia cùm cuſtodit alios, in ſe munitus eſt.*

Prælatus alios cuſtodiens ſeipſum ſeruat.

In eâ epiſtolâ, quam ad Hebræos Apoſtolus dedit, de acerbâ Chriſti paſſione, glorioſâque illius morte hæc ſcripſit: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Heb. 2. v. 10 Quem decebat? Patrem æternum. Quid decebat? Filium ſuum humanæ ſalutis autorem per cruciatus, & mortem conſummare.

S. Ioannes Chryſoſtomus Orat. 4. in epiſt. ad Heb. c. 2. ait: Poterat dicere Apoſtolus, *oportebat tradere Filium pro ſalute reliquorum, ſed non ſic dixit, ſed per paſſionem conſummare.* Hic iam magis obſcuratus videtur eorum verborum ſenſus, ſiquidem Reparator noſter conſumptus magis, quàm conſummatus fuit paſſione, in quâ ſacræ illius venæ ſic fuerunt exhauſtæ ſanguine, vt per atrocitatem pœnarum vix gutta manſerit reliqua. Et propheta euangelicus, cùm illum in funeſto tabulato inde proſpexiſſet, admirabundus quod illum ita concerptum verberibus, confectum flagris cerneret, aiebat: *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum, & non eſt ſpecies ei, neque decor;* Iſa. 53. v. 2. At ſi talis occurrit Iſaiæ, tam conſumptus, tam deformatus, exhauſtus, & extenuatus, vt noſſe illum nemo poſſet, quid eſt, quod Apoſtolus dicit, decuiſſe, vt Pater Filium *autorem ſalutis per paſſionem conſummaret.*

Reſpondet os aureum: *Non ſic dixit, ſe per paſſionem conſummare. Oſtendit, quod qui pro alio eſt paſſus, non ſolùm illi prodeſt, ſed etiam ipſe fit præclarior, & perfectior. Hoc autem dicit, fidelibus illis animum addens, & reddens audaciores.* Perquàm meditatò dixit Apoſtolus, quod Chriſtus pro hominibus paſſus, non ſolum non fuit conſumptus, & exhauſtus, tametſi tantâ copiâ fudit ſanguinem, ſed etiam magis conſummatus, auctus; perfectus, vt animoſiores, incitatioreſque redderet Chriſtianos, quando intelligerent, eum, qui pro cæteris fundit ſanguinem, non ſolùm proximo vtilitatem adferre, pro quo fundit ſanguinem, & periculo vitam offert, verùm etiam ſibi ipſi emolumenta & incrementa comparare, cùmque alijs commodat, & benefacit, ſibi quoque prodeſſe. Nam & Chriſtus ſanguine, quem fudit: & cruciatibus, quos pertulit, non tantùm alios ſanos, ſed etiam ſe conſummatum reddidit, & nomen immortale, famamq; æternam ſibi conflauit. *Decebat autorem ſalutis per paſſionem conſummare.*

Chriſtus paſſione conſummatus.

Hæc fortè vna è multis cauſa ſit, quare Dominus noſter vocatus eſt balſamum Eccleſiaſtici 24. v. 20. vbi ſic dicitur: *Sicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi.* Hoc loco ſacer Scriptor, vt Ioannes Cluniacenſis, & Georgius Wicelius volunt, loquitur de Sapientiâ incarnatâ, quæ balſamum facta fuit, quo primi peccati plagæ curatæ fuerunt, & animæ vulnera reliqua ſanantur omnia. *Balſamum eſt caro Chriſti, quo anima Vulnera curantur,* inquit Cluniacenſis ſerm. 35. to. 2. & Wicelius ſerm. 62 Quid præmedicinis alijs balſamum

Chriſtus balſamum Eccleſiæ.

habet,

habet, vt tam singulariter Christo tribuatur, quod instar balsami curet, quando sacrosanctâ carne suâ sanat? Qui balsamo medicatur, is non solùm aliena vulnera curat, sed etiam manus suas facit suaueolentes, Quod ergo Christus balsamum nominatur, cùm aliorum vulneribus medetur, tale est, quale si diceretur, illum non solùm alijs vtilitatem procurasse, sed etiam sibi gloriam, & honorem comparasse. *Hoc autem dicit fidelibus, eis animum addens, & reddens audaciores, etenim Christus tunc fuit glorificatus, quando est passus*, inquit Chrysostomus. Hæc est sublimis, & cælestis ratio status, quæ obseruari debet, & ingeniosus modus impetrandi aliquid in domo Dei. Hæc nobis discenda traditur maximè tuta, & nobilis ambitio, vt alijs prenset, quam sibi obtinere cupit, gratiam, faciatque quod magister, & dux noster Iesus Christus fecit, & quærat aliorum emolumenta, reperturus certo, si id faxit, commoda propria.

Meritò notes, quantū operæ, & laboris collocarint sacri Expositores in eo, vt indagarent, & certò definirent tempus, quo admirandus patientiæ Sponsus Iob consanuerit à lethalibus suis plagis, & fædis vulneribus, ex quibus immundo in sterquilinio saucius iacuit. Communis opinio Interpretum (in quibus Caietanus, Titelmannus, Osorius, & quod amplius est, etiam SS. Gregorius Magnus, & Chrysostomus) habet, tunc fuisse ab omnibus suis malis curatum, quando Dei jussu obtulit sacrificium, vt mitigaret eius iram, quâ in amicos illius inflāmatus erat ex eo, quod illum in sterquilinio sedentem tam malè exceperant. Videtur id colligi ex sacro textu, qui dum sacrificij ab illo pro molestis amicis oblati memoriam facit, sic ait: *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis*; Iob 42. v. 10. Ex hebræe originâ hæc quidam sic transferunt: *Et Ieouah restituit restitutionem Iobis, orante illo pro socijs suis*, hoc est Dominus Iobi veterem statum, sanitatemque reddidit, quando ille pro amicis suis obsecrauit. Huic versioni inhærens Caietanus, ait. *Ecce euidens coram omnibus signum eleuationis Iobis, quod ipso orante pro socijs redintegrauit sanitatem eius, & propterea restitutio personæ eius significatur mirabiliter facta tunc in actu orandi, & sacrificandi pro socijs.* Sed cur eâ occasione, & horâ, quâ pro amicis Deum supplex precabatur, de repentè, ac mirabilitèr liberatus fuit ab omnibus infirmitatibus. & ærumnis, quas tam diu tolerarat? S. Paulus Rom. 15. ait: *Omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* vt inde accipiamus, quid nos facere oportet. Quod ergo Spiritus sanctus scripto traditum reliquit, beatum Iob tunc sibi obtinuisse salutem, quandò pro alijs precatus fuit, & tunc suum egisse negotium, quando curauit alienum, tacita quædam monitio fuit, hanc esse solertissimam negotiandi in Dei domo industriam, vt aliorum felicitati studeat, qui vult consulere suæ, & hoc sibi persuasum habeat, si commoda solicitè quærat aliena, certò reperturum propria. Nam vt beatissimus Papa Gregorius lib. 25. Moral. c. 37. ait, *plus pro se valere preces suas efficit, qui has & alijs impendit, Libentiùs quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu, misericordis judicis proximi dilectione conditur.* Ingeniosa ergo, & sagax industria est, solicitam aliorum profectibus operam dare, si ad eum modum emolumenta procurantur propria.

Iob sanatus, tunc fuit, cum pro alijs orauit.

Cōmoda quærens aliena, certò reperiet propria.

Capvt VIII.

Vt quæque benè fiant, ijs commendanda sunt, qui accuratiùs facere nouerint.

Qvàm discreta, & prudens fuit illa serenissimæ cælorum Principis iussio, quæ inclyto martyri, & militi Mercurio demandauit apostatæ Imperatoris occidionem! *Vocate ad me Mercurium*, aiebat, *vt eat ad interficiendum Iulianum*. Basilio autem librum dedit, vt eum ex-

planaret. Voluit nos consultâ illâ, & maturâ distributione docere, vt quæque officia rectè, decenterque administrentur, ijs iniungenda esse, qui commodiùs exactiusque ea curare possint. Militi imperandum, vt lanceam vibret, literarum perito, vt calamum, stylumque arripiat. Nam si militi explanatio librorum, literarum studioso tractatio armorum iniungeretur, facile videre est, quàm peruersa, immò & deridicula foret hæc gubernatio. Nam vt S. Ambrosius lib. 1. offic. c. 44. ait, *sæpe quod alterum decet, alterum non decet. Aliud iuueni aptum, aliud seni, aliud in periculis, aliud in rebus secundis.* Non omnibus omnia congruunt. Iuuenum solennibus exercitamentis non oblectantur senes, & veteranorum ministerijs rectè fungi adolescentes nesciunt. Alia paci conueniunt, alia belli temporibus obsunt. Bona ergo administratio in eo posita est, vt in officijs demandandis cauta temporum, locorumve ratio habeatur, & id cuique iniungatur, quod cum genio, & ingenio illius magis congruat, exactiusque ab illo curari queat.

Officia ijs demandanda, qui rectius curare sciant.

Fatali sterilitati subiacebat terra, in quâ sacer patriarcha Iacob habitabat, & monet sacer textus, quod cùm in Ægypto ingens esset tritici copia, soli illi senecioni innotuerit affluentia, de quo sic habes Gen. 42. v. 1. 2. *Audiens Iacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: quare negligitis: Audiui quod triticum venumdetur in Ægypto, descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere.*

Subnotauit in his Oleaster, quod sollicitudo procurandorum eorum, quæ familiæ victui, & vsui necessaria erant, ad senem patrem spectabat, consilij executio ad filios. *Aduerte sapientum esse cognoscere indigentiam, & consilium præstare, qualiter subueniendum sit, iuuenum verò exequi, quæ senes, & prudentes consuluerunt.* inquit ille in Annot. morali in c. 42. Gen. Si fieret contrarium, & iuuenes filij quidem seni patri consilium suggererent, ac domi in vmbrâ, & otio desiderent, decrepitus pater verò per cæli inclementias, & solis ardores, cæterasque viarum molestias annonam conquireret, quis rectè factum diceret? *Nam sicut vitio daretur seni non prospicere, ita iuueni datur, si otio torpeat,* inquit ille rursùm. Itaque in benè institutis Rebuspublicis id fieri debet, quod in domo Iacob factum, vt senes consulant, moneant, prouideant, & iuuenes exequantur, itinerentur, & laborent. Nam si iuuenis curâ vacet, & negotio, senex verò operosus sit, si puer consulat, & canus, quæ consulta sunt, perficiat, talis erit administratio, qualem hodie in quibusdam Regnis experimur, in quibus togati arma tractant, & bellis innutriti equites domi suæ feriati sedent. Hinc miseriæ, quas videmus. Nam vt permutantur personæ in ministerijs, ita sunt infelices, & funesti administrationum successus.

Consilium dent senes exequantur iuuenes.

Multi optarunt scire causam, quare ex cæteris Apostolis Dominus vnum delegerit Paulum, qui tot esset scriptor epistolarum, qui solus plures edidit, quàm alij omnes.

Paulus cur tot epistolarum scriptor delectus.

Respondeo ex doctrinâ traditâ, & sententia Ebroicensis, Wicelij, Berchorij, Geminiani, vt quæsiti causa innotescat, recurrendum animo ad illud, quod de Paulo refertur, quando etiam dum Saulus erat, hoc est, sanguinarius lupus, qui Christum, eiusque gregem immaniter persequebatur, de quo Act. 9. v. 1. & 2. sic dicitur: *Saulus adhuc spirans minarũ, & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas* &c. Nonne videtis, inquiunt ij Autores, quàm amauerit Paulus circumferre epistolas? quàm propensus ad perficienda earum iussa? *Petiit epistolas* inquit S. Lucas, & Wicelius Serm, 29. to. 2. *Cùm epistolarum genium haberet, epistolis conscribendis à Deo est addictus.* Indolem habebat ad perferendas, referendasque literas propensam, & promptam. Quid ergo fecit Deus? Epistolarum scriptorem il-

Paulus epistolarũ genium habuit.

rem illum fecit, & ad hoc munus ex omnibus delegit, vt literas exararet, & ad varias Prouincias missicularet. Hic est optimus, gubernandi modus, si cuique id commendes, quod cum illius ingenio, natiuâ conditione, professione magis cõgruit: Nam cùm non omnia possint omnes, illud artificium, officium, & exercitium vnicuique iniungendum, quod ad eius ingenium, personam, professionemque est accommodatum, quemadmodùm suadet S. Ambrosius lib. 1. Offic c. 44. dicens: *Alius distinguenda lectioni aptior. alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu solicitior. alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet sacerdos, & quid cuique congruat, id officij occupet.* Quid faciet Prælatus, & Superior, vt subditi munia sua rectâ, ac decenter obeant? Id operis vnicuique demandet, ad quod illum à genitali conditione magis idoneum, & procliuiùs ferri animaduerterit.

Officium quod cuique congruit, id occupet.

Commodam huius rei probationem reperiemus in duabus parabolis, quas Dominus prædicavit. Parabola una fuit viri, qui seminauit granum sinapis in agro suo, altera mulieris, quæ domi suæ fermento subegit farinam ad familæ alimoniam. *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo,* aiebat Christus Matth. 13. v. 31. Et v. 33 rursùm, *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.*

S. Petrus Chrysologus serm. 99. expendit ordinem parabolarum, & ministeriorum, quæ personis fuerunt commendata: *Ante sinapis granum memorat accepisse virum, mulierem nunc asserit fermentum,* inquit ille. In his parabolis, (quod notare Chrysologus jubet) primæ conceduntur viro, cuius exercitium priore loco in comparationem adducitur, tum alia viri, mulieris alia occupatio describitur. Vir rus petit, ut serat, mulier domi pistrino, & culinæ dat operam. *Ante sinapis granum memorat accepisse virum, mulier nunc asserit accepisse fermentum.* Cur ita hæc distinxit, ac distribuit cœlestis Magister ministeria? Vt doceret, quomodo rectè procurari œconomia queat, quomodo Regna benè administrari possint, nempè si hoc cuique demãdatur officium, quod illius statui, & inclinationi magis est, consentaneum. Nunquàm enim erit felix domorum, familiarum, communitatum, & Regnorum gubernatio nisi id cuique munus designetur, curandumque detur, quod cum illius statu, professione, ingenio cõgruat.

Dauid rex, ille quàm robustus, & strenuus, tam deuotus, & religiosus, suaui abreptus impulsu pij sui ergà Deum affectus, exutus militarem vestem, & accinctus ephod lineo *saltabat totis viribus ante Dominum* (2. Reg. 16. v. 14.) quo tempore Arca transferebatur. Tempore Samuelis par, immò maior fuit occasio singularis lætitiæ signis celebrandi eamdem Arcam, quando à barbaris Philistæis, in quorum potestate perdiu fuerat, ad populum Domini redijt, nec saltauit tamen per id tempus, qui de Arcæ reditu plurimùm haud dubiè gauisus fuit. Sic enim habes 1. Reg. 7. v. 1. *Venerunt ergo, & reduxerunt Arcam Domini & intulerunt eam in domum Aminadab*: ubi ductarum chorearum nulla mentio.

Dauid ante Arcam saltauit non Samuel. Quamobrem?

S. Ambrosius lib. 2. Offic. c. 43. ait: *Saltauit ante Arcam Domini Dauid, non saltauit Samuel. nec ideò ille reprehensus, sed magis iste laudatus.* Dauidi magnæ laudi data humilitas, quà coram Arcâ saltauit, Samueli non datum vitio, quod nihil tale fecit. Sed quare Samuel non fuit reprehensus ob intermissum religiosi cultus officium, ex quo Dauid tantam laudem reportauit? Respõdet Ambrosius ibidem: *Aliud juueni aptum, aliud seni.* Dauid jvuenis erat, Samuel senex, illi ardebat sanguis, huic congelarat in venis. Iam ut benè acceptum fuit quod lacertosus, & viuidus jvuenis coram Arcâ ad numeros subsilijt, ita nemo sinistre interpretatus fuit, vel criminatus, quod senex non similiter fecit, immò risum, ut videtur, excitasset, si decrepitus, & canis per-

Samuelẽ senem decuisset saltatio.

spersus, depositâ grauitate coram confertâ multitudine, & innumerabilium hominum ob oculos saltasset. Vt ergò decenter omnia fiant, inquit Ambrosius, quilibet suscipiat & ministerium sibi & personæ suæ, & professioni, & ætati conueniens, & consilium senex suggerat, juuenis opere expleat, miles gladium, librum studiosus literarum tractet, & sic alij alia.

CAPVT IX.

Cùm aliquando multa bona opera vix unum valeant, & unum nonnunquàm multis par sit, idcircò boni operis gratia, vel dignitas non semper in multitudine, sed in paucitate, & bonitate posita est.

Liber, quem Sanctissima Domina nostra deuotissimo sacellano, & seruo suo Basilio obtulit, continebat principium creationis mundi, cuius fronti hæc inscripta erant: *Dic in finem*, hoc est, omni studio, & diligentiâ, & solicitudine elabora, quidquid ad istorum sex dierum opera dilucidanda spectare videbitur. Tam exactè præstitit Basilius, quod iussus fuit, & tam præclaris commentarijs istorum dierum opera illustrauit, ut intimus illius Nazianzenus orat 20. dixerit, uno illo opere plus famæ, & existimationis in mundo sibi conciliâsse, quàm alij innumeris scriptis, & commentationibus compararuerint. Hinc thematis nostri veritas elucescit, contestatumque relinquitur, quod parum gratiæ habet scribere multa opera, & dicere verba multa, dicere autem verbum unum, & facere opus unum, quæ verbis & operibus multis paria sint, id laudem meretur.

Operis dignitas non in multitudine, sed in bonitate est posita.

De beatissimæ Virginis purissimo ventre dicitur aliquid, quod aduersari uidetur ijs, quæ Dominus de seipso affirmat. De magnâ summi Dei Parente sic ait Canticorum Salomonicorum Scriptor, *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs*: Cant. 7, v. 2. Hic aceruus tritici indubitatò fuit Christus, quam diu in utero Reginæ cœlorum hæsit. Sic aiunt Rupertus, Ailgrinus, Honorius, Matthæus Cantacuzenus, & alij plures. Richardus de S. Laurentio in illa è Canticis verba sic ait: *Per hoc, quod dicitur aceruus tritici, innuitur quod venter plenus Dei filio fuit.*

Christus aceruus tritici.

Hîc occurrit, quod dicto aduersari videtur, estque istud. Si Filius Dei erat, qui utero beatissimæ Virginis inclusus abscondebatur, quomodo vocatus fuit aceruus tritici, qui seipsum granum tritici appellat Ioan. 12. v. 24. dicens: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit?* Quod autem ibi Christus hoc de ipso locutus fuerit, communiter Interpretes asserunt, in quibus Augustinus, Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, & alij. At si ita res habet, quomodo dicitur, quod venter Sponsæ totum aceruum tritici in se complectebatur, quæ non nisi unum granum habebat? *Aceruus tritici. Nisi granum frumenti.* Respondeo quod Christus, quanquàm aceruus tritici esse granum se appellauit, ut nos doceret, quod non in quantitate, vel multitudine, sed in qualitate potiùs, ac bonitate posita est gratia rei, & gloria operis. Nam ut granū, quod est Christus, tametsi unum sit, totus aceruus tritici vocatur, propter infinitæ dignitatis suæ, & inæstimabilis pretij magnitudinem: Ita inuenire est aceruos ingentes bonorum operum, quæ granum unum virtuosæ actionis alicuius non exæquent; & granū unum heroici operis aliquando reperias, quod dignitate par sit toti aceruo operum remissius factorum!

Christus granum tritici, sed aceruo par dignitate.

Peropportunè huc veniet quædam Glossæ interlinearis obseruatio, quæ hoc habet, quod tametsi cœlum crebro aquis terram irrorarit ante Diluuium, id tamen ante illud tempus accidisse nullis sacris literis sit consignatum. *Ego pluam super terram quadraginta diebus? & quadraginta noctibus*, aiebat Dominus Gen. 7. v. 4. tunc, cùm certum haberet proxi-

proximum inducere Diluuium. Dicit nunc Glossa: *Vsq; ad diluuium non legitur pluisse.* Cùm à principio mundi vsq; ad ætatem Noë tam multi transierint anni, atque inter eos indubitatò persæpe pluerit, quare aliæ anteriores pluuiæ fuerunt tacitæ, & sola Diluuij pluuia commemorata?

Pluuia ante diluuiũ nulla fuisse legitur.

Respondeo, quod hæc sola pluuia scripto fuit expressa, id fortè factum ob eam causam, in quâ hîc versamur, nempè vnum opus sæpe tam ardenter, & intentè, atque enixè fieri, vt multis alijs excellat; Velut aquæ Diluuij tam fuerunt impetuosæ, & copiosæ, & horribiles, vt tunc, quando illæ per submotas cataractas erupturæ & omnia obruturæ erant, dicendum putauerit Dominus: *Ego pluam;* tametsi ante illos dies frequenter è cœlo pluuiam terræ submiserat, nam magnitudo, & dignitas, & celebritas rei non de multitudine, non de frequentiâ, sed de bonitate, & præstantiâ qualitatum æstimatur. *Vsque ad diluuium non legitur pluisse,* quia vna hæc Diluuij pluuia priores omnes ità superabat, vt prima literis ad posteros transmitti meruerit. Sic inclytum sibi, ac gloriosum ex operibus conflare nomen potest, qui vnum facit, quod multa exæquat, non qui multa, quæ vix, quantum vnum, valent.

Opus vnum multis quandoque excellit.

Pluuia diluuij vna omnes anteriores superauit.

Vt leo est coronatus ferarum Princeps, sic leæna cæterorum animalium regina. S. Epiphanius hæresi 78. leonem vocat *regalissimum genus super alia animalia.* At si leæna brutorum regina est, videamus quàm sit prolifera, & fœcunda in partubus. *Aiunt leænam non parere præterquàm semel, & vnum.* Ita S. Epiphanius ibidem. Sed quî fit, quod Natura ergà animalium reginam tam est parca, & auara, vt nonnisi semel, vnumque solum parere permittat, quæ erga cæteras brutas animantes tam est bene uolens, & prolixa, vt illis & frequentes partus, & partu vno sæpe numerosam sobolem concedat, vt sic irrationalem suam progeniem facere perennem, & perpetuam possint? Leæna *non parit præterquàm semel, & vnum,* idque ex prouidâ Naturæ attentione, quæ nobis eâ re mutum documentum tradere, & hoc velut dicere voluit, vt si opera sunt partus animæ, si scripta sunt fœtus ingenij, si aliæ piæ actiones filiæ voluntatis, discamus à Leænâ, in quo illiusmodi partuum gloria potissimum sit posita. Leæna, vt dictum, semel tantùm, & catulum nonnisi vnicum edit, & plus gloriæ ex illo habet, quàm animalia cætera, quantumuis sæpe, & copiosè fœtent, ex numerosâ suâ sobole. Nam fama, & existimatio non comparantur solâ operum, vel scriptorum multitudine, sed bonitate, & ingenio, quo adornantur, & elaborantur, & fauore, quo in lucem edita excipiuntur. Adamas vnus exiguus multas ferri, & plumbi libras pretio superat. Sic opus vnum, si multo studio, ac labore, magnaque virium contentione fiat, antecellere multis, & ampliorem, quàm hæc, adferre laudem potest.

Leæna semel tantũ, & nonnisi vnum parit.

Leæna Plus gloriæ habet ex vno partu, quã animalia cætera ex pluribus.

Postquàm rex Salomon pronunciauit sententiam diuidendi infantem, de quo duæ rixosæ mulieres acriter altercabantur, vt exploratè intelligeret, quænam esset vera illius mater, cùm res illa benè cecidisset, vt vera mater agnosceretur, subiungit mox sacer Historicus: *Audiuit omnis Israel iudicium, quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium;* 3. Reg. 3. v. 28.

S. Gregorius Nyssenus in vitâ S. Gregorij Thaumaturgi sic ait: *Cùm multas subditorum controuersias Salomon decretis suis, & sententiis diremisset, per vnum duntaxat eius decretum satis habuit omnem viri prudentiam ostendere diuina Scriptura.* Multas subditorum litigantium controuersias composuit Salomon, varijs persæpe de causis pronunciauit, sæpe dissidentium animos sententijs suis conciliauit, solius tamen huius sententiæ mentionem sacer Scriptor facit, quâ tam solertèr, sagacitèrque veram viui infantis matrem deprehendit, quam non testes, non præsumptiones aliquæ prodere, aut indicare

Salomonis prudentia vnodecreto demonstrata.

Opere vno immortalis memoria parari potest.

indicare poterant. Nam vt homo perpetuam sui memoriam relinquat, vnum opus quandoque facere potest. Si enim heroicum sit aliquod, & præclarum facinus, quod quis perpetrat, id extollere suum autorem eo vsque potest, vt sublimem locum in templo Famæ obtineat.

S. Hieronymus in libro Traditionum in Genesin dicit, quod huc facit. *Felicitas multiplicati hordei ignoro si quem possit facere gloriosum.* Si in multitudine magnitudo, & felicitas posita esset, beatus, fortunatusque esset, qui hordeo abundaret. Sed non video, quomodo hoc esse queat, quia quod in seipso vile est, nunquàm ex multitudine gloriam, dignitatemque obtinet. Itaque nemo statim existimet magnum, quod videt multum, nam potest vnum aliquod opus tam pretiosis circumstantiarum monilibus esse exornatum, vt dignitate transcendat alia plurima.

Capvt X.

Cùm in fine cantetur gloria, æternam obtinere nemo poterit, nisi moriatur in gratia.

INscriptio libri, quem Dei Parens Basilio detulit, talis erat; *Dic in finem.* Grauis sententia, vtilissimum monitum, quod suadet dicere in finem. Dicta enim, & facta, quæ non in finem perdurant, tanquàm infecta sunt, & non dicta, & velut nihil fecit, dixitque, qui dicendi, faciendique finem facit, ante quàm vitæ. Nam vt Dominus noster Matt. 10. v. 22. ait, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Itaque si quis Christianus post felicem vitæ cursum denique in portum mortis mergitur, ei tam malè erit, quàm si nunquàm prosperè nauigasset, ab extremâ enim illâ periodo pendet vel æterna felicitas, vel perpetua miseria.

Operandi benè finis sit ille, qui vitæ.

Tertullianus lib. aduersùs hæreticos c. 3. dicit quidpiam, quod rationi, & veritati omninò aduersari videtur. Verba illius sic habent: *Nemo sapiens est, nisi fidelis, nemo maior, nisi Christianus, nemo autem Christianus, nisi qui ad finem vsque perseuerauerit.* Quod nemo Christianus sit, nisi qui in finem vsque perseuerauerit, id parum cohærere cum fide orthodoxâ videtur. Quid enim? Nonne multi in æternis flammis suæ dependunt finalis impœnitentię pœnas qui fuerunt, suntque Christiani, neque tamen in finem vsque perseuerârunt? At si ita res habet, ac Tertullianus id non nescijt, quomodo dicere potuit, quod non est Christianus, nisi qui in finem vsque perseuerauerit? Magnus Africanus dicere voluit, vt quis saluus fiat, ante omnia opus esse, vt sit Christianus, & fidelis, quia *sine fide*, vt Paulus Heb. 11. ait, *impossibile est placere Deo*, sed præter fidem Christianam aliud requiri, idque magis arduum, nempè vt quis in finem vsque perseueret, qui autem non perseuerat vsque ad vitæ clausulam extremam, eius res non aliter habere, ac si nihil vnquàm credidisset, vel fecisset, vt qui demùm sine remedio naufragatur, & iacturam omnium facit. Cùm ergo secum reputaret profundus Africanus, quod omnis nostra felicitas in perseuerantiâ est posita, dicebat; *Nemo Christianus, nisi qui in finem vsque perseuerauerit.* Nihil in hac vitâ expetibilius, quàm vt quis sit Christianus, æternum enim beatus nemo esse potest, nisi qui sit Christianus, Verùm si ad æternam beatitudinem obtinendam necessum est perseuerare in finem, qui in finem non perseuerarit, perinde fuerit, ac si nunquàm Christianus fuisset, quia propter perseuerantiæ intermissionem luet pœnas, quas luit infidelis, & qui legem, gregemque Christi nunquàm cognouit.

Perseuerantia Christianũ facit.

Percommodè in hanc rem annotavit doctus ille, & venerabilis Magister sacri Palatij Sanctius de Portâ serm. 7. de Nat. Virg. diuersos modos, quibus ex Domini prædictione mulier serpentem inuasura, & serpens mulierem appetiturus erat,

rus erat. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*; aiebat ille Gen. 3. v. 15.

Audiamus nunc doctum Magistrum. *Ipsa conteret caput tuum, & non dicitur, ipsa conteret caudam tuam.* Mulier in caput serpentis suum ictum dirigit, serpens in calcaneum mulieris intentus est. Quid sibi vult illa tam diuersa pugnandi ratio, quodque mulier caput sui hostis petit, & serpens in extremum aduersariæ mulieris calcaneum collineat? Quodnam est caput serpentis? *Caput*, inquit ille Autor, *est principium tentationis*, & calcaneus mulieris est finis vitæ. Dicit nunc Dominus, conuenire animæ, ut caput serpenti obterat, ut ne principium peccandi faciat, nam si semel peccatum admittas, solet tam crudelis, & tyranicus esse hospes, ut totam perpetuò domum occupet. Sed quid agit dæmon, etiamsi obtritum sibi caput sentiat? Fortean eandem in hoste partem petit, quâ se saucium videt, & læsus capite caput offensoris inuadit? Minimè. *Tu insidiaberis calcaneo eius*, Extremo pedi vim intentat, fini omne suum ingenium, fini omnem fallendi solertiam, & industriam, fini totum robur suum, omnemque conatum seruat. Quanquâm enim in vitâ ei quis frangat caput, non sentit, nec dolet vulnus. Hoc est quod volo dicere: Tametsi Christianus benè, ac laudabiliter viuat, parum illa curat, dummodò illius in fine non aberret ictus, dummodò in fine animam sicâ transfigat, lethaliterque vulneret, perpetuò triumphauit. Qui in extremam usque horam non perseuerârit, quid emolumenti consequetur ex omnibus studijs, laboribus, vigilijs, quibus se per omnem vitam superiorem defatigauit, & extenuauit, qui momento uno perdit pretiosos thesauros, quos tanto sudore per longissima exactæ vitæ spatia comparauit? *Nemo Christianus, nisi qui ad finem usque perseuerauerit.*

Peccati initia fuge.

Dæmon fini vitæ nostræ plurimum insidiatur.

Cùm in sacris literis non apex, non aliud quid piam sit, quod non ad nostram eruditionem, & doctrinam conscriptū sit, ut ait Apostolus Rom. 15. 4. dignum consideratione est, quod de fido cane, quem Tobias junior longæ profectionis indiuiduum comitem habuit, sacer Scriptor memorat, & fecisse illum, cùm à paternâ domo jàm propiùs abesset, narrat, dicens *Tunc præcurrit canis, qui simul fuerat in via, & quasi nuncius adueniens, blandimento caudæ suæ gaudebat.* Tob. 11. v. 9. Quo mysterio monet diuinus Historicus, quod catellus caudæ potiùs blandimento, quàm capitis gestu reditum sui heri indicarit, & celebrarit, cùm id genus animalium etiam capitis mimico inflexu, & vario motu assentari soleat his, quibuscum consueuit? *Blandimento sua cauda gaudebat.*

Tobiæ canis cur cauda potiùs, quàm capite blanditus dicitur.

Venerabilis Beda in c. 11. Tobiæ, to. 4. ait: *Pulchrè blandimento sua cauda gaudebat, cauda quippe, quæ finis est corporis, finem bonæ operationis insinuat.* Insigni mysterio factum, quod cauda, non capite assentator canis suum de domini reditu gaudium indicauit, nam si caput significat principium bonæ operationis, cauda finem, caudæ suæ blanditijs significare hominibus canis voluit, non cùm benè agere cœperint, sed cùm piæ, & sanctæ vitæ studijs immortui fuerint, exultare gaudio debere, & lætitiæ signa non in primordijs, non in principio, sed sub finem edere. Perseuerantia nimirùm, quæ ante supremum anhelitum non remittit, illa triumphos meretur, & reportat trophæa. Nam ut S. Hieronymus epist. 10. scribit, *non quæruntur in Christianis initia, sed finis. Paulus malè cœpit, sed benè finiuit. Iudæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.*

Tobiæ canis cauda docuit, solos perseuerantes posse gaudere.

Suffragatur alumno suo Hieronymo Basilius in epist. ad Chilon. ubi ista inuenias. *Id tibi perspectum ut sit, volo frater, ac persuasum, non eum, qui benè cœpit, sed quisquis legitimo cursu stadium istius absoluit vita, hic Dei judicio com-*

probatur.

probatur. Non qui strenuè pium opus adoritur, sed qui pertinaci pede terit iter, quod semel inijt, & obstinato ad constantiam animo persequitur, quod suscepit, curandæ salutis suæ negotium, is tanquàm verus, & germanus athleta in iusto, & recto Dei omnipotentis tribunali coronabitur. Quod si ita res habet, quantâ maximâ possumus cordis humilitate, & ardentissimo pectoris affectu supplices obsecremus benigni, & supremi Patris maiestatem, vt pro infinitâ suâ bonitate, & clementiâ dignetur nobis concedere spiritum, per quem in vsu bonorum operum perseueremus, vt benè facientes non deficiamus aliquando, sed vitæ nostræ clausulam inter suaues amabilis Reparatoris nostri amplexus faciamus, & gaudeamus immarcessibili coronâ, & semper virente lauru indeficientis quietis vitæ æternæ, & perdurabilis gloriæ.

A M E N.

Benedicta sit sancta, & indiuidua Trinitas, quia fecit, & facit, & faciet nobiscum misericordiam suam.

INDEX THEMATVM PRÆDICABILIVM QVÆ HIC TOMVS NYSSENI V. EXEQVITVR.

Primus Numerus paginam, alter Columnam denotat.

LIBER PRIMVS.

LIBER QVINTVS.

LIBER SEXTVS.

Cap. I.

Cap. II.

Cap. III.

Cap. IV.

Cap. V.

Cap. VI.

Cap. VII.

Cap. VIII.

Cap. IX.

Cap. X.

Cap. XI.

Cap. XII.

LIBER SEPTIMVS.

Cap. I.

Cap. II.

LIBER OCTAVVS.

LIBER NONVS.

LIBER DECIMVS.

SACRI

SACRI ORACVLI LOCA HOC

In Opere enucleatiùs, & accuratiùs expensa, ordine suo, serieque digesta.

Ex Veteri Testamento.

VII. Egre-

LEVITICVS,

NVMERI.

IV. REGVM.

CAP. IX.

I. PARALIP.

CAP. XXI.

II. PARALIP.

CAP. III.

CAP. XXVI.

TOBIAS.

CAP. XI.

IVDITH.

CAP. XIII.

ESTHER.

CAP. VII.

IOB.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. V.

CAP. XII.

CAP. XIII.

CAP. XVI.

CAP. XXVII.

CAP. XXIX.

CAP. XXXIX.

XV. uisci.

SAPI-

CAPVT

ACTA APOST.

AD ROMAN.

I. CORINTHIORVM.

INDEX
ALPHABETICVS
RERVM
MEMORABILIORVM.
QVÆ IN HOC QVINTO TOMO
TRACTANTVR,

Numerus prior paginam, posterior columnam designat.

Mira.

AVGVSTVS.

Imperator.

AVRVM.

Vide V. Pecunia.

B.

BALDVS.

S. BASILIVS.

Magnus.

Vitam

COELVM.

COLVMBA.

COMMODVM.

CONSILIVM.

CONVIVIVM.

CORPVS.

COR-

DEVS.
præsens.

DEVS
REMVNERATOR.

DIES.

DIGITVS.

DINA.

DISCIPLINA.

DISCIPVLVS.

INVEN-

INVENTOR.

S. IOANNES BAPTISTA.

IOB.

IOSEPH ÆGYPTIVS.

IRA.

ISMAHEL.

IVDAS MACHABÆVS.

IVDAS Proditor.

IVDEX.

IVLIANVS.

Apostata.

Iulia-

L.

LAVS. LAVDATIO.

LEGATVM.

L E O.

LEPROSVS.

Euangelicus.

LEX.

LEGISLATOR.

Occa-

PAROCHVS.

PATIENTIA.

PAVLVS.

Apostolus.

PAVO.

PAVPER.

PECCATOR.

PECCATVM.

Pecca-

PECCATI POENA.

PECVNIA.

Vide V. Aurum.

PERSEVERANTIA.

PETRVS.

Apostolus.

PVDOR.

R.

RACHEL.

REGES MAGI.

RELIGIOSVS, VITA RELIGIOSA.

REGNVM.

REX.

ROSA.

RVBEN.

S.

SAL.

SALOMON.

SAVLVS ÆTERNA.

Verba

FINIS.

1708